A I

DE REBUS CONGREGATIONIS

SUB TITULO

BEATI JACOBI SALOMONII

in Provincia S. Dominici Venetiarum erectæ

ORDINIS PRÆDICATORUM

COMMENTARIUS HISTORICUS:


IN QUO REGULARIS DISCIPLINÆ IN ORDINE PRÆDICATORUM INSTAURATIO,
PRIMORDIA EJUSDEM CONGREGATIONIS & INCREMENTA,
Vetustæ Cœnobiorum origines, Novorumque erectiones,
Viri etiam moribus, dignitatibus, litteris illustres,
aliaque variæ eruditionis argumenta enarrantur, recensentur, illustrantur.

AUCTORE

F. JO. FRAN. BERNARDO MARIA

DE RUBEIS

EX EADEM CONGREGATIONE.



VENETIIS, M.DCC.LI.
Typis Jo. BAPTISTÆ PASQUALI.
SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO.



Uod opus pluribus abhinc annis, qualecumque demum sit, cum nostræ præfecturam Congregationis gererem, invisendo pro munere injuncto Cœnobia, simulque pro data occasione Tabularia lustrando, ac vetusta quæ in Archivis reperiebantur colligendo monumenta, scripto tradideram, ut nunc primum extrema imposita manu in lucem proferrem, prudentissima suasit, fecitque animos, quæ lata legitur *Ordinatio* in postremis Comitiis Generalibus, in quibus Antoninum Bremond Gallum Massiliensem, communi omnium lætitia, Patres elegerunt totius Ordinis Prædicatorum Magistrum Generalem, Sanctissimis regularis disciplinæ institutis in Provincia Tolosana exculturn Virum, litterarum peritia clarissimum, moribusque suavissimis præstantem. Decreti verba sunt inter *Confirmationes* num. V. „ Præcipimus ... ut (in singulis Provinciis) eligatur vir „ doctus, solers, acer, subactique judicii, cui com„ mittatur propriæ Provinciæ, vel Congregationis Hi„ storia, summa fide ac diligentia scribenda: eidem„ que teneantur Priores ... communicare quidquid in „ singulis eorum Conventibus ab eorum fundatione sin„ gulare ac memoria dignum fuerit, atque ad Ordinis „ ornamentum & gloriam pertinere videtur; ut ab ipso „ in Historicos Provinciæ Commentarios referatur. " Noverat scilicet perspicacissimus, ac ingenii vere subacti Præses Comitiorum, sapientesque noverant qui aderant Patres: *ad res Ordinis universi excipiendas Annalibus*, queis conscribendis opera impenditur, necessarium imprimis esse, *ut cujuslibet Provinciæ, aut Congregationis*, vel Cœnobiorum particulares *Historiæ scriberentur*, quæ vetusta originum monumenta rite illustrata, solidas a fabellis discretas traditiones, singularia quæ accesserunt ornamenta, Virorumque aut Sanctitate illustrium gesta, aut dignitatibus conspicuorum munera præclare obita, aut litterarum peritia præstantium edita scripta, & hæc denique cuncta ad justam Chronographiam redacta, veluti præviam quamdam paratam,

 expo-

expolitamque materiam suppeditarent, ad *Annalium* ædificium facilius, ac felicius perficiundum. Prudentissimo, sapientissimoque consilio in aliis Provinciis, aliisque in Congregationibus, quæ pluribus abundant antiquis & amplis Cœnobiis in præcipuis florentibusque Civitatibus, ab iis fieri satis poterit selectis Viris, qui cum docti fuerint, & solertes, & acres, primas Cœnobiorum origines perite discutiant, ac temporum succedentium incrementa vicesque diligenter enarrent. Non is vero ego sum, qui res nostras narraturus, pro hisce votis agere valeam: nec enim aut iis ornatum me sentio animi prærogativis, quas Patres exposcere videntur in Viris ad scribendos Commentarios deputatis: aut ingenii quidem si vigor adesset, vix ejus qualecumque specimen edendi argumentum præbere potest nostræ Congregationis conditio, quæ limites nimium contractos habet in Æstuariis Adriacis, & Marchiæ Tarvisinæ parte, ac Forojuliensi Provincia, & Istria, paucisque potitur Cœnobiis, majorem partem, ætate fere nostra excitatis. Operis ergo, quod in lucem prodit, consilium scribendi illud insedit animo, ut ad Annalium ædificium quod attinet, minimam ego partem, quam res nostræ efficiunt, diligentius pro viribus elaboratam offerrem, ne modicissima licet, ulla tamen in eisdem Annalibus lacuna pateret: ad ipsam vero quod spectat Congregationis & Cœnobiorum ejus historiam, hanc posteris transmitterem, tum præcipuas res domesticas plenius complectentem, tum aliis etiam quæ non longius quæsita forent, sive ex Generali Ordinis historia, sive ex variæ eruditionis penu depromptis, ornamentis locupletatam. Novas itaque diligentissime enarro Domorum erectiones, beneficis benevolisque, & honoris & grati animi causa, auctoribus nominatis: ac initas in limine conventiones affero, & conventionum acta, vel integra, vel partim solummodo, prout expedire videbitur. Gesta etiam alumnorum refero, quibus novarum hujusmodi fundationum onus commissum fuit: & si quæ occurrant Ecclesiarum ac locorum, quæ nobis tradita fuere, antiquiores pando, & illustro origines; ipsorumque demum Oppidorum, ac Urbium, ubi Cœnobia posita sunt, conditionem paucis expono. Ad primam, remotam-

tamque instituti Prædicatorum Ordinis ætatem pertinent Cœnobia aliquot : unde populares quæ feruntur traditiones discutio , ac fabellas rejicio : veterumque gesta Alumnorum recenseo , quæ nosse potui , nobisque ad virtutem incitamenta esse queant : & epigraphes colligo scitu dignas , ac vetustos memoro Manuscriptos Codices , si qui habeantur antiquitate venerandi , aut certe quidpiam utilitatis præstantes ad res illustrandas Dominicanas . Majorum nostrorum in erigenda Congregatione consilia laboresque , erectionis modum abs Generalibus totius Ordinis Magistris excogitatum , regiminis formam invectam , statutamque studiorum rationem , ac peculiaria pietatis officia definita , validissima Sedis Apostolicæ ad instauratæ regularis disciplinæ perennitatem præsidia impetrata , ipsaque litigia , quæ cum Præfectis & Alumnis Provinciæ agi debuerunt , diligentius enarro omnia . Congregationes , quas vocamus , regularis disciplinæ instauratio invexit in Ordinem , qui ab initio in Provincias tributus fuerat : eaque data occasione , varias ipsæ Provinciæ passæ sunt mutationes , aliquæ primum extinctæ , tum ad pristina jura restitutæ , ac simul in unum Corpus cum Congregationibus coalescentes , pulcherrima illa unitatis dote integra semper custodita , quæ ab uno desumitur Capite , & ab una Comitiorum Generalium , in quibus æque saluberrima pro Provinciis , proque Congregationibus feruntur statuta , suprema auctoritate . Hæc vero fata , quæ acciderunt in Provincia *Sancti Dominici* , cujus in sinu ortum habuit Congregatio nostra sub nuncupatione *Beati Jacobi Salomonii* , indicare pretium operæ fuit , ut ejusdem Congregationis primordia & incrementa lucide paterent : eademque sine dubio postulabat ratio , ut labefactatæ primum regularis in Ordine disciplinæ, studioque & opera probatissimorum Virorum postea erectæ, notitia præmitteretur aliqua ; quæ neque satis perspicua , neque certe accurata videtur adhuc prodiisse . Plura jam polliceri mihi videor: quæ omnia si pro data fide, proque dignitate præstiterim, submota quidem prolixitate, pressiore etiam calamo , ne plus æquo excresceret opus , diligenti tamen narratione , Lectoris benevoli Judicium esto .

NOS Fr. Antoninus Bremond

Sacræ Theologiæ Professor,

ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

CUm uti nobis exponitur, Rev. Adm. P. Lect. Fr. Bernardus de Rubeis Exvicarius Generalis Congregationis Nostræ Beati Jacobi Salomonii Venetiarum composuerit Historiam ejusdem Congregationis & Conventuum illius, illamque prælo subjicere desideret; nos harum serie, nostrique Officiis auctoritate, quantum in nobis est, & servatis alias servandis paterne indulgemus, dummodo ab Adm. R.R. P.P. Fr. Jacobo Ratti, Exvicario Generali ejusdem Congregationis, & P. Bonifacio Finetti Moderatore Collegii nostri SS. Rosarii Venetiarum, præfatum opus luce dignum judicetur, eorumque censorio in scriptis calculo approbetur. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c.

Dat. Romæ in Conventu Nostrô Sanctæ Mariæ super Minervam die 13. Februarii 1751.

Fr. ANTONINUS BREMOND Mag. Ord.

Registr. fol. 3.

Fr. Joseph Munnoz Mag. Provincialis Terræ Sanctæ, & Socius.

Nos.

NOs Infrascripti jussu Reverendissimi P. Antonini Bremond Magistri Generalis totius Ordinis Prædicatorum, Librum cui titulus est: *De Rebus Congregationis sub titulo B. Jacobi Salomonii in Provincia S. Dominici Venetiarum Ord. Prædic. erectæ Commentarius Historicus, Auctore P. F. J. F. Bernardo Maria de Rubeis*, attente perlegimus: ac non solum nihil in eo deprehendere nobis licuit saniori doctrinæ, seu quoad Fidem, seu quoad mores attinet, adversum; sed potius quamplura vel ad Litterariam Eruditionem pertinentia, vel ad Pietatem promovendam idonea, præsertim vero ad Sacri Nostri Ordinis Historiam magis illustrandam, ejusque Annales aliqua ex parte augendos, (quo potissimum hi Cl. Auctoris labores spectant) utilia, ac necessaria, cum magna animi nostri voluptate comperimus, atque observavimus. Quapropter ut in publicam lucem edatur, dignissimum censemus. In quorum fidem &c.

Datum Venetiis in Collegio Nostro SS. Rosarii die 17. Julii An. 1751.

(*Fr. Jacobus Ratti Ord. Præd. Theolog. Professor.*

(*Fr. Bonifacius Finetti Ord. Præd. Theologiæ Lector.*

INDEX
Capitum cum Paragraphis.

CAPUT I.

Antiquæ Provinciæ Lombardiæ inferioris, quæ & Sancti Dominici nuncupata fuit, conspectus ante regularis instauratæ disciplinæ tempora.

CAPUT II.

Ejusdem Provinciæ Sancti Dominici status tempore Congregationis, ut primum dicebatur, tum novæ Provinciæ utriusque Lombardiæ. Reformationis primordia in Ordine Prædicatorum, & incrementa.

IV. Ce-

IV. *Cœnobium Clodiense in æstuariis Venetis reformatur. Joannes Dominici instituitur Vicarius Generalis.*
V. *Regularem amplectuntur observantiam Cœnobia duo, Castellanum Romanæ Provinciæ, ac Venetum SS. Joannis & Pauli. Generale Capitulum anno 1393. celebratum in obedientia Romana. Cœnobiorum observantium emolumenta.*
VI. *Collata Joanni Dominici facultas Vicarii Generalis ad alia extenditur Cœnobia, aut reformata ad regularem disciplinam, aut revocanda. Dissidia. Floret Congregatio Lombardiæ.*
VII. *Conventus ad Reformatam Lombardiæ Congregationem attinentes, in duas Provincias, mox in unam utriusque Lombardiæ nuncupatam eriguntur.*
VIII. *Cœnobia reliqua jure Provinciæ exciduut. Sub uno Præfecto adunantur, Vicarii titulo.*
IX. *Priores Provinciales Lombardiæ inferioris ab initio Congregationis Lombardiæ ad ejusdem Provinciæ extinctionem. Bartholomæi de Senis elogium.*

C A P U T III.

Viri illustres præcipui, qui regularem disciplinam instaurarunt in Italia. Venetum Sororum Ordinis Præd. Monasterium sub nuncupatione Corporis Domini. Specimen MS. processus Contestationum de Sanctitate Beatæ Catharinæ Senensis.

I. *Joannes Dominici Florentinus. Excerpta ex Chronico Bartholomæa Riccobonæ.*
II. *Animadversiones in historica superiora Excerpta. Joannis Dominici gestorum Chronographia. Menda Scriptorum plura correcta.*
III. *Erectio Veneti Sororum Ordinis Prædicatorum Monasterii sub nuncupatione Corporis Domini. Chronographia accurate exposita. Idem regimini Fratrum ademptum.*
IV. *Joannes Benedictus, cujus elogium accuratius texitur, & Antonius Corrarius, ambo Patricii Veneti.*
V. *Robertus de Venosa, Nicolaus de Ravenna, Joannes Dyrrachinus, Antonius de Civitato. Joannis Dominici Epistola in lucem profertur.*
VI. *Bartholomæus de Cattis, Thomas Antonii Senensis. Specimen Processus MS. de Sanctitate Beatæ Catharinæ Senensis. Scriptorum errores emendati.*
VII. *Elogium Thomæ de Thomassinis, qui & Paruta dictus est, Episcopi.*

CAPUT IV.

Congregatio Sancti Dominici in novam sub eadem nuncupatione Provinciam erigitur. Cœnobia numerantur, quibus eadem coalescit. Vicariorum, & Præfectorum Provinciæ series.

I. *Cœnobia numerantur, quæ ad Venetam Sancti Dominici Congregationem, a deinde sub eadem nuncupatione Provinciam, attinent.*
II. *Cœnobia, Venetum, Patavinum, Tarvisinum, Montis-Silicis, Utinense: eorumque primordia.*
III. *Alia Cœnobia, quæ sequiore ætate erecta sunt. Aliqua vero jam suppressa, & amissa.*
IV. *Ejusdem Venetæ S. Dominici Congregationis Vicarii Generales.*
V. *Regularis disciplinæ instauratio in eadem Sancti Dominici Congregatione promovetur.*
VI. *Nova Provincia erigitur sub eadem nuncupatione Sancti Dominici.*
VII. *Novæ Provinciæ addicuntur Domus Rosaciensis in Provincia Forijulii, ac Veneta Sancti Secundi. Utriusque brevis notitia.*
VIII. *Ejusdem novæ Provinciæ Præfectorum series.*

CAPUT V.

Regularis disciplina, quam instaurari in Provincia Sancti Dominici jubent Patres, in Forojuliensi S. Dominici Cœnobio adseritur, consilio & opera Georgii de Longis, & Bernardini Gosellini. Forojuliensis Cœnobii appellatio multiplex pro varia Civitatis appellatione.

I. *Reformatio in Ordine Prædicatorum intelligitur primæva regularis disciplinæ, salva Ordinis unitate, instauratio.*
II. *Reformationis opus in Atestino Cœnobio inchoandum, Tarvisina Comitia decernunt.*
III. *Infecta re in Atestino Cœnobio, regularem adserit observantiam in Oppido Sancti Viti Georgius de Longis.*
IV. *Idem Georgius præficitur Cœnobio Forojuliensi: quod rigidioris disciplinæ æmulatoribus Comitiorum Utinensium decreto conceditur.*
V. *Idem Cœnobium Forojuliense diversimode appellatum legitur pro varia Civitatis nuncupatione.*

CAPUT VI.

Primordia Cœnobii Forojuliensis sub nuncupatione Sancti Dominici. Eruditionis variæ specimina.

I. *Cœnobium in Civitate Forijulii a S. Dominico erectum, vulgaris traditio fert: quam ab aliis acceptam scripto mandavit Michael Pius.*
II. *Tabulæ expenduntur, quæ allegantur in præsidium traditionis.*

Puel-

Puellaris Benedictini Monasterii, ac Cœnobii F.F. Minorum primordia in eadem Civitate indicantur.

III. *Nullum in Civitate Forojulii ante annum* 1242. *erectum fuerat Cœnobium FF. Prædicatorum.*

IV. *Ejusdem Cœnobii primordia ad annum circiter* 1252. *referenda sunt. Vetustæ emptionum, aut donationum Tabula. Aquilejensis Monetæ notitia.*

CAPUT VII.

Reliqua vetusta Cœnobii Forojuliensis monumenta. Illustres alumni. Veterum Præfectorum series. Codices MSS.

I. *Forojuliensibus alumnis incerta debita in levamen egestatis auctoritate Pontificia applicantur. Emortualis epocha Hugonis de Sancto Caro, S. R. E. Cardinalis.*

II. *Indulgentiarum diplomata eisdem concessa, eademque illustrata. Mos invectus, Angelicam Salutationem recitandi ad sonum Campanæ.*

III. *Civium, & Provinciæ Dynastarum iratos animos conciliant Forojulienses Fratres.*

IV. *Ejusdem Forojuliensis Cœnobii Alumni, pietate, ac litteris illustres.*

V. *Series Præfectorum Cœnobio usque ad Georgium de Longis, primum disciplinæ instauratorem.*

VI. *Vetusti Codices in Cœnobio adservati recensentur.*

CAPUT VIII.

Monasterium Sororum a Cella prope Civitatem Forijulii regimini Fratrum nostrorum subjectum. Benvenuta Bojana, Soror Ordinis de Pœnitentia, sanctitate illustris.

I. *Monasterium Sororum a Cella erigitur prope Civitatem Forijulii. Ejus primordia.*

II. *Fratribus nostris regendum traditur.*

III. *Cur idem Monasterium enuncietur Ordinis S. Augustini? Antonii Scoti dubia expenduntur. Monasteria, quæ dicebantur duplicia.*

IV. *Synopsis vitæ B. Benvenutæ Bojanæ, Sororis Tertii Ordinis de Pœnitentia.*

CAPUT IX.

Bernardini Gosellini Studia, laboresque pro disciplinæ regularis instauratione in Cœnobio Forijulii. Decreta Seraphini Sicci, Generalis Ordinis Magistri. Eadem regularis observantia adseritur in Domo Rosacienfi.

I. *Georgio de Longis socius additur Bernardinus Gosellinus ad instaurandam regularem disciplinam in Cœnobio Forojuliensi.*

II. *Ejusdem Gosellini natales, patria, Dominicana professio, studium regularis observantiæ.*
III. *Cœnobio Forojuliensi præficitur. Decreta in Comitiis generalibus, & a Magistro Ordinis edita in præsidium regularis observantiæ.*
IV. *Florentem in Cœnobio Forojuliensi disciplinam Gosellinus adserit in Domo Rosaciensi.*

CAPUT X.

Alia præclara gesta Gosellini, & Opera typis edita. Præsidia, & incrementa regularis observantiæ. Obitus ejus in Cœnobio Utinensi.

I. *Gosellinus præficitur Provinciæ Sancti Dominici. Cultum promovet Beati Jacobi Salomonii.*
II. *In unum locum Sorores Tertii Ordinis adunat Venetiis. Earum origo in Urbe Venetiarum.*
III. *Cœnobiorum emolumentis consulit. Opusculum typis edit pro Regulari observantia.*
IV. *Iterum præficitur Cœnobio Forojuliensi. Pro extensione cultus B. Ambrosii Sansedonii laborat.*
V. *Litteras Gregorii XV. impetrat in præsidium regularis instauratæ disciplinæ.*
VI. *Vicarius Generalis Provinciæ instituitur. Litterarum Gregorii XV. revocationem tentat Redoanus, eidem Provinciæ præfectus.*
VII. *Rodulfium Magistrum Ordinis benevolum experitur. Romæ vindicias agit stigmatum Sanctæ Catharinæ. Cultum promovet B. Alberti Magni.*
VIII. *Alia scribit Opuscula. Brevem Thomæ de Lemos texit vitam. Laurentium Vallam refellit.*
IX. *Sororum a Cella emolumentis consulit. Regularem observantiam instaurare nititur in Cœnobio Utinensi.*
X. *Eidem Utinensi Cœnobio præfectus, mortem obit Gosellinus. In ædem S. Dominici Forojuliensem transfertur. Elogium ipsius in Generalibus Comitiis Romanis.*

CAPUT XI.

Privilegiis ornatur florens in Cœnobio Forojuliensi disciplina. Præfectorum series usque ad initium Congregationis B. Jacobi Salomonii. Basilii Picæ Neapolitani studia pro Regulari observantia. Domus Farensis S. Joannis Baptistæ in agro Gradiscano erectio.

I. *Privilegia a Seraphino Sicco pridem concessa, confirmantur.*
II. *Ampliora tirocinio juvenum in eodem Cœnobio Forojuliensi conceduntur.*
III. *Series Præfectorum eidem Cœnobio usque ad initium Congregationis B. Jacobi Salomonii.*

IV. *Ba-*

IV. *Basilius Pica, Provinciæ S. Catharinæ in Regno Neapolitano alumnus, excipitur in Forojuliensi Cœnobio. Anachoretam agit in agro Goritiano.*

V. *Novæ domus regularis observantiæ erectionem curat apud Goritiam.*

VI. *Domum Farensem erigit in agro Gradiscano.*

VII. *Nova domus Farensis in Ordinem, ac Provinciam Sancti Dominici adscribitur.*

VIII. *Angelicus Petricellus, primo Præfectus Cœnobio. Thomæ Betti, Romanæ Provinciæ alumni, mentio.*

CAPUT XII.

Picæ consilium de novo instituto Virginum Deo dicatarum. Sub nuncupatione Pauperculárum S. Catharinæ Senensis, in pago Faræ pietatæ florent. Beneficia eisdem conlata.

I. *Novum institutum Virginum rusticarum molitur Basilius. Specimen institutionum.*

II. *Ædes cum Sacello erigendas curat. Petri Antonii Coronini munificentia. Favet Aquilejensis Patriarcha.*

III. *Pietate florent Virgines Farenses. Synopsis vitæ Mariæ Magdalenæ a Jesu.*

IV. *Procerum beneficia eisdem Virginibus conlata.*

CAPUT XIII.

Justinopolitani in Istria Cœnobii reformatio. Vetusta ejusdem monumenta. Domus antiquæ Piranensis notitia.

I. *Cœnobium S. Dominici Justinopolitanum, justo Fratrum numero minutum, supprimitur. Antiqua statuta de numero Fratrum in Cœnobiis.*

II. *Fratribus de Observantia dictis conceditur pro voto Civium, ac populorum.*

III. *Cœnobii possessionem adeunt iidem Fratres. Primus instituitur præfectus Hieronymus Castelfrancus.*

IV. *Ejusdem Cœnobii primordia: clades, belli Clodiensis tempore.*

V. *Post cladem instauratio. Sodalitium sub nuncupatione S. Antonii.*

VI. *Series Præfectorum Cœnobio, qui reperiri potuerunt.*

VII. *Notitia vetustæ Domus Piranensis, quæ juri suberat Cœnobii Justinopolitani.*

CAPUT XIV.

Alia præclara Basilii Picæ gesta. Regularis disciplinæ instauratio in Veneto S. Secundi Cœnobio. Præfectura ejusdem Picæ.

I. *Basilii Picæ conciones: eidemque conlata præfectura Provinciæ Aprutinæ.*

CAPUT XV.

Ecclesiæ, ac ædium S. Secundi prima in Ordinem Prædicatorum adscriptio. Regiminis vices. Series Præfectorum.

CAPUT XVI.

Ejusdem loci Sancti Secundi, quo tempore Sanctimoniales Benedictinæ eum incolebant, notitia & conspectus.

CA-

CAPUT XVII.

Privilegia in præsidium instauratæ disciplinæ concessa. Erectio Congregationis sub titulo Beati Jacobi Salomonii. Studium, sive Collegium institutum. Apostolica Alexandri Papæ VII. confirmatio.

I. *Regulari observantiæ in quinque Cœnobiis instauratæ favet Jo: Baptista de Marinis. Privilegia ab eodem concessa.*
II. *Erectio Congregationis sub titulo B. Jacobi Salomonii. Forma erectionis.*
III. *Erectionem Congregationis irrito conatu impugnat Præfectus Provinciæ. Novæ Præfecturæ consensum præbent Alumni Forojulienses. Ambrosii Schoponski elogium.*
IV. *Erigitur studium sub titulo Collegii in Veneto S. Secundi Cœnobio. Litterarum peritia, ac reformati mores sibi mutuo prosunt. Epistolarum Dominici Peccioli fragmentum.*
V. *Congregationis, & Collegii confirmatio ab Alexandro Papa VII. concessa.*

CAPUT XVIII.

Conlata Basilio Picæ præfectura Veneti Cœnobii S. Dominici. Ejusdem abdicatio. Obitus Basilii in Insula S. Secundi.

I. *Regularem disciplinam adferendam curat Magister Ordinis in Veneto Cœnobio S. Dominici. Præficit eidem Basilium Picam.*
II. *Cœnobii alumnos de loco amovendos jubet idem Generalis Magister. Regimen invitus adsumit Pica, quod abdicat post sex menses.*
III. *Ejusdem Basilii obitus in Cœnobio S. Secundi. Elogium ipsius in Comitiis Generalibus.*

CAPUT XIX.

Cœnobium Concellianense, olim Cruciferorum, Alumnis Congregationis concessum. Erectio Monasterii Sororum tertii Ordinis. Hieronymi Ficini virtutes, gesta, obitus.

I. *Concellianense Cruciferorum Cœnobium supprimitur. Ejusdem primordia in Civitate Conelliani indagantur.*
II. *Dissidium Cruciferorum cum Archipresbytero Conellianensi nuper instituto.*
III. *Veneto Cruciferorum Cœnobio adnexum fuerat Conellianense. Primi Cœnobii origo.*
IV. *Ipsorum Cruciferorum ædes cum Ecclesia S. Martini, aliisque Sacellis S. Joannis, & S. Laurenti conceduntur Alumnis Congregationis.*
V. *Primus Cœnobii Prior instituitur Angelus Nuzza: Ædes reparant*

novi

novi incolæ. Magnificum Templum Hieronymus Picinus inchoat, perficiunt Alumni Successores.

VI. *Novi Cœnobii erectio. Bibliotheca. Vetustum MS. Officium de Venerabili Sacramento.*

VII. *Sororum Tertii Ordinis Monasterium Picinus erigit. Indicantur primordia Monasterii Conellianensis S. Rochi, & Opitergini Sancti Spiritus.*

VIII. *Hieronymi Picini virtutes, gesta, obitus.*

CAPUT XX.

Cœnobium Valvasonense Sanctæ Mariæ Gratiarum. Vetusta, ac recentia monumenta.

I. *Cœnobium Valvasonense in Provincia Forijulii, primum Alumnis Congregationis Sanariæ traditum, tum Prædicatoribus de Observantia.*

II. *Ejusdem Cœnobii primodia. Novæ Ecclesiæ Paroebialis Valvasonensis erectio. Erectionis occasio ex insigni prodigio.*

III. *Vetusta loci Ecclesia traditur alumnis Congregationis Sanariæ: ipsisque facta Cœnobii erigendi facultas.*

IV. *Posita novi Cœnobii fundamenta. Ejusdem, & Ecclesiæ nuncupatio sub titulo Beatæ Mariæ.*

V. *Suppressum Cœnobium redintegratur. Traditur Alumnis Congregationis B. Jacobi Salomonii.*

VI. *Primus Cœnobii Prior, Andreas Tronus. Idem instauratur cum Ecclesia. Nova demum a fundamentis erigitur Domus.*

CAPUT XXI.

Venetum Cœnobium sub nuncupatione SS. Rosarii, quod antea Jesuati Fratres possederant. Origo ejus, suppressio, redintegratio, incrementa.

I. *Origo Veneti Cœnobii, quod olim Fratres Jesuati incolebant, cum vetusto Sacello.*

II. *Templum erigitur sub nuncupatione Visitationis B. Mariæ Elisabeth.*

III. *Idem Cœnobium cum Ordine Jesuatorum supprimitur. Suppressionis litteræ Apostolicæ.*

IV. *Comparant illud sub hasta Alumni Congregationis B. Jacobi Salomonii.*

V. *Ejusdem Cœnobii inita possessio. Collegium translatum, Ædes refectæ. Sodalitium Militiæ Angelicæ.*

VI. *Novi Templi elegantissimi erectio. Solemnis ejusdem dedicatio. Picturæ, & ornamenta marmorea. Antiphonaria, & Responsalia ad usum Chori.*

VII. *Præcipuæ Sepulcrales Epigraphes vetustæ Ecclesiæ.*

VIII. *Novi Cœnobii fundamenta posita.*

CA-

CAPUT XXII.

Bibliotheca Cœnobii. Prædives & selecta Apostoli Zeni, Veneti Civis, Bibliotheca eidem Cœnobio legata. Nonnulli Scriptorum Ordinis Prædicatorum Codices MSS. recensentur.

I. *Veneti Cœnobii Bibliotheca. Petri Cassis, & Augustini a Puteo, legata duo. Ejusdem Bibliothecæ incrementa.*
II. *Apostoli Zeni Bibliotheca in idem Cœnobium Venetum inlata. Viri præclarissimi elogium.*
III. *Nonnulli Codices MSS. recensentur, qui Opera complectuntur Scriptorum Ordinis Prædicatorum.*

CAPUT XXIII.

Tirocinium pro Congregationis alumnis. Cœtuum biennalium, seu Diætarum institutio. Studiorum ratio. Diploma Innocentii XII. circa Fratres e Congregatione discedentes.

I. *Tirocinium juvenum, qui ad habitum adleguntur, statuitur in Cœnobio Conellianensi. Sedis Apostolicæ hac de re Decreta.*
II. *Cœtuum biennalium, seu diætarum institutio. Quinam interesse Fratres debeant. Communis Vestiarii delineatio.*
III. *Studiorum ratio definita. Series Lectorum, quos Primarios vocamus.*
IV. *Statuta, ac decreta circa discedentes e Congregatione Fratres.*

CAPUT XXIV.

Cœnobia duo in Oppido Sancti Danielis, & in Civitate Portus-Naonis, erecta in Provincia Forijulii.

I. *Novum Cœnobium Oppidani Sancti Danielis offerunt Alumnis Congregationis. Cur regio Forijulii dicta Patria?*
II. *Facultatem novum Cœnobium acceptandi facit Generalis Magister Ordinis, itemque Sacra Purpuratorum Patrum Congregatio. Origo Ecclesiæ Sanctæ Mariæ della strada.*
III. *Loci, & Ecclesiæ possessionem adeunt Alumni Congregationis, rem exequente Cardinali Delphino Patriarcha Aquilejensi.*
IV. *Amplo erecto Cœnobio, primus Prior ab Antonino Cloche Magistro Generali præficitur.*
V. *Honorificum justi Fontanini, Archiepiscopi Ancyrani, legatum.*
VI. *Cœnobium ejusdem Congregationis alumnis erigendum jubet supremis tabulis Aloysius Girardus Patricius Venetus.*
VII. *Sacillana fundatio in irritum cadit. Origo Dominicani Gynæcei in eodem Sacili loco.*
VIII. *De Cœnobio erigendo agitur in Civitatibus Portus-Naonis, &*

Bassa-

Baſſani. Priore in loco excipiuntur Noſtrates. Multiplicis Cardinalium S. R. E. Congregationis origo.

ix. *Templum erigitur, ac Cœnobium. Primus inſtituitur a Magiſtro Generali Prior.*

CAPUT XXV.

Abdicant ſe Alumni Congregationis jure ſuffragii in Comitiis Provinciæ. Adfiliationes quoque Fratrum ſublatæ. Abdicatio Graduum, ut vocant. Apoſtolicum Clementis XI. diploma.

i. *Jus ferendi ſuffragii in Comitiis Provincialibus abdicatur.*

ii. *Adfiliationes Fratrum, ut vocant, ſublatæ.*

iii. *Gradus Magiſterii, cæterique omnes abdicati.*

iv. *Eadem abdicatio Graduum Apoſtolico diplomate munitur.*

CAPUT XXVI.

Cœnobia duo, Ajellense in Comitatu Gradiſcano, & Cormonenſe in Comitatu Goritiano, Provinciæ Forojulienſis.

i. *Cœnobium erigi in pago Ajelli, ſupremis Tabulis jubet Bartholomæus de Frumentinis.*

ii. *Litigia componuntur. Conſuetam impertitur facultatem Sacra Congregatio, itemque Antoninus Cloche.*

iii. *Cœnobio erigendo conſenſum negat Jo: Chriſtianus Princeps ab Eggenberg, Comes, Gradiſcæ. Favet vero Siggifridus frater.*

iv. *Jo: Chriſtiano ſuccedit Siggifridus. Eleonora Auguſta erectionem Cœnobii commendat. Ampliſſima conceditur a Principe facultas.*

v. *Eccleſia erigitur cum Cœnobio ſub nuncupatione Roſarii. Nova domus conſtruitur Pauperculárum S. Catharinæ.*

vi. *Fundationem Cœnobii Cormonenſis pluries oblatam, ſupremæ voluntatis Tabulis perfici jubet Jo: Andreas Locatellus.*

vii. *Oppidum Cormoni olim Sedes Patriarcharum Aquilejenſium. Forumjulium differt a Caſtro Julio.*

viii. *Litigiis compoſitis diploma Cæſareum obtinetur ad erectionem Cœnobii Cormonenſis.*

ix. *Novis expeditis difficultatibus, Eccleſiaſticæ facultates conceduntur.*

x. *Templum, ac Cœnobium ſub nuncupatione SS. Dominici, & Leopoldi erigi cœpta.*

CAPUT XXVII.

Cœnobiola, Naupliense in Peloponneſo, & Argoſtolenſe in Cephalenia. De reformatione Provinciæ Dalmatinæ conſilium.

i. *Novam domum Naupliæ in Peloponneſo erigunt Alumni Congregationis.*

ii. *Do-*

II. *Domus Argostolensis in Cephalenia, Congregationi adjuncta.*
III. *Utriusque domus incrementa.*
IV. *Perit Naupliensis Domus in clade Regni Peloponnesiaci. Domus Argostolensis abdicatur.*
V. *Reformationem Provinciæ Dalmatinæ per alumnos Congregationis molitur animo Antoninus Clothe. Res in irritum cadit.*

CAPUT XXVIII.

Cœnobium Cordubatense in Provincia Forijulii, ac Diœcesi Concordiensi. Avulsio Congregationis a Provincia Veneta, diplomate Clementis XI. indicta. Jus ferendi suffragii in Comitiis Generalibus, a Clemente XII. concessum Congregationibus. Alumnorum Congregationis nostræ consilium. Jus idem a Benedicto XIV. revocatum.

I. *Cordubatensis Ecclesiæ sub nuncupatione Beatæ Virginis origo. Ipsius Cordubati Castri vetusta monumenta.*
II. *Eadem Ecclesia cum ædibus adjunctis in Cœnobium erigendis traditur Alumnis Congregationis.*
III. *Cœnobium erigitur, eleemosynis a Vallaresso Concordiensi Antistite erogatis.*
IV. *Congregationis avulsio a Provincia S. Dominici, diplomate Clementis XI. indicta.*
V. *Idem Pontificium diploma Regio beneplacito munitum ad executionem.*
VI. *Jure suffragii in Comitiis Generalibus a Clemente XII. ornantur Congregationes Ordinis Prædicatorum. Prima earumdem conditio: æquisitusque tempore sequiore status.*
VII. *Congregationis Alumnorum varia consilia. Deliberatio, sententia.*
VIII. *Clementis XII. litteræ, revocatæ a Benedicto XIV.*

CAPUT XXIX.

Cœnobium Pelestrinense in Clodiensi Diœcesi, & Parentinum in Istria.

I. *Ecclesiæ in honorem Beatæ Virginis, ac Cœnobii Pelestrinensis origo. Cœnobium incolunt Fratres discalceati Sanctissimæ Trinitatis.*
II. *Dimissis Fratribus Discalceatis, Cœnobium traditur Alumnis Congregationis.*
III. *Parentii, quæ urbs est Episcopalis in Istria, erecta domus Presbyteris, sub instituto divi Philippi Nerii militantibus.*
IV. *Locus oblatus Congregationis alumnis. Initæ conventiones, difficultates ablatæ, facultateque concessæ, rem agente Marino Cive Veneto, ac favente Vincentio Mazzoleno Episcopo.*
V. *Loci possessionem adeunt Fratres. Favet Gaspar de Nigris, novus Parentinus Antistes.*

VI. *Am-*

VI. *Amplioris Templi erectio sub nuncupatione Sanctæ Mariæ, Angelorum Reginæ.*

CAPUT XXX.

Series Præfectorum Gongregationis, quos Vicarios Generales appellamus.

I. *Vicariorum Generalium institutio, ac forma institutionis.*
II. *Series Vicariorum, qui Congregationem Beati Jacobi Salomonii rexerunt. Eorum, qui vita functi sunt, Elogia.*

CAPUT XXXI.

Viri illustres, & Scriptores e Congregatione Beati Jacobi Salomonii.

CAPUT XXXII.

Georgii Rivii Puritani, de Reformatis Dominicanis, deque Ordine Prædicatorum, ac ejusdem Ordinis Tertiariis differentis, inscitia, & impudentia.

I. *Georgii Rivii Puritani, de Reformatis Dominicanis, eorumque Congregationibus differentis, putidissimi errores plurimi.*
II. *Ejusdem Heterodoxi hominis inscitia, & impudentia in ea Historiæ parte, quæ ipsum spectat Fratrum Prædicatorum Ordinem.*
III. *De Tertiariis Dominicanis imperite differit idem Rivius. Hujusce Tertii Ordinis origo, & incrementa indicantur. Addenda nonnulla.*



DE

DE CONGREGATIONE
SUB TITULO
Beati JACOBI SALOMONII
in Provincia S. Dominici Venetiarum Ordinis Prædicatorum
COMMENTARIUS HISTORICUS.

CAPUT I.

Antiquæ Provinciæ Lombardiæ inferioris, quæ & Sancti Dominici nuncupata fuit, conspectus ante regularis instauratæ disciplinæ tempora.



Rædicatorum Ordinis, quem Supremo afflante, & fortunante Numine instituerat Sanctus Patriarcha Dominicus, quamplura in Orbis terrarum regionibus jam erecta Cœnobia, facilioris ac optimi regiminis causa, tribuere placuit Sanctissimo Fundatori in Provincias, quæ octo primum numeratæ sunt. Decretæ divisionis in Capitulo Generali, quod ipse Bononiæ anno 1221. celebravit, Documentum legitur in Actis Capitulorum Generalium Ordinis Prædicatorum, quæ Edmundus Martene, & Ursinus Durand, e Congregatione Sancti Mauri Ascetæ Benedictini, e Codice MS. Tolosano in lucem protulere Tomo IV. Thesauri Novi Anecdotorum, his verbis: "Anno Domini MCCXXI. celebratum „ fuit Bononiæ Capitulum Generale a Beato Dominico: „ in quo fundatis jam per orbem sexaginta circiter Con- „ ventibus, dicti Conventus per *octo Provincias* sunt di- „ stincti: scilicet *Hispaniam*, *Provinciam*, *Franciam*, *Lombardiam*, *Romanam*, *Teutoniam*, *Hungariam*, *Angliam*."

I. *Ordo Prædicatorum in Provincias tribuitur a Sancto Dominico.*

Acta illa in Præfatione Tomi citati censent Editores, collecta in unum Volumen fuisse a *Bernardo Guidonis*, Clarissimo primi Dominicani seculi Scriptore, patria Lemovicensi, & Lodovensi Episcopo, aliisque dignitatibus exornato. Hanc eidem Vincentius Maria Fontana in Constitu-

ſtitutionibus Parte II. num. 1. in *Provincia Hiſpaniæ*, cæterique Noſtrates collectionem, nihil hæſitantes adtribuunt.

11. *Provinciæ Lombardiæ diviſio in duas Lombardiam ſuperiorem, & inferiorem.*

Propagabatur in dies Dominicana gens, cui excipiendæ nova plura conſtruebantur in orbe terrarum Cœnobia. Hinc Provinciis, quas diviſerat Beatus Dominicus, additæ aliæ ſunt: ac una eademque in duas diſciſſa, ut quo facilius a Præfectis duobus, quos *Priores Provinciales* vocamus, eo felicius regerentur. Id accidit Provinciæ Lombardiæ, quæ longe lateque protenſa erat, anno 1301. quo in Comitiis Generalibus Coloniæ Agrippinæ celebratis diviſionem ſanxere Patres. *Priorum Provincialium* hæc fuere Comitia: in eiſque Alberto Januenſi, qui migraverat e vita, Magiſtrum Ordinis undecimum, Bernardum de Juzico Conventus Burdegalenſis alumnum, ſuffectum legimus. Mos porro in Ordine ab incunabulis obtinuit, (quod ſemel adnotari volumus,) ut alia *Provincialium* dicerentur, alia *Definitorum* Capitula Generalia: ac primum *Provincialium* continuo ſequerentur duo, quæ coaleſcebant ex *Definitoribus*: atque hiſce demum *Provinciales* accederent, ſi forte Magiſtri Generalis electio inſtaret.

Sciſſionis decretum his verbis latum legitur in Actis: „ *Provincia Lombardiæ* dividatur. Et dividimus eam in „ duas: ita quod Conventus *Marchiæ Anconitanæ*, & „ *Romaniolæ cum Bononia*, *Mutina*, *Regio*, *Parma*, „ & *Ferraria*, & omnes Conventus *de Patriarchatu Aquilegienſi*, & *Gradenſi*, excepto Conventu *Cumano*, ſint „ una Provincia, & vocetur *Lombardia inferior*, & te„ neat ſecundum locum in Choro ſiniſtro juxta Provin„ ciam Toloſanam. Omnes autem Conventus de *Archie„ piſcopatu Mediolanenſi*, & *Januenſi*, cum Conventibus „ *Papienſi*, *Placentino*, *Cumano*, ſint alia Provincia, & „ *Lombardia Superior* nominetur, & teneat locum in dex„ tro Choro poſt Provinciam Provinciæ. “ Quo in loco animadverte, Patriarchatum, qui *Gradenſis* dicitur, nunc appellari *Venetum*, Metropolitico ſcilicet jure, cum dignitatis ac nominis prærogativa, ex Inſula Grado ad inclitam Venetiarum urbem translato, juſſu Nicolai V. Pontificis Maximi anno 1451. Translationis Tabulas affert Ughellus Tomo V. Italiæ Sacræ. Quæ vero de *Patriarchatu Aquilegienſi* enunciantur Cœnobia, intellige in Iſtriæ locis conſtituta, & in Provincia Forojulienſi: ſed

excipe

excipe *Cumanum*, quod in Civitate Como, seu Novo como habetur, ad Aquilejensem Metropolim pertinente.

Hanc Provinciæ nostræ scissionem, quæ Coloniæ anno 1301. *inchoata* fuerat, ut ajunt, refert Fontana loco citato num. IV. in *Provincia Lombardiæ*, adprobatam fuisse Bononiæ in Capitulo Generali *Definitorum* primo anno 1302. & Vesontione anno 1303. firmatam in Capitulo Generali *Definitorum* secundo. Edictum jam tertio repetitum incipit: *Confirmamus . . . quod Provincia Lombardiæ dividatur: & dividimus eam in duas &c.* Definit vero: *Et hoc habet tria Capitula*. Confirmationes istæ non apparent in Editione Edmundi Martene. Omissionis caussa his verbis aperitur in Præfatione: *In quibus* (actis) *cum plurima statuta ter repeti soleant, utpote quæ vim non obtinerent, nisi in tribus Capitulis Generalibus rata haberentur; ad vitandum quod ex hujusmodi repetitione nasci posset fastidium, neve in nimiam molem cresceret hoc Volumen, ea semel edere contenti fuimus*. Quæ fortasse causæ minus aliis placebunt, qui prædictis in Actis perscrutantes, quam vim lata decreta juxta morem in Ordine obtinerent, frustra quærunt, nec scire possunt.

Provinciæ Lombardiæ divisionem in eodem Vesontino Capitulo Generali mandatam executioni fuisse, colligitur ex ipsis Actis, ubi hæc leguntur verba num. XVII. *Instituimus Vicarios ... in Provincia Lombardiæ inferioris Fr. Bertholdum nuper Priorem Provincialem: in Provincia Lombardiæ Superioris Fr. Guidonem de Coquare;* quo ex loco patet, postremum amplissimæ Lombardiæ Provinciæ Præfectum fuisse *Bertholdum*. In serie Cronologica Comitiorum ac Præsidum Provincialium *Provinciæ*, ut vocant, *utriusque Lombardiæ*, typis edita Bononiæ anno 1741. idem *Fr. Bertholdus*, qui prima vice anno 1289. electus numeratur Prior Provincialis, dicitur *Forojuliensis*. Eamdem patriam exprimit Valerius Moschetta in MS. Priorum Patavinorum serie ad annum 1286. Primus vero qui novam *Lombardiæ inferioris* Provinciam rexit, fuit *Guido*, Vicentinus a patria & a familia *De pileo* dictus, ex illustri comitum Montisbelli stirpe satus. Ex hac præfectura ad infulas Ferrarienses evectum, narrat Bernardus Guidonis apud Echardum in ejus Elogio: *Fr. Guido Vicentinus, Episcopus Ferrariensis per Benedictum* XI. *anno* 1303. (stylo novo

 1304.

1304. die 9. Januarii.) *Erat Provincialis Lombardiæ.*

III.

Provincia Lombardiæ inferioris nuncupari cœpit Provincia Sancti Dominici. Scissus Ordo Prædicatorum in duplicem obedientiam, Romanam, & Avenionensem.

Utraque post seculum, absque ulla status immutatione, diversam nuncupationem subiit Provincia. In Capitulo Generali, *Definitorum* primo, quod Bononiæ anno 1410. celebratum est, statutum legimus: vocari deinceps absque addito *Provinciam Lombardiæ* debere: aliamque Lombardiæ inferioris, *Provinciam Sancti Dominici*. Verba confirmationis refert Fontana Parte II. num. IV. in Provincia Lombardiæ: *Item hanc* (Ordinationem confirmamus:) *quod Provincia Lombardiæ inferioris dicatur de cætero Provincia Sancti Dominici; & Provincia Lombardiæ superioris dicatur, & vocetur Provincia absolute Lombardiæ. Et debent in Constitutionibus, ubicumque fuerint predicta nomina, ut præmittitur, commutari.* Novam scilicet Provincia nostra ex Bononiensi Cœnobio, ubi sacra Patriarchæ *Dominici* lipsana adservantur, appellationem sumpsit.

Non fuere Generalia totius Ordinis hæc Comitia: sed *Urbanistarum*, seu *in obedientia Romana*, ut ævo illo ajebant, ob dirum Ecclesiæ schisma, quod duos pepetit primum, ac tres deinceps Romanos Pontifices, Romæ vel alibi in Italia sedentem alterum, alterum Avenione, ac alibi tertium. Primi duo fuerunt *Urbanus VI.* & *Clemens VII.* quorum scissionem in Ordinibus Regularium, ac in Ordine Prædicatorum partes duæ secutæ sunt. Quæ Urbano VI. adhærebat, novum sibi Magistrum Generalem præfecit *Raimundum a Vineis Capuanum*: quæ vero Clementi VII. parebat, *Eliam Tolosanum* anno 1367. electum agnoscere perrexit: ac ambæ post eorum obitum in ea, quam fuerant amplexatæ, obedientia sufficiebant successores. Ejectis in Concilio Pisano, quod anno 1409. celebravere Patres, Gregorio XII. Romano, & Benedicto XIII. Avenionensi, electoque Alexandro V. huic accessit, adhæsitque Gallia. *Joannes de Podionuccis*, qui Avenionensem regebat obedientiam, Benedictum XIII. agnoscebat cum Provinciis Hispaniæ, Aragoniæ, & ea parte Gallo-Provinciæ, quæ in ditione erat Regis Aragonum. Novum sibi Magistrum Galliarum Provinciæ non crearunt, Thomæ de Firmo obtemperantes, qui Romanæ obedientiæ anno 1401. præfectus fuerat.

Pars utraque pro more Generalia Comitia sejunctim celebrabat: quæ a Michæle Pio, Vincentio Maria Fontana,

tana, aliifque minus accurate recenfita, vel etiam confufa, diligentius numerat ac fecernit Jacobus Echard in Serie Capitulorum Generalium, quam Tomo I. Scriptorum Ordinis noftri, ex Codicibus MSS. Laurentii Pignon, Lingonienfi, & Victorino, erutam typis vulgavit. Itaque *Bononienfe* memoratum Capitulum Generale, præfide Thoma de Firmo, in obedientia Romana celebratum fuit.

IV. *Cœnobia, quæ ad Provinciam Sancti Dominici quartodecimo feculo fpectabant.*

Plurimis, ac florentiffimis Cœnobiis hæc *Lombardiæ inferioris*, feu *Sancti Domini* Provincia conftabat. Locorum ordinem, quo in hujufce Provinciæ Comitiis anno 1303. federunt Cœnobiarchæ, feu *Priores Conventuales*, pofterorum memoriæ reliquit Bernardus Guidonis. Documentum Clarifs. Echardo debemus in Notitia Status Ordinis Prædicatorum, typis edita Tomo citato I. Scriptorum.

In dextro choro.	In choro finiftro.
1. *Bononienfis.*	1. *Veronenfis.*
2. *Faventinus.*	2. *Parmenfis.*
3. *Venetus.*	3. *Paduanus.*
4. *Trivifinus.*	4. *Efinus.*
5. *Reginus.*	5. *Ferrarienfis.*
6. *Mantuanus.*	6. *S. Severini.*
7. *Firmanus.*	7. *Tridentinus.*
8. *Mutinenfis.*	8. *Efculanus.*
9. *Civitatenfis.*	9. *Anconitanus.*
10. *Forlivienfis.*	10. *Ariminenfis.*
11. *Vicentinus.*	11. *Fanenfis.*
12. *Ravennas.*	12. *Recanatenfis.*
13. *Cæfenas.*	13. *Ripanus.*
14. *Imolenfis.*	14. *Bolzanenfis.*
15. *Pifaurienfis.*	15. *Clugienfis.*
16. *Urbinas.*	16. *Juftinopolitanus.*
17. *Camerinenfis.*	

Alia quatuor recentiora memorat idem Bernardus Guidonis loca, quæ anno 1308. fedem habuerunt in Provinciali Capitulo Patavii celebrato: quo etiam anno in eadem Patavina Civitate Comitia Generalia totius Ordinis habita fuere. Sunt vero Conventus.

	17. *Fabrianenfis.*
18. *Cingulanus.*	18. *Utinenfis.*
19. *In Monte Silicis.*	

In Cho-

In Choro finiſtro addendum monet Echardus num. 19. *Conventum Sancti Dominici Venetiarum*. Loci primordia expoſita proſtant in *Monumentis ſelectis* ejuſdem Conventus, quæ typis edita ſunt Venetiis apud Stephanum Tramontinum anno MDCCXXIX. Hujus erectionem Cœnobii *anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo tercenteſimo duodecimo, indictione decima, Menſis Junii die ultimo, Rivoalti* fieri teſtamento mandavit Marinus Georgius, quinquageſimus, ut numerant, Venetiarum Dux. Tabulas ſcripſit *Petrus Baccarus, Presbyter Eccleſiæ Sancti Martini, Primicerius Caſtelli, Notarius, & Aulæ Ducalis Cancellarius*. Jam apte concinnata nova Domus *anno* 1317. *die ultima Auguſti* Ordini noſtro tradita eſt a Gracono Dandulo, & Phyoſio Mauroceno, Sancti Marci Procuratoribus: eademque recepta a Thoma Lauredano, Cœnobio SS. Joannis & Pauli Præfecto. In locorum numero habebatur, quæ *Vicariatus* nomine appellantur: ſuberatque Præfecturæ ejuſdem Cœnobii Sanctorum Joannis & Pauli, donec ipſi anno 1391. ſplendorem attulit B. Joannes Dominici Florentinus, eximius rigidioris diſciplinæ regularis in Italia reſtaurator. Proprium eidem adſertum eſt *Prioris* regimen, quod anno inſequente 1392. capeſſivit probatiſſimus *Thomas*, cognomento *Ajutamichriſto*, ut infra dicendum.

V.
Cœnobia tria, Utinenſe, Civitatenſe, Juſtinopolitanum, Provinciæ Sancti Dominici detracta, addicuntur Dalmatinæ Provinciæ.

Hoc eodem æræ chriſtianæ quartodecimo ſeculo detracta Provinciæ Sancti Dominici fuerunt Cœnobia tria, *Utinenſe, Civitatenſe, Juſtinopolitanum*, in Comitiis Generalibus, quæ prima *Definitorum* fuere, anno 1378. celebratis Carcaſſonæ in Occitania. Latum decretum eſt: *ut natio & patria Dalmatiæ quæ de Provincia* (Hungariæ) *exiſtebat ... eſſet Provincia per ſe ſeparata, & diſtincta a Provincia Hungariæ ſupradicta, & denominaretur ac appellaretur Provincia Dalmatiæ*. Quatuordecim numerantur novæ Dalmatinæ Provinciæ loca: *Dyracen. Scutaren. Dulcinen. Catharen. Raguſinen. Quaren. Spalaten. Tragurien. Sibinicen. Jadran. Veglien. Nonen. Signien. & Arben*: His addenda *tria* ſanciuntur *loca prædicti Ordinis de Provincia Lombardiæ inferioris: videlicet Utinen. Civitaten. & Juſtinopolitanen.* Duorum inſequentium Comitiorum Generalium, quibus res eadem rata pro more, firmaque haberetur, ſupplere defectum placuit Urbano VI. Romano Pontifici, dato *Romæ* diplomate *apud*

S. Pe-

S. Petrum V. Nonas Martii, *Pontificatus anno secundo*, Christi 1380. Diploma extat Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum.

Ægre tulerunt, qui prædictis degebant in Cœnobiis alumni Fratres, sejuncta eadem fuisse a Provincia Sancti Dominici, Præfectoque Dalmatiæ subjecta, a quo satis congrue ob locorum distantiam, ac maris iter regi non poterant. Carcassonensi decreto, ac Pontificiæ Constitutioni intercessere. Certiores porro nos facit Seraphinus Cerva, Ragusini Conventus alumnus, in Actis Comitiorum Provinciæ anno 1388. in eodem Ragusii Conventu adservatis, in quibus *Andrea Dyrachino* ad insulas Ragusinas evecto novum suffecere Dalmatinæ Provinciæ Præfectum Patres, inveniri nullum aut *Civitatensem*, aut *Utinensem*, aut *Justinopolitanum* Priorem, qui cum aliis eadem Acta manu sua, suoque nomine subsignarent.

VI. *Eadem Cœnobia pristinam tuentur, & servant inhæsionem Provinciæ Sancti Dominici.*

Supplices libellos Bonifacio IX. dederunt ipsi anno 1391. quibus tum querebantur, nullam de Cœnobiis nuper adjectis curam hactenus adhibuisse Dalmatinum Priorem Provincialem: tum enixe postulabant, ut sibi de benignitate Apostolica provisum foret: eaque demum adsignaretur Provincia, sive *Dalmatina*, sive *Sancti Dominici*, ad quam pertinerent. Constitutionem eodem anno 1391. dedit Pontifex *Romæ II. Idus Augusti Pontificatus anno secundo*: qua Fratri Hugolino Camerinensi, Procuratori Generali, mandatur, ut *statuat, ac ordinet, quod deinceps tria loca prædicta ad alteram, inferioris Lombardiæ, & Dalmatinæ, Provinciarum, de qua juxta religionis honestatem & utilitatem magis videbitur expediens, in totum perpetuo debeant pertinere*. Ordinationi, quam Hugolinus ferret, *robur* adjicitur *firmitatis: ac si per tria Capitula Generalia successive approbata, & confirmata efficaciter exstitisset*.

Quo rem demandatam exsecutus fuerit modo Hugolinus, monumenta latent, quæ doceant. Certum vero compertumque, tria prædicta Cœnobia ad antiquam Sancti Dominici Provinciam spectasse: inter loca novæ Provinciæ sub eadem *Sancti Dominici* nuncupatione erectæ, de qua postea agendum erit, numerata deinceps fuisse: atque demum translata, uno excepto Utinensi, ad Congregationem *Beati Jacobi Salomonii*. Diploma Bonifacii IX. quod

quod memoravimus, prostat Tomo II. Bullarii Ordinis Prædicatorum.

Hinc labi Sigismundum Ferrarium addiscimus, qui Parte IV. de Rebus Hungaricis Ord. Præd. scribit Capite I. *Hungariæ Provinciam a Dalmatina sub annum Christi MCCCCLXXXVI. sejunctam esse*. In numeris centenariis fortasse cubat Typographi error: numerorum, qui sequuntur, excusari vitium non potest.

VII. *Civitatense memoratum Cœnobium idem est, ac Forojuliense in Provincia Fori julii.*

Cœnobium *Civitatense*, tametsi alia potuerint simili nuncupatione appellari, illud intellige, quod in Civitate, olim *Forojulio*, tum *Civitate Austria*, & *Civitate* sine adjecto, itemque *Civitato*, hodieque *Cividale di Friuli*, positum est. Hisce variis appellatam nominibus unam illam Provinciæ Forojuliensis Civitatem, uberiore sermone ostendimus in Notis ad Concilium Gregorii XII. in *Civitate Austria* celebratum Tomo XV. Conciliorum Venetiis anno 1731. typis edito, & in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis publicæ luci anno 1740. datis. Hinc vero factum, ut Cœnobium nostrum, quod ibi floret, vulgò dictum fuerit, & adhuc etiam dicatur *Civitatense*. Hæc una occurrit appellatio in vetustis, ac ævi sequioris Monumentis: quæ bene multa in ejusdem Cœnobii Tabulario adservantur.

Provinciæ utique Dalmatinæ ab Hungarica sejunctæ cum adtributus fuerit *Utinensis* Conventus; ratio nulla foret, cur intactus *Forojuliensis* relinqueretur, qui eadem exstat in Provincia Forijulii, ac italica milliaria septem, vel octo circiter, Utino distat ad ortum æstivum.

VIII. *Cœnobium idem Civitatense aliud est a Cœnobio Civitatis novæ in Istria. Recens hujusce origo.*

Cœnobiolum *Civitatis novæ* in Istria olim exstabat: quæ & *Æmonia* dicta est. At Cœnobiolum idem legere nuspiam licuit *Civitatense* dictum: sed *Emoniense*, & *Civitatis novæ*, & *de Civitate nova*. Rem conficit omnem Instrumentum, quod in Pergamena scriptum in Archivo nostro Justinopolitano adservatur, nostrique Cœnobioli in *Civitate nova* originem pandit, ac illigat cum anno 1492. post seculum ac duodecim insuper annos ab edita Urbani VI. constitutione. Quod ergo in ista *Civitatense* Cœnobium novæ addicitur Provinciæ Dalmatinæ, intelligi non potest Cœnobium *Civitatis novæ* in istria.

Primam Tabularum partem musculorum dentes rapuere. Quæ pauca supersunt verba, certiores non faciunt: *Anno Millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo* supplices

plices libellos a Dominicanis alumnis de Justinopoli *Generali Consilio Communis*, *& Hominum Civitatis Emoniæ* oblatos esse: ut eo in loco *commode valeant Ecclesiam cum Monasterio*, *& Inclaustris*, *& aliis necessariis construere*. Hanc in Istria, quæ constanti appellatione *Civitas nova* dicebatur, medio circiter seculo duodecimo *Emoniam* vocari cœpisse, atque primum occurrere *Adamum* in Diplomate anni 1140. dictum *Episcopum Emonensen*, alio in Opere adnotavimus: idque fortasse factum, ne ejus Urbis Episcopi cum Episcopis *Civitatis novæ* in Æstuariis Venetis confunderentur, conjecimus. Hæc vero innuisse, hoc loco satis.

Pars altera integrum Emoniæ, seu Civitatis novæ Consilii, cœtusque hominum decretum exhibet, quo nostrorum votis annuitur his verbis: " Suprascriptis Millesf. &
„ Indictione, die decima Mensis Octobris, præsenti-
„ bus .... Magnificus .... D. Laurentius Justinianus ...
„ Potestas Emoniæ antedictus, una cum prædictis suis Ju-
„ dicibus, egressi Civitatem Emoniam prædictam, per-
„ quirendo locum idoneum constructioni Monasterii præ-
„ dicti juxta formam prædictæ Partis captæ: & deinceps
„ veniens apud locum Civitatis, considerata opportuni-
„ tate & commoditate loci infrascripti, favente Deo,
„ sponte, libere, & nullo terrore ducti - . . titulo, &
„ nomine ... irrevocabilis donationis ... dederunt, tra-
„ diderunt, & donaverunt ... Venerandæ & Sanctissimæ
„ Religioni divi Dominici, & Dominis Religiosis præ-
„ dictis terrenum ... hac tamen lege & conditione:
„ quod dicta Religio, sive dicti Fratres, & Religiosi te-
„ neantur, & obligati sint super isto terreno construere,
„ & fundare Monasterium cum Ecclesia, dedicatum.
„ *Divæ Mariæ gra....* sive *divæ Mariæ de populo*, cum
„ Altari SS. Fabiani, Sebastiani, & Rochi ... In quo
„ Monasterio stare, & semper residere Fratres debeant
„ tot Fratres Religiosi, quot dictæ Religioni conveniens
„ fuerit, cum authoritate & facultate ipsi Religioni at-
„ tributa, & concessa, ipsum terrenum tenendi, & pos-
„ sidendi tanquam rem propriam...

Initæ possessionis Acta sequuntur: " Milles. Quadrin-
„ gentesimo nonagesimo tertio, indictione undecima,
„ die Martis decima... Mensis Octobris. Joannes... pro
„ Communi Emoniæ se hodie de mandato egregii Sr.Tho-

„ mæ Volte Vicegerentis prædicti Magnifici Domini Po-
„ testatis .... introduxisse in ... & corporalem possessio-
„ nem terreni, de quo supra fit mentio, Ven. Religio-
„ sum D. Fr. Johannem de Agiis Priorem S. Dominici
„ de Justinopoli, assumentem possessionem ipsam nomi-
„ ne Reverendiss. D. Fr. Joachimi Turriani de Venetiis
„ S. Th. Professoris, & Venerandæ Religionis Sancti
„ Dominici Magistri Generalis, repræsentantem ipsam
„ Religionem ... " Habes hoc loco Domus nostræ, in *Civitate nova* Istriana sitæ, recentiora primordia. Habes etiam *Homines* dictos *Civitatis Emoniæ*, *Potestatem Emoniæ*, *Commune Emoniæ*: haud unquam vero locum, aut Prætorem, aut Cives, Hominesque *Civitatenses* appellatos.

Tabulas MSS. in Episcopali ejusdem Civitatis novæ Archivo adservatas, mihi summa tradidit humanitate Gaspar de Nigris, ornatissimus loci Antistes, postea ad Parentinam Ecclesiam translatus, quæ Bullam hac de re *ab Alexandro Papa VI.* datam, litterasque Ducales *die 13. Junii anno 1494. indictione duodecima*, nomine *Augustini Barbadici* Venetiarum Ducis scriptas, memorant: simulque produnt, jacta fuisse *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Populo*, ac adjuncti Cœnobii fundamenta, *anno Nativitatis* Domini 1494 (more Veneto, adeoque anno 1495.) *Indictione 13. die ultima Mensis Januarii*. Animadversione dignum censeo, Pontificiam recenseri laudati Alexandri VI. Constitutionem, Tom. IV. Bullarii Ordinis Prædicatorum, datam *anno ab Incarnatione 1493. sexto idus Junii, Pontificatus anno primo*: qua Conventus sub eadem *Invocatione Sanctæ Mariæ de Populo*, itidemque *prope muros Civitatis Aquilanæ* in Agrutio nuper erectus, immediato Magistri Generalis arbitrio subjicitur.

Cœnobiolum nostrum *Civitatis novæ* in Istria post seculum a Bernardino Gosellino, novæ Sancti Dominici Provinciæ Præfecto, abdicatum plures ob causas, repudiatumque fuisse, inferius dicemus.

C A-

CAPUT II.

Ejusdem Provinciæ Sancti Dominici status tempore Congregationis ut primum dicebatur, tum novæ Provinciæ utriusque Lombardiæ. Reformationis primordia in Ordine Prædicatorum, & incrementa.

I. *Collapsa in utraque Provincia Sancti Dominici, & Lombardiæ, disciplina regularis erigenda indicitur. Generale Capitulum in obedientia Romana anno 1390. celebratum.*

MAgna, & ingens quartodecimo Ecclesiæ seculo, ac duobus insequentibus accidit, instaurandæ regularis disciplinæ causa, in utraque *Lombardiæ superioris*, ac *inferioris* seu *Sancti Dominici* Provincia immutatio. Regularis disciplinæ in Ordines religiosos, Ordinemque nostrum Prædicatorum, ejusque Provincias invecta vastitas fuerat: quam gravis inchoavit pestilentia, quæ ex India per alias Asiæ regiones anno 1348. erupit in Europam: fovitque, & auxit dirum schisma inter duos Ecclesiæ Christianæ Pontifices, Urbanum VI. & Clementem VII. anno 1378. exortum: complevitque demum invidia Diaboli.

Contritionem populi sui, & Sanctæ Religionis dolebant non pauci Viri Sancti, quos tollere nequitia seculi non potuit: proque virili primævam regularem disciplinam revocare conati sunt, ac pristinum restituere nitorem Ordini. Hocce, quod *Reformationis* opus appellamus, magno erectoque animo Raimundus a Vineis Capuanus, Generalis *in obedientia Romana* Magister, adgressus est. Tum *Officii sui*, tum etiam *Capituli Generalis ultimo celebrati* auctoritate, litteras *Romæ* dedit *anno Domini MCCCXC. die* 1. *Mensis Novembris*, queis lato præcepto constituit: *quod in qualibet Provincia dicti Ordinis sit ad minus unus Conventus, in quo regularis observantia teneatur ad unguem juxta nostrarum Constitutionum tenorem, & formam*. Spes enim erat fore, ut juvenes ad habitum Ordinis adlecti, imbutique legitimis institutis in uno, vel altero cujusque Provinciæ Cœnobio, non irrito conatu regularem, quam didicissent, observantiam propagarent, revocarentque integras ipsas Provincias ad primævam, Deo fortunante, disciplinam.

In Serie Capitulorum Generalium, quæ Tomo I. Scriptorum

ptorum Ordinis Prædicatorum ab Echardo præmittitur, *Viennenſe in Auſtria Definitorum ſecundum* recenſetur *anno* 1388. habitum, & *Ferrarienſe Provincialium anno* 1391. in obedientia Romana: pariterque in obedientia Avenionienſi, *Ruthenenſe anno* 1388. & *Cæſarauguſtanum anno* 1391. Memoratum in litteris Raimundi *Capitulum Generale ultimo celebratum* intelligi non poteſt *Ferrarienſe anni* 1391. cum ipſæ litteræ *anno* ſuperiore 1390. *die* 1. *Menſis Novembris* datæ ſint. Latum ergo fuerit ſaluberrimum pro inſtauranda regulari diſciplina decretum in Comitiis Generalibus anno 1388. celebratis Viennæ in Auſtria.

Obſtant diſertiſſima verba Thomæ Antonii Senenſis, qui ætate illa vitam illuſtrem ducebat, in Opuſculo de quo agemus infra, inquientis: " Circa annum Domini „ 1389. incepta eſt aliqualis *Ordinis Prædicatorum reformatio* in partibus Alemanniæ per quemdam Rev. P. „ Fr. Conradum Theutonicum de voluntate & ordina„tione Reverendiſs. Patris, tunc Magiſtri Raimundi de „ Capua Generalis dicti Ordinis Prædicatorum. Qui Ma„giſter Ordinis *anno Domini MCCCLXXXX.* obtinuit in „ *Capitulo Generali: quod in qualibet Provincia &c.* " Eadem habentur verba in alio ejusdem argumenti Opuſculo, quod incipit: *Incipiunt Reformationes, quæ factæ fuerunt tempore Magiſtri Raimundi*. Hocce Generale Capitulum in obedientia Romana neſcivit diligentiſſimus Echardus: neque alia Ordinis monumenta præſto mihi ſunt, quæ illud commemorent. Illud ego haud rejecerim: cum in ea temporum confuſione nihil facilius, quam minus accuratas texere Capitulorum Generalium duplicis obedientiæ ſeries. Dolendum vero, locum in utroque Opuſculo prætermiſſum, ubi prædicta Generalia Comitia celebrata fuerint.

Raimundi litteras Apoſtolica ratas habuit, roboravitque auctoritate Bonifacius IX. lata *Romæ* Conſtitutione *apud S. Petrum V. Idus Januarii Pontificatus anno ſecundo*, Chriſti 1391. Incipit vero: *Iis, quæ Religionis conſervationem*. Pio, ſanctoque operi reſiſtere quamplures, votorum ac inſtituti immemores, non erubuere: ſibique patrocinium adſciſcere curarunt Philippi de Alenconio Cardinalis Hoſtienſis, qui Patriarchatum Aquilejæ ab anno 1381. ad annum 1387. titulo Commendæ adminiſtrave-

ſtraverat, plurimumque in Romana Curia valebat. Libellum apologeticum ſcripſit Raimundus, incipientem his verbis: *Quia Dominatio veſtra*. Aliam Conſtitutionem, quæ incipit *Apoſtolicæ Sedis dignitas*, Bonifacius edidit *Romæ apud S. Petrum Kal. Decembris Pontificatus anno quinto*, Chriſti 1393. qua *nonnullorum* frangit *conatus: qui ſalutis æternæ immemores, ac timore poſtpoſito nolentes intelligere, ut bene agant, & ſecum alios trahere in præcipitium ſatagentes, ab laudabili propoſito*, cultuque rigidioris diſciplinæ, *damnabiliter retrahebant:* impediebantque, *quo minus ordinatio, ſtatutum, decretum, & mandatum* Raimundi Capuani, & Comitiorum Generalium, *debitum ſortiantur effectum*.

II. *Regularis diſciplina adſeritur in Cœnobio Sancti Dominici Venetiarum. Eximii Viri, obſervantiæ cultores promotoresque. Primus Prior, Fr. Thomas Ajutamichriſto. Congregationis Lombardiæ Initia.*

Jacta vero ſunt, bonis avibus, Reformationis fundamenta in Provincia noſtra *Sancti Dominici*, ſeu *Lombardiæ inferioris*, a Joanne Dominici Florentino in Cœnobio Sancti Dominici Venetiarum. Annum deſignant ſequentia verba, quæ profert ex MS. Tractatu de Reformatione Vincentius Maria Fontana: *Dicta Ordinis reformatio ſequenti anno, videl. MCCCXCI. de Menſe Septembris in Conventu Beati Dominici de Venetiis, qui tunc erat deſolatus ex toto, accepit exordium per Rev. P. Fr. Joannem Dominici de Florentia Romanæ Provinciæ*.

Eadem leguntur verba in memorato Thomæ Antonii Senenſis Opuſculo, de quo latiore mox oratione agendum eſt. Rigidioris inſtauratæ diſciplinæ probatiſſimos in eodem Cœnobio cultores cum laude memorat ibidem Thomas Senenſis: " Cum quo (Joanne Dominici) se tunc
„ invenerunt infraſcripti Fratres, & Patres Videlicet qui-
„ dam Rev. P. Fr. *Robertus de Venoſa* nobilis parente-
„ læ, & ſingularis ſanctitatis, & famæ: & Rev. P. Fr.
„ *Petrus de Aquila*, ambo de Provincia Regni. Fratres
„ *Clemens*, & *Guido de Roggiolo* de Conventu Floren-
„ tino Provinciæ Romanæ. Fr. *Hieronymus de Fulcigno*
„ (al. *Dulcigno*) de Provincia Dalmatiæ: & Fr. *Joannes*
„ *de Camareno* de Provincia tunc Lombardie inferioris.
„ Et alii conſequenter *de Menſe Februarii* ibidem vene-
„ runt: de Provincia Romana quidam Rev. P. Fr. *Tho-*
„ *mas Ajutamichriſto* de Piſis præcipuæ religionis: factus
„ *Prior in dicto Conventu Sancti Dominici* per Rev. Ma-
„ giſtrum eorum ſupradictum (Raimundum a Vineis.)
„ Et cum eo aliqui juvenes, videlicet Fr. *Bartholomæus*

„ *de*

„ *de Piscia*, Fr. *Benedictus*, & Fr. *Basilius* de Florentia. *Eodem* etiam *anno* (ab Incarnatione,) cum tamen intrasset annus 1392. (scilicet Julianus a Calendis Januarii,) non solum intravit Ordinem in dicto Conventu Sancti Dominici quidam Nobilis, dictus Fr. *Joannes Benedicto* de Venetiis: sed adhuc duo seculares de Studio Bononiensi, quorum unus dictus est Fr. *Nicolaus Magistri Joannis Physici de Ravenna*, & alius Fr. Angelus de Camereno. Et quidam alii de Venetiis: videlicet Fr. *Antonius Corario*, Fr. *Nicolaus Magistri Jacobi*, & Fr. *Justus*. Venit etiam ibidem quidam Rev. P. Fr. *Joannes de Duracio* de Provincia Dalmatiæ: qui *Episcopatui* renunciavit, odore observantiæ regularis attractus. Et de Provincia Romana Rev. Patres, Fr. *Paulus Ugolinus*, & *Franciscus de Urbeveteri*: Fr. *Philippus de Apulia* de Provincia Regni, & Fr. *Antonius de Civitato*. Et postea ibi receptus est ad Ordinem Fr. *Hieronymus de Tarvisio*, & alii Fr. *Bartholomæus de Cattis* de Provincia Lombardiæ superioris, Fr. *Antonius de Venusio* de Provincia Regni, & alii. "

Hinc Venetam *Sancti Dominici* domum, quæ *Vicariatus* dicebatur, præfecturæ Cœnobii Sanctorum Joannis & Pauli obnoxius, erexerunt Patres in Conventum sub proprii regimine Præfecti, quem *Priorem* appellamus. Primus innotescit Prior, *Thomas* cognomento *Ajutamichristo*, patria Pisanus, Provinciæ Romanæ alumnus. Venetias ad Sancti Dominici Cœnobiolum venerat *de Mense Februarii*, anno ab incarnatione Domini 1391. *cum tamen intrasset annus* 1392. scilicet Julianus a Calendis Januarij; unde jam patet initium præfecturæ, quæ Thomæ Ajutamichristo demandata fuit. Hinc vero initia ducuntur celeberrimæ *Congregationis Lombardiæ*, de qua latiore sermone inferius agendum.

III. *Scripta hoc ævo de Reformatione Historica Opuscula. Eorum Auctores: præcipuus vero Thomas Antonii Senensis. Opera ejusdem nonnulla accuratius recensentur. Scriptorum errores varii: qui emendantur.*

MS. *de Reformatione* Tractatum, quem supra memoravimus, laudatus Fontana adscribit Raimundo a Vineis Magistro Generali. Opus illud ab eodem illustri Viro scribi potuisse, non imus inficias: at ipsa tamen ab eodem Fontana transcripta verba, & alia plura quæ ibidem affert, atque cætera ad Reformationem spectantia, legimus in Codice MS. in Bibliotheca Forojuliensis Conventus adservato, cujus hæc sunt prima verba: *Incipit prolo-*

prologus in Libellum, sive Tractatum de origine, seu ortu, atque processu status Fratrum & Sororum Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici in Civitate Venetiarum. Operis argumentum, ejusque Auctorem ex ipso Prologo addiscimus: " Quemadmodum pro consolatione generali ,, cunctorum Christifidelium, & præsertim anhelantium ,, specialiter informari *de primordiali, ac originali ortu, ,, pariter & processu, approbatione, & confirmatione, atque promotione generaliter Status Fratrum, & Sororum ,, Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici*, de quo Ordine inter alias eximiæ Sanctitatis personas exstitit Venerabilis Virgo Beata Catharina de Senis, editus fuit ,, per nos, utpote per Rev. P. Fr. *Bartholomæum Dominici* Sacræ Theologiæ Professorem, & per me Fr. ,, *Thomam Antonii*, ambo de Senis, & de Ordine Prædicatorum, quidam *Tractatus* ad plenum informationem continens præfatorum: Ita etiam pro solatio in ,, Domino spirituali aliquarum personarum, & signanter ,, de *alma Civitate Venetiarum*, ego Fr. *Thomas* prædictus dignum duxi quemdam alium *Tractatum*, sive ,, *Libellum* per modum cujusdam .... *Historiæ* seu narrationis componere: in quo historiatur, ut præfertur, ,, declaratur atque narratur *de origine, & processu aliquali præfati status, & Ordinis de Pœnitentia Beati ,, Dominici in Civitate præfata*. " Pollicetur præterea Auctor, nonnulla dicturum se de gestis Beatæ Catharinæ Senensis, *de statu etiam Monialium Corporis Christi Civitatis ejusdem, necnon de origine Observantiæ regularis in Conventibus (Venetiarum, & de Clugio) Ordinem minime dividentis, sed mirabiliter promoventis*.

Rem enarrandam adgreditur Thomas, & ait. " Pro ,, executione ergo supradicti Tractatus, sive Libelli, sit ,, notum omnibus, & maxime Venetis, hæc infrascripta ,, legentibus, sive audientibus: qualiter circa annum Domini 1389. incepta est aliqualis reformatio in partibus ,, Alemanniæ .... *Dicti Ordinis reformatio sequenti anno, videlicet* 1391. *& de Mense Septembris, in Conventu Beati Dominici de Venetiis, qui tunc erat desolatus ex toto, accepit exordium &c.* " Dubium ergo nullum, hanc *Reformationis* historiam a Thoma Senensi confectam fuisse, suoque insertam Tractatui *de origine & processu Ordinis Fratrum & Sororum de Pœ-*

de Pœnitentia Beati Dominici in Civitate Venetiarum.

Codicem vetuſtum MS. habeo, olim Illuſtriſſimi Apoſtoli Zeno, nunc vero ex ejuſdem legato ad Bibliothecam Veneti noſtri Collegii SS. Roſarii ſpectantem, in quo eadem verba, ac cœtera ad opus Reformationis pertinentia habentur omnia. Titulus eſt: *Incipiunt Reformationes, quæ factæ fuerunt tempore Magiſtri Raymundi*. Incipit opus: *Notum ſit omnibus, hæc infraſcripta legentibus, ſive audientibus, qualiter circa annum Domini* 1389. *&c.* A Codice Thomæ ſenenſis differt plurimum. In iſto miſcentur plura, quæ ad Ordinem Fratrum & Sororum *de Pœnitentia Beati Dominici in Civitate Venetiarum* propagatum attinent: in illo ea tantum quæ Reformationis opus illuſtrant, enarrantur ad annum uſque 1395. Num ergo hujuſce operis Auctor fuerit Raimundus de Capua, quod ipſe Thomas exſcripſerit? Animadverſione digniſſima ſunt Hieronymi Albertuccii de Borſellis, patria & profeſſione Dominicana Bononienſis, verba. Ex Codice MS. deſumpta accepi ab humaniſſimo Alexandro Origono, Congregationis Sanctæ Sabinæ, tum Provinciæ utriusque Lombardiæ, alumno, Fideique nunc Quæſitore: nempe, *Notandum eſt hic, quod quia loquuturus ſum de Reformatione Ordinis, ſecundum quod inveni ſcriptum a Fr. Thoma de Senis, ideo ponam totum illum Tractatum, qui continet plures annos*. Mortem obiit Vir Illuſtris anno 1497. eaque verba deſcripta puto ex ejus *Annalibus Cœnobii Bononienſis ab inſtauratione vitæ regularis ad ſuam usque ætatem*. Colligendum primo, Hiſtoriam *de Reformatione Ordinis* dubio nullo concinnaſſe Thomam Senenſem: deinde Hieronymi Albertuccii ſtudio prædictam Hiſtoriam, cœteris prætermiſſis, quæ minime ad rem attinebant, compendio collectam, ſuoque Annalium Cœnobii Bononienſis operi inſertam: tum vero ex eodem opere partem hanc Hiſtoriæ deſumptam, ex eaque Opuſculum quoddam confectum: ac iſtud demum eſſe, quod olim Apoſtolus Zenus poſſidebat. Conjecturam confirmat nota Marginalis in eodem Codice, qui fuiſſe dicitur *Librariæ Sancti Dominici de Bononia*.

Suo in Prologo Opera duo diſtinguit Thomas Senenſis: quorum alterum Auctores habuit ipſum Thomam, & Bartholomæum Dominici: alterum, ſolummodo Thomam.

mam. Istius argumentum jam patet, ex eoque plura desumenda sunt, quæ pertinent ad Reformationem, cujus primordia illustramus. De primo differit Opere Echardus Tomo I. Scriptorum Ordinis in utriusque, Thomæ Senensis, & Bartholomæi Dominici Elogio: quod ab ipsis *anno Domini MCCCCXXII. in Venetiis existentibus* confectum fuisse, deceptus refert, uti mox dicendum. Opus alterum in recensione librorum, quos Thomas elucubravit, apud eumdem Echardum desideratur.

De Opere priore, quod memoravimus, latiore liceat sermone differere, ut ejusdem verus Auctor innotescat, quo etiam tempore scriptum fuerit certo pateat, illud etiam constet quod in eo præstitit Auctor, ac errores ab aliis admissi corrigantur. Notitiam Operis sumpsit Echardus ex prima Constitutionum nostrarum Mediolanensi anni 1505. editione, & ex aliis quæ deinceps sequutæ sunt Constitutionum editionibus: ubi ad *Regulam Tertii Ordinis* præmittitur *quidam Tractatus de initio, & fundatione Regulæ, seu formæ vel modi vivendi Fratrum & Sororum de Militia Jesu Christi de Pœnitentia Beati Dominici*. Post initium hæc leguntur verba: *Pateat universis fidelibus, qualiter ego Fr. Thomas de Senis, una cum R. P. Magistro Fr. Bartholomæo de Senis, ambo de Ordine Prædicatorum, anno Domini MCCCCXXII. in Venetiis existentes &c.* Verissime admonet laudatus Echardus, prædictum Tractatum anno 1505. auctum fuisse: utpote in quo editæ Constitutiones memorantur Romanorum Pontificum, qui longe post ætatem Bartholomæi & Thomæ Ecclesiam Christianam administrarunt, *Eugeni IV. Sixti IV. & Alexandri VI.* Addit etiam Clarissimus Vir in Elogio Thomæ Senensis: " *Genuinum ambo*„ *borum Thomæ & Bartholomæi*, *Tractatum* sibi videri „ eum, *qui servatur Venetiis ad* Sanctorum Joannis & „ Pauli, hoc titulo: Tractatus super informatione, ori„ gine, & processu plenariæ approbationis Fratrum, & „ Sororum Sancti Dominici, Fol. Membr. (ut ex indi„ cibus colligebat.) "

Genuinum utique Tractatum exhibet Codex MS. in fol. Membran. quem Veneta adservat SS. Joannis & Pauli Bibliotheca. Verum titulum accipe: *Incipit quidam Tractatus super informatione originis, & processus, ac plenariæ approbationis, & confirmationis Fratrum, & Sororum*

rorum Ordinis de Pœnitentia Sancti Dominici, *Fundatoris*, *& Patris Ordinis Prædicatorum*. Tres in partes tributus eſt. Incipit prima: " Ad evidentiam aliqualem ha-„ bendam, & *informationem Status Fratrum*, *& Sororum* „ *de Pœnitentia Sancti Dominici*, Patris Fratrum Ordi-„ nis Prædicatorum; *pateat omnibus præſentes litteras in-„ ſpecturis*, *qualiter ego Fr. Thomas de Senis*, *una cum* „ *Rev. P. & Magiſtro Bartholomæo etiam de Senis*, *am-„ bo de Ordine Prædicatorum*, *anno Domini MCCCCII.* „ *in Venetiis exiſtentes*, & inquantum valuimus diligen-„ tius inquirentes de dicto Statu, reperimus tam *quan-„ tum ad initium*, quam *proceſſum ejusdem*, taliter se „ habere &c. " Compertum eſt, hujuſce Partis primæ Auctores fuiſſe Thomam, & Bartholomæum, ambo Senenſes: & ambo *Venetiis exiſtentes anno Domini* 1402. quo de anno accuratius infra agendum.

Partis alterius initium eſt: " Incipit proceſſus *plena-„ riæ approbationis*, *& confirmationis* Ordinis & Status „ Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici, „ faciens ad complementum ſupradicti *Tractatus*, qui eſt „ *de informatione*, *& communali approbatione* prædicti „ ſtatus, & Ordinis. " Latiſſimo enarratur ſermone, quid præſtitum fuerit ad ejusdem ſtatus obtinendam Sedis Apoſtolicæ ſpecialem adprobationem, edita ab Innocentio Papa VII. Conſtitutione, quæ incipit, *Sedis Apoſtolicæ providentia circumſpecta*, dataque *Romæ apud S. Petrum ſexto Kal. Julii Pontificatus noſtri anno primo*, Chriſti 1405. Regula Pontificiæ Conſtitutioni inſerta differt a Regula, quæ legitur in Gregorii IX. Conſtitutione CCXVI. data anno 1235. Tomo VII. Bullarii, in Supplemento. Hæc ſcilicet Regula prior vitæ Fratrum, ac Sororum congruebat, cum ſacræ potiſſimum militiæ adverſum Hæreticos operam ipſi darent: Spiritali militiæ, quæ ſucceſſit, adverſum peccata & vitia, ac diligentiori pietatis cultui convenit altera. Hanc primus inſtruxit Fr. Munio de Zamora, qui Generalis Magiſter anno 1285. electus Ordinem adminiſtravit ad annum usque 1291. Echardum conſule, in ejus Elogio.

Alteram hanc *Tractatus* partem unus Thomas Senenſis elucrubravit. Ille unus adprobationis, & confirmationis negotium agit, urgetque: ejusque unius geſta, diligentia, labores recenſentur. Thomæ de Firmo, Magi-

ſtri

ſtri Generalis, in Alemanniam profecturi, ac Venetiis anno 1402. pertranſeuntis litteræ deſcribuntur *ad Procuratorem Ordinis*; in quibus Thomæ, & Bartholomæo prior ſolummodo pars attribuitur his verbis: " Cum nu-
" per *Venetias* adveniſſem, reperi qualiter per dilectos
" Patres, *Magiſtrum Bartholomæum*, & Fr. *Thomam de*
" *Senis*, confectus eſt *quidam Tractatus*, *concernens* Sta-
" *tum Fratrum & Sororum de Pœnitentia Beati Domini-*
" *ci* Patris noſtri; quem vos ſi nondum vidiſtis, vide-
" bitis. " Datæ litteræ ſunt *Venetiis die V. Octobris MCCCCII.* quo ſcilicet anno poſteriora ſunt, quæ peracta narrantur negotia in altera parte. Die *ſexta Octobris* inſequente aliæ recenſentur ejuſdem Magiſtri Generalis litteræ: quibus uni Thomæ totum præfatæ *plenariæ approbationis & confirmationis* negotium demandatur. " In
" Dei Filio ſibi Cariſſimo Fr. *Thomæ Antonii de Senis*
" Ord. Præd. Fr. Thomas de Firmo ejuſdem Ordinis
" humilis Magiſter & ſervus, ſalutem & noſtræ Reli-
" gionis augmentum ... Quia ulterius non ſolum *ſpecia-*
" *liter*, ſed etiam *generaliter* multa habeatis pertractare,
" *Statum præfatum univerſaliter concernentia*, & in Cu-
" ria Romana, & extra Curiam per diverſas partes Ita-
" liæ ... & *approbationem Regulæ*, ſeu modi vivendi
" præfati ſtatus ... id circo &c. " De re compertiſſima jam ſatis.

Addere liceat, mendum cubare in Serie Capitulorum Generalium, quæ apud Echardum habetur Tomo I. Scriptorum Ordinis, ubi Thomas de Firmo electus dicitur Generalis Magiſter, *Utini die XIII. Maii* 1401. *vigilia Pentecoſtes*. Hoc anno incidit Sacrum Paſcha in diem 3. Aprilis, currente Aureo Numero XV. & littera Dominicali B. unde Sacra Pentecoſte incidit in diem 22. Maii, ac in diem præcedentem 20. ejuſdem Pentecoſtes Vigilia. Hinc vero in ſuperiore Tractatu, quem continet prima pars Codicis, quem illuſtramus, recenſentur ejuſdem Magiſtri Generalis litteræ *ad Fratres & Sorores de Pœnitentia*, quæ datæ leguntur *Utini in noſtro Capitulo Generali anno Domini MCCCCI. die* 25. *Menſis Maii*. Admiſſum errorem diligentiſſimus Echardus emendavit in Elogio ipſius Thomæ de Firmo.

Tertia ſequitur pars Codicis. Incipit: " Ad plenio-
" rem proinde informationem, & ad completum ſupple-

C 2 men-

„ mentum *supradicti Tractatus*, est ulterius adverten-
„ dum: qualiter cum recepissem supradictam Bullam Apo-
„ stolicam (Innocentii VII.) plenariæ confirmationis Or-
„ dinis sæpedicti, Fratrum videlicet & Sororum de Pœ-
„ nitentia Sancti Dominici infra Octavas Beati Domini-
„ ci &c." Indulgentiarum Diplomata, quæ Episcopi plures, ab eodem Thoma Senensi exorati, largiti sunt Fratribus ac Sororibus dicti Ordinis *in eorum introitu & professione*, postrema in hac parte recensentur. Eadem hoc loco indicare liceat: *Francisci Bembo Episcopi Castellani* 1405. die 13. Decembris. *Donati Episcopi Torcellani* 1406. die 16. Februarii: *Pauli Episcopi Clugiensis* 1406. die 17. Februarii: iterum *Francisci Bembo Episcopi Castellani* 1406. die 20. Februarii: *Benigni Episcopi Connaviensis* 1406. die 22. Februarii: *Francisci Archiepiscopi Cretensis* 1406. die 12. Martii: *Andreæ Bono Episcopi Aghinensis* 1406. die 24. Martii: *Leonardi Patriarchæ Alexandrini* 1406. die 5. Aprilis: *Bernardi Archiepiscopi Thebani* 1406. die 10. Augusti: *Johannis Gradensis Ecclesiæ Patriarchæ* 1406. die 24. Septembris: *Angeli Barbarigo Episcopi Veronensis* 1406. die . . . Decembris: *Johannis Archiepiscopi Soltaniensis* 1407. die 13. Junii.

Benignum Connaviensem ex Ordine fuisse Fratrum Minorum, ex ejus litteris colligitur. Apud Wadingum ad Annum 1399. num. 7. vocatur *Episcopus Cenadiensis*. Utraque Sedes, *Cenadiensis*, & *Connaviensis*, ignota mihi. Apud Fontanam in Theatro, Sedes numeratur *Canadiensis* in Hungaria: quam alii urbem vocant *Csonadinum*, & *Chanadinum*, & *Chonad* sub Archiepiscopo Colocensi. Ecclesiam item *Candaviæ*, vel *Canoviæ* in Albania memorat Lequienus in Oriente Christiano. *Leonardum*, qui dicitur *Patriarcha Alexandrinus*, intellige *Delphinum* Patricium Venetum, ad Patriarchalem illam sedem anno 1401. evectum. In Tabulis Veronensibus apud Ughellum in Jacobo Rubeo Episcopo exstant litteræ Michaëlis Steni Venetorum Ducis, quæ docent: *Franciscum Pavonum, qui erat Episcopus Chironensis* (Spina longa in Insula Creta) *translatum fuisse ad Archiepiscopatum Cretensem*. Apud Lequienum inter *Archiepiscopos Thebanos* desideratur *Bernardus*. Gradensem Ecclesiam hoc tempore tenebat *Joannes de Zambottis*. Ad infulas Veronenses Ughellus adnotat, *Angelum Barbadicum* anno 1406.

die

die 2. Septembris translatum ex Ecclesia *Chimensi*. Dicitur hæc *Chisamensis* in memoratis Michælis Steni litteris: quam intellige *Cissamensem* in Insula Creta. Denique *Joannes Archiepiscopus Soltaniensis*, seu *totius orientis* in Perside, vel Majori in Armenia sedem tenebat. Ordinis Prædicatorum alumnus fuisse perhibetur: suasque ipse litteras dedit *Venetiis apud Conventum SS. Joannis & Pauli*. Hanc tertiam Codicis partem unus concinnavit auctor, Thomas de Senis.

Prioris partis, sive *Tractatus* illius, quem communi studio Thomas, & Bartholomæus elucubrarunt, brevissima Epitome prostat, uti jam admonuimus, Regulæ Tertii Ordinis præmissa, in Volumine Constitutionum Ordinis Prædicatorum. Idem *Tractatus*, & *Epitomes* initium: *Pateat universis &c.* In Epitome numeratur *annus MCCCCXXII.* quo Thomas, & Bartholomæus *in Venetiis existentes* opus elucubrarent. Vitio laborat sine dubio annus ille: reponendusque *annus MCCCCII.* ut in Codice nostro; nec enim alius esse potest. Ac primo gesta in Codice narrantur ad annum usque 1407. neque ultra excurrunt: cur ergo anno 1422. scriptus fuerit? Rem faciunt indubiam verba Thomæ de Firmo Magistri Generalis, qui in litteris *Venetiis anno* 1402. datis *die quinta Octobris* ait: *se reperisse, qualiter per Dilectos Patres, Magistrum Bartholomæum, & Fr. Thomam de Senis, confectum fuisse quemdam Tractatum, concernentem Statum Fratrum & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici*. Notum ergo fit, compertumque, Tractatum illum Mense Octobri anni 1402. completum fuisse. Quinimo *Mense Julio* præcedente præfati Tractatus jam confecti notitiam laudato Generali Magistro, dum Lucæ in Thuscia diversaretur, redditam esse Thomas ipse de Senis testatur sub initium secundæ partis: " Considerantes, (inquiens,) „ qualiter *supradictum Tractatum composueramus*, Reve- „ rendiss. Magistro Thomæ de Firmo Generali Ordinis „ Prædicatorum, cum tunc esset in Conventu Lucano „ Romanæ Provinciæ dicti Ordinis, totum curavimus „ intimare: *& hoc de Mense Julii anno Domini MCCCCII.*" Chronico errore deceptum Echardum, errasse in constituendo Bartholomæi Senensis anno emortuali, dicemus infra.

Ad opus Reformationis redit oratio. Ex uno Sancti Domi- IV. *Canobium Clodien.*

ſe in Æſtuariis Venetis reformatur. Joannes Dominici inſtituitur Vicarius Generalis.

Dominici Veneto Cœnobio plures, veluti Coloniæ deductæ ſunt præclariſſimorum Virorum, qui reformationem propagarent, peſſumdatam erigentes regularem obſervantiam. " Creſcente numero Fratrum bene vivere volentium in dicto Conventu Sancti Dominici de Venetiis, (verba ſunt Thomæ Senenſis loco citato,) extendit se dicta regularis obſervantia *ad Conventum Cluginum*: qui tunc non ſolum quantum ad religionem erat totaliter deſolatus, reſidentibus ibidem duobus Fratribus ſine libris, & paramentis, & hujusmodi: ſed etiam in magna parte materialiter deſtructus propter guerram Venetorum cum Januenſibus, quæ annis multis præceſſerat. " Bellum Clodienſe indicatur, anno 1378. inceptum, quod paucis deſcribit Auctor Additamenti ſecundi ad Hiſtoriam Cortuſiorum, latiore calamo Careſinus in Continuatione Chronici Danduli, ampliſſime demum Chinatius apud Muratorium Tomo XV. Scriptorum Italiæ.

" Unde tunc factus eſt ibi Prior ſupradictus P. Fr. *Robertus* (de Venoſa:) & modicum poſt factus eſt ibi Prior P. Fr. *Paulus de Urbeveteri* ſupradictus. " Hæc anno 1392. contigerunt, & anno inſequente 1393. Præclaras Pauli de Urbeveteri virtutes admiratus Joannes Nyder, hæc in Formicario ſcripta reliquit Libro I. Capite IX. *Vidi in Italia, tempore quo fui junior, in Conventu Clugienſi prope Venetias noſtri Ordinis, Priorem Fr. Paulum de Urbeveteri: non dicam hominem, ſed vix homuncionem corpore, ſed gigantem in prædicti* diſciplinæ regularis officiis.

Hanc a Joanne Dominici indictam miſſionem Fratrum, ratam habuit Generalis totius Ordinis Magiſter: datisque litteris *Vicarium Generalem* inſtituit, ut nova conlata auctoritate Reformationem ardentius promoveret, ac validius tutaretur. Litterarum, quæ in Archivo Conventus Sancti Dominici habentur, verba ſunt. " In Dei Filio ſibi chariſſimo F. Johanni Dominici de Florentia, Vicario in Conventibus Venetis Ord. Præd. Fr. Raimundus ejusdem Ordinis humilis Magiſter & Servus, ſalutem & Chriſtum Dominum efficaciter imitari. Quia summe mihi eſt cordi, tentoria filiorum Beati Dominici dilatare; & vos propter multitudinem Fratrum, quam habebatis in Conventu Sancti Dominici de Venetiis,

„ netiis, cujus idem Conventus capax non erat, aliquos „ ex ipsis Fratribus, de licentia Provincialis Provinciæ „ Lombardiæ inferioris, ad Conventum Clugiensem noviter transtulistis: ne dicti Fratres sic translati possint „ quomodolibet molestari, aut a divino servitio impediri; vos in dicto Conventu Clugiensi tenore præsentium „ instituo meum Vicarium specialem, concedens vobis „ omnem auctoritatem in eo, quam vobis concessi & „ commisi per alias meas litteras in Conventu Sancti Dominici supradicto, cum omnibus clausulis, & potestatibus in litteris prædictis expressis: nolens, quod aliquis me inferior vos valeat, seu audeat in executione „ dictarum authoritatum quomodolibet impedire. In cujus rei testimonio præsentes patentes litteras fieri feci, „ & nostri Ordinis sigillo muniri. Dat. Romæ die XV. Julii anno Domini MCCCXCII. “ Alias a Raimundo datas fuisse litteras addiscimus, queis ipse Joannes Dominici Veneto Cœnobio Sancti Dominici, titulo *Vicarii Generalis*, præfectus institutus fuerat. Quis ille fuerit memoratus *Provincialis Provinciæ Lombardiæ inferioris*, desunt vetusta monumenta, quæ doceant. Hanc Provinciam anno 1390. administrabat *Fr. Nicolaus de Moymaco Civitatensis*, (seu Forojuliensis) *Magister Parisiensis* ex Regesto in Archivo SS. Joannis & Pauli adservato: eamdemque gerebat præfecturam anno 1395. ut litteræ patefaciunt inferius memorandæ.

V.
Regularem amplectuntur observantiam Cœnobia duo, Castellanum Romanæ Provinciæ, ac Venetum SS. Joannis & Pauli. Generale Capitulum anno 1393 celebratum in Obedientia Romana. Cœnobiorum observantium emolumenta.

Reformationis propagationem pergit narrare Thomas de Senis. “ Subcrescente numero Fratrum in dicto Conventu Sancti Dominici de Venetiis, extendit se Reformatio præfatæ Religionis *ad Conventum Civitatis Castelli Romanæ Provinciæ*, qui tunc erat multipliciter „ desolatus. Ubi accessit supradictus P. F. Joannes Dominici de Florentia cum decem & octo Fratribus, auctoritate supradicti Reverendiss. Magistri Ordinis, & „ gratia Civium dictæ Civitatis, intervenientibus. “ Ad annum desinentem 1392. hæc referenda sunt.

Venetum sequitur illustre Sanctorum Joannis & Pauli Cœnobium, quod regularis disciplinæ instaurationem admisit. Rem narrat Thomas Senensis. “ Deinde (Joannes „ Dominici e Civitate Castellana) rediens Venetias ad „ Conventum Sancti Dominici supradictum; cum ibidem invalesceret devotio tam Fratrum, quam etiam

„ secu-

„ fecularium, acceffit *ad Curiam*, quæ tunc erat Peru-
„ fii:) ubi Bullas obtinuit pro uno Monafterio conftruen-
„ do. " Monafterium intelligitur fub nuncupatione *Corporis Domini*, in quo Sanctimoniales Ordinis Prædicatorum conftitutæ fuere. Bonifacii IX. datam conftitutionem anno 1393. die 20. Januarii, infra dicendum. " Et
„ cum rediiffet ad Conventum Sancti Dominici de Ve-
„ netiis, inde ad aliquos Menfes celebratum eft *Capitu-*
„ *lum Generale* in Conventu Sanctorum Joannis & Pau-
„ li. " Hoc anno 1393. qui infignitus erat Numero Aureo VII. & littera Dominicali E. incidit Sacrum Pafcha in diem *6.* Aprilis: & Pentecofte in diem 25. Maii; unde præfatum Generale Capitulum celebrari pro more cœpit die 24. ejusdem Maii. " Poftea de *Menfe Augufti* im-
„ mediate fequenti extendit fe confequenter dicta refor-
„ matio, prout *in dicto Capitulo* exftitit ordinatum, ad
„ *Conventum SS. Joannis & Pauli de Venetiis*, interve-
„ niente auctoritate fupradicti Reverendiffimi Magiftri
„ Ordinis, ac Duce Venetiarum, videlicet *Domino Anto-*
„ *nio Venerio*, Ordinis Prædicatorum fingulariter devo-
„ to, cum reliquo dominio id fpecialiter affectante, pro-
„ pter modicam religionem, quæ in dicto Conventu an-
„ tea fervabatur. Unde dictus P. Fr. Johannes Dominici
„ cum duodecim Fratribus de dicto Conventu Sancti
„ Dominici ad dictum Conventum SS. Joannis & Pauli
„ acceffit, exiftente ibidem tunc Priore, & ad idem af-
„ fecto, Rev. P. Magiftro Gregorio de Cefena. Quod
„ fuit anno Domini 1393. In quo anno a fupradicto Re-
„ verendifs. Magiftro Ordinis factus eft dictus P. Fr. Joan-
„ nes Dominici in dictis eorum Conventibus fuus *Vica-*
„ *rius Generalis*. " Litteræ conlatæ dignitatis auctoritatisque perierunt.

Laurentius Pignon apud Echardum in Serie Capitulorum Generalium, negligentiæ Raimundum Capuanum infimulat, quafi Comitia nulla *anno* 1392. *& infequente* 1393. in obedientia Romana celebraverit. Se minus æquum erga Raimundum Pignonus exhibet, utpotequi militaret in *obedientia Avenonenfi*. Generalia hoc anno 1393. celebrata Comitia fuiffe Venetiis, teftatur diligens, & gravis, atque fynchronus Thomas Senenfis. Hinc vero conjectura cadit, qua fibi licere Echardus arbitratus eft, eadem poffe Generalia comitia ad infequentes annos transferre,

ferre, 1394. aut 1395. fidem aliquam, ut ait, Pio, ac Fontanæ, qui prædictum Venetum, teste nullo advocato, Generale Capitulum memorant, conciliaturus.

Cœnobii nostri Sanctorum Joannis & Pauli præfecturam anno 1396. gerebat *Thomas Ajutamichristo* cum Subpriore *Nicolao Magistri Joannis de Ravenna*. Eodem officio fungebatur anno 1397. idem Thomas Ajutamichristo: Juvenumque tirocinium dirigebat *Hieronymus de Fulcigno*, alias *de Dulcigno*, Provinciæ Dalmatinæ alumnus. Thomæ Senensis refero verba, quæ Virorum probatissimorum munera, & emortualem annum patefaciunt: „ Isto etiam tempore (anno 1396.) cum supradictus Magister F. Gregorius de Cesena Prior Conventus Sanctorum Joannis, & Pauli accessisset ad sepulcrum Dominicum; factus est Prior ibidem R. P. Fr. Thomas Ajutamichristo de Pisis, & ejus Subprior Fr. Nicolaus Magistri Joannis de Ravenna ..... Contigit autem dicto anno (1397.) circa Mensem Augusti supervenire pestem in Civitate Venetiarum: dignatusque est Dominus, inter alios & nos Fratres de Conventu SS. Joannis & Pauli visitare de peste, intantum ut quamplures de illa ex nostris feliciter migrarunt ad Dominum. Inter quos unus fuit Ven. P. Fr. *Thomas Ajutamichristo de Pisis*, tunc Prior dicti Conventus: ac Fr. *Hieronymus de Fulcigno*, fervens prædicator, & tunc Magister Novitiorum. “ Fulsinium, seu Fulcinium, nunc *Welka*, oppidulum est Insulæ Curictæ, vulgo *Vegia*, sive *Veglia*, in ora Liburniæ, apud Ferrarium in Lexico Geographico: nec enim *Fulginatem*, seu *Fullinensem*, (*di Foligno*,) in Umbria dici posse Hieronymum nostrum, evincere satis *Dalmatina Provincia* videtur, ad quam spectabat. In margine Codicis, aliena manu corrigente, legitur *de Dulcigno*: quo in loco Cœnobium Ordinis Prædicatorum fuisse, adnotatum est Capite I. num. V. Dolendum vero, regularem disciplinam hocce in amplissimo Sanctorum Joannis & Pauli Cœnobio, Joannis Dominici laboribus adsertam, *post annos tredecim*, communi hostis invidia, laxatam esse: quod adnotatum legimus a Bartholomæa Riccobona Sanctimoniali in Chronico, quod ipsa Venetorum dialecto scripsit, Monasterii corporis Christi. Verba sunt. *Reduxe li Frati de San Zanepolo a vera observantia .. San*

Zanepolo stete più de anni 13. in bona observantia.

In his Cœnobiis dum regularis instaurabatur disciplina, temporalia quoque emolumenta mirum in modum augebantur. Ædes Fratrum, quæ ruinam minabantur, refectæ, & ampliatæ: Sacra Templa instaurata, vel etiam a fundamentis erecta: eleemosynarumque subsidia ad hæc opera peragenda, ipsorumque Fratrum indigentias levandas larga manu a fidelibus erogata. Dignum censuit Raimundus a Vineis Capuanus, Magister Generalis, hæc emolumenta, quæ Fratribus rigidioris observantiæ cultoribus obveniebant, nota reddere in litteris Encyclicis *Palermi* datis *anno Domini* 1395. *die* 26. *Mensis Martii*, quas integras refert Thomas Senensis. Verba sunt *: In Conventibus Venetis ... occasione Fratrum, qui erant in Conventu Minori* (Sancti Dominici,) *suam religionem servantium, procurata sunt circa XX. millia Florenorum & ultra pro Conventu Majori* (SS. Joannis & Pauli :) *& amore istorum, alii consecuti sunt non parvum emolumentum*. Diligentiore calamo hæc eadem narrat Thomas Senensis : „ Non est autem admirandum de quantitate „ pecuniæ in supradictis litteris explicatæ: quia me exi„ stente in Venetiis, & in Clugio, vidi ratione obser„ vantiæ regularis *Conventum Sancti Dominici* de Vene„ tiis in Ecclesia, Dormitorio, & secundo claustro am„ pliatum: *Monasterium Corporis Christi* constructum: & „ præterea *Ecclesiam SS. Joannis & Pauli* pro media „ parte inferiori constructam, & *Capellam Sancti Domi„ nici* ibidem cum *Campanili* ad modum illius Fratrum „ Minorum Sanctæ Mariæ de Venetiis completam. Et „ adhuc vidi *conventum Clugiensem*, qui propter guer„ ras fuerat destructus, postmodum per Fratres ibidem „ religiose viventes reparatum. Cum quibus omnibus „ absque aliis fabricis Conventus in dictis locis, & elee„ mosynis pro victu & vestitu, atque paramentis, & li„ bris receptis, ascendere debuerunt expensæ longe ul„ tra summam pecuniæ supradictæ. “

Venetias *ad Conventum Sanctorum Joannis & Pauli*, *redeuntem de Sepulcro Dominico*, Virum illustrem Thomam de Senis adventasse *anno* 1394. *circa finem Mensis Novembris*, ipse testatur in Codice, quem decerpimus. Suam in Provinciam Romanam abiturus erat : verum *habito*, inquit ille, *cum supradicto P. Fr. Joanne Dominici*

nici colloquio de persona mea, post plura collata adinvicem de voluntate sua, in dicto Conventu remansi.

VI.

Conlata Joanni Dominici facultas Vicarii Generalis ad alia extenditur Cœnobia, aut revocata ad regularem disciplinam, aut revocanda. Dissidia. Floret Congregatio Lombardiæ.

Hæc prima fuere Cœnobia Fratrum quæ regularem instauratam disciplinam profitebantur. Alia plura, cœptum fortunante opus Deo, in dies accedebant. His validiorem ut afferret opem, tutumque munimen Raimundus a Vineis Magister Generalis, *Vicariam* quam Joanni Dominici contulerat, ampliavit præfecturam. Litteras affert Thomas Senensis, his verbis exaratas. " In Dei Filio „ sibi Carissimo Fr. Joanni Dominici de Florentia, nunc „ Provinciæ Lombardiæ, Priori Sancti Dominici in Ve- „ netia Ord. Fratrum Prædic. Fr. Raimundus ejusdem „ Ordinis humilis Magister & Servus, salutem & Chri- „ stum Dominum feliciter imitari. Quia nostri Sanctis- „ simi Ordinis famam celebrem ac præclaram ubique „ terrarum cordialiter esse desidero, & ipsius reformatio- „ nem, zelo Dei me adstringente pariter & cogente, ha- „ ctenus concupivi, & impræsentiarum cupio totis præ- „ cordiis veraciter apparere, & augmentari; hinc est „ quod de multorum proborum Fratrum Ordinis consi- „ lio & assensu, feci quasdam reformationes circa ob- „ servantiam Regulæ, & Constitutiones nostras ad ple- „ num servandas, ad hoc deputando diversos Conventus „ per universas Provincias, qui Deo dante incremen- „ tum, proficiunt & augentur. Quamobrem ut intentio „ mea magis ponatur in executione, & reformatio lu- „ ceat tanquam lucerna super candelabrum posita, ut „ Deus honoretur, ac Sanctorum Patrum nostrorum tra- „ ditiones, & cæremoniæ (proh dolor!) nimium ener- „ vatæ ad pristinum redeant statum, & feliciorem con- „ suetudinem Ordinis; Vos de cujus singulari religione, „ ac morum gravitate, & Ordinis Zelo confido quam- „ plurimum, per presentes in dictis Conventibus jam „ assumptis, & pro me a vobis assumendis per univer- „ sam Italiam, meum facio *Vicarium Generalem*, cum „ plenaria & totali potestate in spiritualibus & tempo- „ ralibus, in capitibus & in membris, dans vobis au- „ ctoritatem visitandi, reformandi, ordinandi, corrigen- „ di, inquirendi, præcipiendi, & vocandi, revocandi, „ innovandi, exigendi, expellendi, conducendi, senten- „ tiandi, denunciandi, pronunciandi, decidendi, alie- „ nandi, & assignandi, silentium imponendi, & omnia

„ & singula alia faciendi, quæ ego ipse facere possum, si
„ in supradictis Conventibus personaliter essem. Ut au-
„ tem Conventus præfatos agilius, liberius, & commo-
„ dius gubernare, & regere valeatis, prout velle me
„ nostis, nolo quod aliquis me inferior se de vobis vel
„ eis quomodolibet intromittere possit sine mea licentia
„ speciali, non obstante quacumque auctoritate sub qua-
„ vis forma verborum cuicumque alteri data, vel con-
„ cessa, excepto duntaxat quod Præsidentes Provincia-
„ rum numerum Fratrum fideliter & sincere teneantur
„ augere, fovere, & nutrire, omni palliatione & sophi-
„ sticatione remota. Si quid autem quæstionis, vel de-
„ fectus (quod absit) emerserit, nolo quod sub aliquo
„ colore visitationis, seu promotionis Præsidens Provin-
„ ciæ, vel Præsidentes, per se vel per alios, Fratres
„ ipsos vexare, aut perturbare, vel molestare, seu amo-
„ vere valeant, vel possint quovis modo, sine mea li-
„ centia speciali: sed omnem causam, aut quæstionem,
„ & quidquid sequitur ad ipsam, mihi reservantes signi-
„ ficabunt. In quorum omnium testimonium præsentes
„ patentes litteras fieri feci, & mei Ordinis sigillo muni-
„ ri. Dat. Romæ die XX. Mensis Novemb. MCCCXCIV."

Magistri Generalis votis, conlatoque muneri, quo pro virili fungebatur Joannes Dominici, repugnabant plures. Conatus eorum cohibere debuit Raimundus datis litteris *Palermi anno Domini MCCCXCV. die XXVI. Mensis Martii*. Inscriptæ sunt: *In Dei Filio sibi carissimis & dilectis universis Fratribus, tam Præsidentibus, quam subditis, sive in Provinciis, sive in Conventibus, cujuscumque gradus, status, dignitatis, ac conditionis existant, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Fr. Raimundus ejusdem Ordinis Magister, salutem & Christum Dominum efficaciter imitari*. Incipiunt. *Urget necessitas multiplici ratione*. Ad *Siciliæ partes* adnotat Thomas de Senis, Raimundum directum fuisse, *Apostolicum Nuncium*. Bartholomæus Dominici de Senis, qui Romanam Provinciam administrabat, litteras easdem acceptas, ad Præfectum Provinciæ Lombardiæ transmisit, suis insertas litteris, quæ incipiunt: *In Christo sibi Carissimis, Fr. Nicolao de Civitato Sacræ Theologiæ Magistro, Provinciali Lombardiæ inferioris, Ordinis Fratrum Prædicatorum, cæterisque Fratribus universis dictæ Provinciæ*. Datæ sunt *Romæ*

die

die VIII. Madii anno Domini MCCCXCV. Dictum *de Civitato* Nicolaum intellige, Conventus Civitatensis seu Forojuliensis alumnum. In Necrologio, quod in ejusdem Conventus Archivo adservatur, ad *Diem XXVII. Julii* hæc habentur: *MCCCXCV. Ob. Rev. P. Magistri Nicolai de Muymaco, Provincialis istius Provinciæ Ordinis Prædicatorum.* Muymacum pagus est in agro Civitatensi, seu Forojuliensi.

Conlatam retinuit *Vicarii Generalis* potestatem Joannes Dominici, donec Raimundus vitam ageret. Reformatos Venetos Conventus regebat ipse, aliosque pro sibi commisso munere ad primævam Regulæ observantiam revocabat. Ejusdem Magistri Generalis litteras, quæ nonnulla complectuntur negotia, refert Thomas Senensis datas *Coloniæ anno Domini MCCCXCVIII. die XX. Mensis Decembris*, in quibus idem Joannes Dominici nuncupatur *Vicarius Generalis tam in Conventibus Venetis, quam in nonnullis Conventibus Italiæ.* Eamdem post obitum Raimundi ratam habuit, contulitque Joanni Dominici auctoritatem Bonifacius IX. edita *Romæ* Constitutione *apud S. Petrum VI. Kal. Decembris Pontificatus anno undecimo*, Christi 1399. Inscriptio est: " Bonifacius Episco-
" pus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio *Johanni Do-*
" *mici de Florentia* Ordinis FF. Prædicatorum professo-
" ri, *Corporis Christi*, & *Beati Dominici*, ac *SS. Johannis*
" *& Pauli* domorum de Venetiis Castellanæ Diocesis,
" & *nonnullorum aliarum* domorum, locorum, sive Mo-
" nasteriorum Fratrum & Sororum ordinis Prædicatorum
" *Generali Vicario, per Sedem Apostolicam deputato*, sa-
" lutem & Apostolicam benedictionem. " Exstat Constitutio Tomo II. Bullarii, quæ incipit: *Religionis Zelus.*

Hanc Joannis Vicariam præfecturam ægro ferebant animo non pauci Fratres, Cœnobiorumque Priores, ac Provinciis Præfecti. Votis eorum annuere placuit Romano Pontifici. Quod ipse largitus fuerat memoratum diploma, novo diplomate rescidit: quod *Romæ* datum est *apud S. Petrum IV. Nonas Martii, Pontificatus anno undecimo*, Christi 1400. Quæ sequuntur accipe verba:
" Cum autem sicut nobis innotuit, *prædictæ litteræ* in
" non modicum Fratrum, & Ordinis, & Priorum, ac
" aliorum Officialium, hujusmodi præjudicium, & gra-
" vamen redundare noscuntur: nos igitur ex præmissis,
" & cer-

„ & certis aliis causis ad id animum nostrum moventi-
„ bus, eumdem *Johannem* ab hujusmodi *Vicariatu* au-
„ ctoritate prædicta, tenore præsentium amovemus: di-
„ ctasque *litteras* sibi concessas, ut præfertur, cassamus,
„ annullamus, & nullius esse volumus roboris, vel mo-
„ menti. Priores, & alios Officiales hujusmodi sic per
„ nos amotos, ut præfertur, suis pristinis officiis, in
„ quibus ante concessionem dictarum litterarum erant,
„ remanere debere decernentes. "

Non diu suppressa mansit hæc *Vicarii Generalis* potestas. Refloruit ipsa, quam Viris idoneis conferebant Generales totius Ordinis Magistri, ad regendam *Lombardiæ Congregationem*, quæ maxima suscipiebat regularis instauratæ disciplinæ incrementa. Pro nutu Magistrorum Generalium creabantur *Vicarii*, magis minusque ampla præditi potestate: deque vita decedentibus illis, ratum firmumque *Vicariorum* munus, ad usque novi Magistri Generalis electionem, declarare consueverant Romani Pontifices. Diplomata consule, Nicolai V. data *anno* 1449. *die* 2. *Septembris* & *anno* 1450. *die* 1. *Augusti*. Ipsa denique reformata Cœnobia, quæ in unam *Lombardiæ congregationem* coaluerant, Prioribus Provincialibus adempta sunt: immediatoque subjecta fuere Magistri Generalis arbitrio. Regiminis ratio, quod Vicarii Generales exercerent, certiore modo definita: quos etiam singulis bienniis postularent, aut eligerent Cœnobiarchæ in Comitiis congregati, confirmarentque Generales Magistri. Hæc complectitur omnia Constitutio Pauli II. quæ lata est *anno* 1464. *die* 13. *Novembris*. Vicariorum series ab anno 1393. ad annum 1531. prostat in Serie Chronologica Comitiorum, ac Præsidum Provincialium *Provinciæ*, ut vocant, *utriusque Lombardiæ*, typis edita Bononiæ anno 1741.

VII. *Conventus ad Reformatam Lombardiæ Congregationem attinentes, in duas Provincias, mox in unam utriusque Lombardiæ nuncupatam, eriguntur.*

Adulto seculo sextodecimo, pristina institutionum Ordinis Prædicatorum disciplina in præcipuis, pluribusque utriusque Provinciæ Lombardiæ, *superioris*, & *inferioris*, aliisque in Italiæ Provinciarum Cœnobiis postliminio recepta fuerat, operi sancto renitentibus aliis. Hinc reformata Cœnobia, ut eadem privilegiis Clemens VII. exornaret, validoque muniret subsidio, duas in Provincias, *Congregationis* titulo sublato, cogenda & erigenda censuit, dato *Romæ* diplomate *die* 2. *Septembris* 1531. *Pontifica-*

tificatus anno Octavo. Consilii causas aperit Pontifex: tum quod ipse experientia docente compererit, *reformationem semper prospere processisse, cum capita, aut Prælati ex reformatis instituti sint, & Provinciarum gubernatio Viris in observantiæ moribus educatis commissa sit*: tum etiam quod universi Ordinis reformatio, quam nimium expetebat ipse, haud facile sperari queat, *donec omnes, vel saltem major pars Priorum Provincialium, qui in Capitulis Ordinis definire, ac leges & statuta condere solent, reformati ... existant*. Diploma exstat Tomo IV. Bullarii.

Consilium hocce, eodem anno, eodemque mense ex parte mutavit Romanus Pontifex: datumque diploma *moderatus est*, alio edito *die 22. Septembris*, quod in citato Bullario legitur, *in favorem vitæ regularis*, ut inquit, *facilius atque suavius conservandæ, & extendendæ*. Duas nuper institutas Provincias in *unam* erigit, *utriusque Lombardiæ* nuncupandam: eamque *duraturam* statuit, *donec reformatis Conventibus utriusque* pariter *Lombardiæ omnibus, per Apostolicam Sedem, petente Capitulo Provinciali, dividenda censebitur*. Rem hanc denunciatam legimus in Actis Capituli Generalis *Provincialium*, in quo Joannes de Fenario electus est Magister Ordinis, anno 1532. celebrati Romæ apud Fontanam Parte II. num. IV. in Provincia Lombardiæ, his verbis: *Denunciamus, Sanctissimum D. N. Clementem Papam VII. Congregationem Lombardiæ extinxisse, & erexisse in Provinciam utriusque Lombardiæ reformatam*.

VIII. *Cœnobia reliqua juxta Provinciæ excidunt. Sub uno Præfecto adunantur, Vicarii titulo.*

Ab hac amplissima Provincia avulsi manserunt Conventus plures, qui ad antiquas *Lombardiæ inferioris seu Sancti Dominici*, & *Lombardiæ Superioris seu Sancti Petri Martyris* Provincias jam ante cum cæteris pertinebant. Immunitates, jura, privilegia amisere, quibus gaudent Provinciæ: dnasque in Congregationes, seu *Vicarias*, (quod tum primo nomen in Ordine Prædicatorum audiri cœpit,) redacti sunt. Retinuit altera nuncupationem *Sancti Petri Martyris*; ac altera dicebatur Congregatio, seu *Vicaria Sancti Dominici*, in qua prima & præcipua habebatur domus Veneta *SS. Joannis & Pauli*.

Primo scissionis tempore, Congregationi *Sancti Dominici* adhæsere Cœnobia *Marchiæ Anconitanæ*: quorum alumni a rigidiore instaurata disciplina hactenus abhorrue-

ruerant. Paucos poſt annos in peculiarem & ipſi *Congregationem* oraculo Julii Papæ III. erecti ſunt. In actis Capituli Generalis, *Definitorum* primi, in quo Magiſter Ordinis renunciatus eſt Stephanus Ususmaris anno 1553. apud Fontanam Parte II. num. XXXIII. in Provincia S. Dominici Venetiarum, hæc verba legimus: *Denunciamus ſupradicti oraculi* (Julii III.) *auctoritate diviſiſſe nos Marchiæ Anconitanæ nationem a Vicaria Sancti Dominici: quam in peculiarem Marchiæ Anconitanæ Congregationem instituimus, atque ereximus*. Diu non ſtetit eadem Congregatio. Curæ, ac regimini Præfecti utrique Lombardiæ commiſſam legimus in Comitiis Generalibus, *Definitorum* primis, Vincentio Juſtiniano præſide, Bononiæ celebratis anno 1564. his verbis: " Committimus, " prout alias commiſſum eſt, Provinciali pro tempore " Lombardiæ *Congregationem Marchiæ*, cum facultate in- " ſtituendi *Vicarium*, deputandi Lectores, & Prædicato- " res, & alia faciendi quæ ad bonum regimen, & pro- " fectum ejusdem Congregationis cognoverit expedire. " Præfectura demum *Vicarii* ſublata, tituloque *Congregationis* extincto, in unam adunata ſunt Marchiæ Cœnobia Provinciam *utriusque Lombardiæ*, cui immiſcebantur.

IX. *Priores Provinciales Lombardiæ inferioris ab initio Congregationis Lombardiæ ad ejusdem Provinciæ extinctionem. Bartholomæi de Senis elogium.*

Diſpendium opere non fuerit, Priorum Provincialium catalogum ſubjicere, qui Provinciam *Lombardiæ inferioris*, aut *Sancti Dominici* eo tempore adminiſtrarunt, quo celebris inſtituta fuit Lombardiæ Congregatio, florebatque. Utor Serie Chronologica typis edita ſuperius citata, maximeque MSS. Schedis diligentiore cura ab ornatiſſimo Dominico Maria Berardello, Bibliothecæ SS. Joannis & Pauli Præfecto, confectis ex Regeſtis eodem in Cœnobio adſervatis, & ex Valerii Moſchetæ Libello *Priorum Conventus Patavini*.

1395. *Nicolaus de Civitato Magiſter Pariſienſis*. Vide ſuperiorem num. VI. & IV.

1400. *Magiſter Anoligonus*, ex Valerio Moſcheta.

1401. *Federicus de Venetiis Magiſter*. Idem fortaſſe, de quo Echardus inter Scriptores Ordinis Prædicatorum ad Annum 1394. cognominatum legimus *de Renoldo* Vol. II. Codicum MSS. Regii Taurinenſis Athanæi pag. 403. ubi hæc habentur: *Queſta expoſition ſopra la Pocaliſſi è ſtada facta per Maiſtro Federigo de Renoldo dei Frati Prædicatori in Padova*. Utini electum prodit

dit Regestum. Laudatum opus etiam Echardus recenset.

1405. *Angelus de Camerino*, Urbini electus. An idem, de quo Echardus ad Annum 1427.? Chronographia, & cætera conveniunt.

1409. *Ardizonus de Pizegottis*, institutus ab Alexandro Papa V. eodem anno edita Constitutione *die* 28. *Julii*, quæ prostat in Bullario. Undecim illum præfuisse annos, notat Valerius Moscheta: quos intelligere continuos non licet, ut infra.

1412. Provinciam regebat idem *Ardizonus*. In Processu contestationum de Sanctitate Beatæ Catherinæ Senensis apud Martene Tomo VI. Amplissimæ collectionis col. 1307. hæc habentur: " Anno Domini 1412. de Mense
" Octobris, tempore *Capituli Provincialis* Provinciæ
" S. Dominici Ordinis Præd. in Festo Sancti Lucæ ce-
" lebrati in Conventu SS. Joannis & Pauli, ego Nota-
" rius infrascriptus habui vivæ vocis oraculo . . . quali-
" ter cum dictum Capitulum celebraretur, intimatum
" fuit R. P. Fr. *Ardezono de Padua* Sacræ Thæologiæ
" Magistro, ac Priori Provinciali dictæ Provinciæ &c."

1415. *Bartholomæus Dominici de Senis*. Idem, de quo num. III. In MS. Processu contestationum de Sanctitate B. Catharinæ Senensis, qui adservatur in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli, exstat Epistola a Joanne Dominici scripta *Constantiæ die* 16. (22.) *Februarii anno* 1416. ac *Venetias* transmissa ad *Paulam* Matrem suam, in Monasterio Corporis Christi Sanctimonialem. Hæc ibi leguntur: *Venerabilis Magister Bartholomæus de Senis, qui modicum tempus est, ex quo ex hac luce migravit, Provincialis existens Provinciæ Sancti Dominici*. Hanc epistolam Italice refert Antonius Maria Biscionius inter alias, quas Florentini Sancti & Beati scripsere, typis editas Florentiæ anno 1736. Data ibidem legitur *die* 22. *Februarii* sine anno. Dies eadem 22. legitur in Autographo, quod videre licuit. Collige 1. Provinciæ nostræ præfuisse Virum illustrem 2. mortem ipsum obiisse anno fortasse cadente 1415. Hinc errore illo chronico, de quo num. III. dictum est, deceptus Echardus annum ejus emortualem differendum jubet ultra annum 1422. quo, ait in ejus Elogio, *vivum* ipsum *habemus*, & *Venetiis agentem*, & *scribentem* cum Thoma de Senis Tractatum *de Ordine Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici*. Isi-

dorus Ugurgierius in Faſtis Senenſibus, (*Pompe Saneſi*,) Tomo I. Tit. VII. num. 37. emortualem annum ejus deſinit *annum* æræ vulgaris 1414. notatque diem 17. *Decembris*. Annum ſi reponas inſequentem 1415. diemque præfatum retineas; conſonant omnia cum verbis Joannis Dominici, qui litteras ſuas *anno* 1416. *die* 22. *Februarii* ſcribens narrat: *modicum temporis* fluxiſſe, *ex quo* Bartholomæus *ex hac vita migravit*. Vincentius Maria Fontana in Theatro in *Epiſcopis Coronenſibus*, obitum ejus illigat cum *anno* 1417. *dieque* 3. *Julii*: ac addit, *Arimini* ipſum obiiſſe. Longe aberrat Chronologia. Illud fortaſſe verum, Bartholomæi obitum *Arimini* contigiſſe: cujus urbis Conventus tunc ad antiquam Lombardiæ inferioris Provinciam, quam ipſe regebat Bartholomæus, pertinebat. Colligendum vero, Infulas *Coronenſes* geſtaſſe nunquam Virum illuſtrem.

1420. *Ardizonus de Pizegottis*. Quo etiam ipſum anno vita migraſſe die 3. Auguſti, teſtatur Moſcheta. Succeſſit *Nicolaus* de *Venetiis*, Forilivii electus. *Medicum* cognominatum legimus altero in Regeſto, in altero *Auguſta* dictum.

1429. *Nicolaus Auguſta*. 1432. Idem.

1435. Leonardus de Matthæis Utinenſis, *Senior* dictus. Conſule Elogium ejus apud Echardum.

1438. *Joannes de Montenigro*, clariſſimus in Concilio Florentino Theologus, hanc Provinciam rexiſſe dicitur. In authenticis monumentis inſcriptum lego *Provincialem Fratrum Sancti Dominici*. Annon potius Romanam Provinciam rexerit, cum eſſet Etruſcus?

1440. *Antonius de Parma* Magiſter, Tarviſii electus. In Codice MS. Bibliothecæ S. Joannis & Pauli nota legitur: *Hunc librum Sermonum Franciſci de Marono largitus eſt Conventui SS. Joannis & Pauli R. Magiſter Antonius de Parma*, *Provincialis Provinciæ S. Dominici Ordinis Præd.*

1443. *Franciſcus Bellunenſis*, ita dictus a patria.

1444. *Franciſcus Donatus* Venetus, Forilivii electus.

1452. *Antonius de Camerino*, Cæſenæ.

1455. *Leonardus Matthæi* de Utino, Anconæ. Senior eſt, ut anno 1435.

1461. *Joachimus de Mercatonovo* Venetus, Anconæ.

1462. *Dominicus Pacius* Venetus, Ferrariæ. Ad Pente-

tecostem hujus anni sederat Joachimus de Mercatonovo Prior Provincialis in Comitiis Generalibus, quæ Senis celebrata fuere.

1464. *Joachimus de Mercatonovo*, Novariæ. Cum hoc Joachimo confundit Echardus Joachimum Turrianum in ejus Elogio. Errandi ansa ex nomine capta.

1466. *Thomas de Ferraria*, Sancti Severini. Provinciæ præfecturam retinuisse videtur ad annum usque 1474. quo successit.

1474. *Franciscus Venetus*, Recineti.

1479. *Joachimus Turrianus* Venetus Provinciæ præfectura potiebatur.

1484. *Paulus Justinianus* Januensis.

1487. *Joachimus Turrianus* Præfecturam gerebat, electus Magister Ordinis in Comitiis Generalibus Venetis die 3. Junii. Successit eodem anno *Christophorus Leopoldus* de Utino.

1490. *Matthæus de Venetiis* Provinciam regebat.

1494. *Benedictus Utinensis*. Hujus litteras *adsignationis*, ut vocamus, datas hoc anno *die* 24. *Maii* ad B. Dominicum Spataforam memorat Jo: Baptista Contarenus, nostræ Congregationis alumnus, in ejusdem Spataforæ Vita, typis Urbini edita 1744. pag. 13. *In Dei Filio sibi carissimo Fr. Dominico Spatafora S. Theologiæ Reverendo Magistro Conventus Sanctæ Citæ de Panormo Provinciæ Trinacriæ Ord. Præd. Fr. Benedictus Utinensis ejusdem Facultatis Professor, necnon Provinciæ Sancti Dominici Provincialis, salutem.*

1495. *Matthæus de Venetiis*, Provinciam administrabat *Mense Majo*.

1497. *Petrus de Cavalcantibus de Utino*. In quaterno expensarum *incepisse* dicitur *officium die* 8. *Octobris*. Ex eodem Quaterno Præfecturam gessit ad annum usque 1505. unde successit

1505. *Benedictus de Utino*. Præfecturam ex eodem Quaterno gerebat *die* 15. *Maii*.

1508. *Benedictus de Utino*. Idem, qui supra.

1512. *Leonardus de Tarvisio*.

1514. *Gabriel Patavinus*.

1518. *Joannes de Tarvisio*.

1522. *Joannes de Cherio*, Provinciam regebat.

1523. *Bernardinus Soldanerius* de Utino, Ravennæ electus.

Ante confirmationem vita migravit.

1524. *Joannes de Linaco*, Provinciæ præfecturam gerebat, quam retinuit ex citato Quaterno usque ad annum 1528. quo fucceffit

1528. *Damianus Loro* Venetus. Provinciam regebat anno infequente 1529. & 1530.

1531. *Gabriel Patavinus*, primus Congregationis, aut *Vicariæ* Sancti Dominici Vicarius, de quo iterum Capite infequenti.

CAPUT III.

Viri illuftres præcipui, qui regularem difciplinam inftaurarunt in Italia. Venetum Sororum Ordinis Præd. Monafterium fub nuncupatione Corporis Domini. Specimen MS. Proceffus Conteftationum de Sanctitate Beatæ Catharinæ Senenfis.

I. *Joannes Dominici Florentinus. Excerpta ex Chronico Bartholomææ Riccobonæ.*

RAimundus a Vineis Capuanus, Magifter Generalis Ordinis Prædicatorum, Sanctum, & grande, & arduum opus *Reformationis* animo concepit, totisque viribus exfecutus eft. Præcipuam contuliffe operam in Italia *Joannem Dominici Florentinum*, ipfumque reformationis initia in Veneto pofuiffe Sancti Dominici Cœnobio, jam patet ex Capite Superiore. Eximii Viri vitam fcripfit Joannes Caroli Florentinus, a Bollandi Continuatoribus editam. Agunt de ipfo quamplures Noftrates. Operæ pretium arbitror ego, Synopfim vitæ ejusdem decerpere ex Chronico MS. Monafterii *Corporis Domini*, quod concinnavit probatiffima Sanctimonialis *Bartholomæa Riccobona*; itemque ipfius Joannis epiftolam, ab Antonio Bifcionio Italice editam, latine recenfitam a Thoma Senenfi, proferre in lucem, quæ plura docet.

Varia ex Riccobonæ Chronico decerpo loca: ipfaque profero verba, Veneta dialecto fcripta. Haud ingratum fuerit, Sanctimonialis ingenium, ac ftylum operis accuratius noffe. " Queſto Sanctiſſimo homo fò della città di „ Fiorenza, fio de honeftiffimi e boni parenti fecondo „ el mondo. El fuo padre se nomeva *Domenego*, e fe„ va el meftier de la Seda: e la Madre se nomeva *Pau„ la* .... La rimafe groffa de lui, quando el padre morite.

„ rite. Nato ch' el fo, li fexe metter nome *Zuanne*. „ Quando el aveva *anni* 14. el volse intrar in l'ordine. „ Habiando dubio la Madre, che li Frati de Fiorenza „ non el vestisse, la el mandò con uno daben marchadante a Viniexia. Stando per obedientia, li cresceva „ el desiderio bon, el visitava spesso la Giesia de *Zanepolo* ... Da può anni do, pensando la Madre che li „ fosse passà el fervor de esser frate, la mandò per lui. „ Et Zonto a Fiorenza, el fo vestito de l'abito de Mess. „ San Domenego nel Convento *de Sancta Maria Novella*, non sapiando la Madre ..... El fo mandato a Parise, e tornò in poco tempo pieno de molta scientia.... „ Perchè el iera *balbeto*, el dubitava di non esser inteso, aldando de le virtù de Sancta Catarina de Siena, „ che in quel tempo iera morta, e feva de gran miracoli. El se racomandò a ella de poter esser inteso, e „ cusì l'ave la gratia .... Non haveva ancora 30. *anni*, „ ch'el fo mandato lector a San Zanepolo ... El stete „ 12. anni in questa Terra lector, e predicator, a petition della Signoria, el iera molto amato da tutti ... „ Reduxe li Frati di S. Zanepolo a vera observantia... „ e stete *più de anni* 13. in bona observantia .... Anchora questo Sancto homo reduxe el Convento de *Mess. San Domenego de Veniexia*, e quel *de Chioza*, quello „ de *Città de Castello*, e quello *de Cortona*, quel de *Fiesole*, ch' è in Fiorenza, tutti in observantia .... El „ prædicava la Quaresima dò volte al zorno, e tutte le „ feste tre, e quattro volte al dì. "

Latiore sermone de fundato, erectoque Monasterio Corporis Christi agit illa. Hæc in lucem promo. " Deliberossi de andar a Corte, per impetrar grazia de far uno „ *Monastier* de l'Ordine de Frati Predicatori da donne: „ e cercando per Veniexia molti loghi, non se potè inchinar se non a quello ch' el Signor aveva disposto, „ (quod sub nuncupatione Corporis Christi pro Virginibus sub regula Sancti Benedicti militantibus erectum „ fuerat.) Se partì de Veniexia, e in pochi zorni zonse a *Peroxa*, dove in quel tempo era la Corte, e sporse la sua petition al Sancto Padre (Bonifacium IX.) „ e questo fo el zorno de la Martire *Sancta Agnete*: & „ el zorno della sua Octava lui ave le Bolle a pleno, „ & tutto quello che lui dimandava. Tornato ch'el fù

a Ve-

„ a Veniexia con magno gaudio, se mese in ordine de
„ comenciar al Moneſtier ... El ſo finido in uno an-
„ no .... che ſo ſerado per mano del dicto noſtro Pa-
„ dre ... nel *Mille trecento nonantacinque*, cioè *nel* 1395.

„ In quel tempo se levà una compagnia, che se chia-
„ mava *li Blanchi*, li quali andava per tutto il mondo
„ cridando miſericordia .... de la qual coſa vedendo no-
„ ſtro padre, che tutto el Mondo ſeguitava queſta devo-
„ tion ... se accordò con molti Cittadini e Preti de far
„ queſta devotion in queſta Terra. El se fece dar el no-
„ ſtro Crucifixo, e cantò la Meſſa a San Geremia, e
„ ordinò la proceſſion con molti Signori, e donne, reli-
„ gioſi, e ſecular, tutti cantando e cridando, Miſericor-
„ dia. E a queſto modo venne a S. Zanepolo. Siando
„ zonti ſul campo, li era apparecchiato uno Capo da die-
„ xe con li ſuoi Officiali per parte della Signoria, e bran-
„ cà el Crucifixo de man de Meſs. Antonio Soranzo ....
„ De la qual coſa la Signoria molto indignata contro no-
„ ſtro Padre, perchè lui aveva ordinata queſta proceſ-
„ ſion ſenza ſua licenzia: & la notte li ſexe Pregadi ...
„ e sbandizolo de Veniexia per anni 5 .... e queſto *fo*
„ *zioba da notte* vegnando el Venere .... Sapiando el
„ noſtro Venerabil Padre la pena, e la neceſſità delle ſue
„ fiolle, ſpeſſo ne conſolava mandandone *di belle Epiſtole*
„ conſolatorie ... Quando el ſo compito el termine del
„ ſuo exilio, el tornò a Veniexia ... El ſtete le fiolle
„ ſotto la cura del Padre *anni 5. e mezzo*: e poi fù ban-
„ dizato. E poi paſſati *che ſo anni 6.* el tornò a Venie-
„ xia, e ſtete *meſi tre*: e poi el tornò a Fiorenza....

„ Quando el fò bandezato, intendando la noſtra tribo-
„ lation, el ne ſcriſſe *molte piſtole* conſolatorie, e de
„ gran ammaeſtramento, le qual ſon tutte reſcritte, e
„ fatto uno libro. Or andando lui per el Mondo, predi-
„ cando e convertendo molta gente, el ne se dismenti-
„ gava mai de nui. El ſcriſſe *uno libro*. Se chiama l'*Iti-*
„ *nerario*, perchè lui andava peregrinando per lo Mon-
„ do: e non poſſando tornar avvanti el termine dato in
„ Veniexia, vojandone conſolar inſieme con li altri ſuoi
„ amixi, el ſcriſſe quello libro. Nel qual ſi contien *la*
„ *Expoſition della Cantica Canticorum* .... Anchora el
„ ſcriſſe *ſopra al Geneſi*, figurando queſto Moneſtier all'
„ arca de Noe. El ſcriſſe *Expoſition ſopra el Magnificat*,

e uno

„ e uno libro *della perfection de la Charità*, uno altro „ libro *delle Sette beatitudini*. Questi libri sopradetti so„ no in el nostro Monestier, quanti belli Sermoni, e tra„ ctati contra l'eresie, e scisme de' Papi, defandando la „ Sancta fede Catolica....

„ La sua Venerabil Madre me dixe, che quando lo in„ trò all'Ordine, l'aveva *anni 16.* e vivete fin anni 65.... „ Intendando la sua Reverentia, ch'el Sancto Padre (Gre„ gorius XII.) voleva far la union de la Sancta Giesia, „ andò a Corte per confortar el Sancto Padre, che l'era „ homo de gran virtù, e sapientia ... Pocho drieto *el so* „ *facto Vescovo di Ragusi*: da può el so facto *Cardenal*, „ non per simonia, ne per danari, ma per le sue gran „ virtù .... Gran fadighe durò per la Sancta Giesia *an*„ *ni* 13. ch'el stete in quello rezimento .... In 1419. adi „ 10. Giugno pasò di questa Vita el nostro Venerando „ Padre Missier *Fra Zuandominici*, fondator, e padre di „ questo Monestier. "

11. *Animadversiones in historica superiora excerpta. Joannis Dominici gestorum Chronographia. Menda Scriptorum plura correcta.*

Nonnullis animadversionibus Historica Riccobonæ Excerpta illustranda sunt. Joannem Dominici *honestissimis parentibus* natum narrat ipsa, Joanne Caroli consentiente in Vita Capite I. *Pater illi Dominicus fuit: vir quidem popularis, suo tamen in genere clarus. Maternum vero genus a populari item femina, & eadem pudicissima duxit.* Adnotant plura Continuatores Bollandi ad Diem X. Junii.

Venetias missum Joannem *annos quatordecim* natum, ut a proposito se Deo apud Fratres Prædicatores Florentinos devovendi amoveretur, silent alii: refert Riccobona fide dignissima. Cum Florentiam regressus Ordini nomen dedisse dicitur *ætatis anno sextodecimo*, hunc intellige completum annum, ut infra dicendum. Annum efferunt *decimum Octavum* S. Antoninus, & Joannes Caroli.

Nondum *triginta natus annos* Lectoris munere fungebatur in Veneto Sanctorum Joannis & Pauli Cœnobio. Ipsum *duodecim annis*, antequam exul mitteretur, quod accidit Mense Novembri anni 1399. degisse Venetiis, narrat Riccobona: unde Venetias ipsum adventasse, Lectoris munus obiturum, circa annum Christi 1387. dicendum est. Reformationis opus adgressum esse anno 1391. adnotavimus Capite superiore. Perfectum ab eo Monasterium *Corporis Christi*, seu *Domini*; in eoquè spectatissimæ probitatis sorores, virgines, & viduas, inclusas fuisse *Mense Ju-*

Junio, *die Festo Sanctorum Apostolorum anno* 1395. *millesimo trecentesimo nonagesimoquinto*, expressum legimus in Riccobonæ Chronico, tum integris litteris, tum notis arabicis. Patentissimum sine dubio sphalma chronicum est, cum annus 1394. numerari debeat. Hac de re inferius agendum.

De *Albatorum* agminibus, qui alba lineaque veste induti, bini & bini procedebant, per Civitates & loca discurrentes, ac preces & hymnos canentes Deo, ut peccatores ad frugem redigerentur, iratumque ea schismatis tempestate Numen placaretur, sic habet Hieronymus foroliviensis Ordinis Prædicatorum in Chronico, quod apud Muratorium exstat Tomo XIX. Scriptorum Italiæ: *Anno Domini* 1400. *de Mense Septembris comparuit in Italia unum singulare*, *& mirabile factum*. Albatorum agmina discurrentia describit, & ait: *Et hoc factum est in omnibus aliis Civitatibus*, *præterquam Venetiis Sapientibus*. Id agi cœptum in Italiæ Civitatibus *anno* præcedente. 1399. notat Scipio Ammiratus in Historiis florentinis Libro XVI. Ait etiam Jannotius Manetus in sua Historia Tomo citato apud Muratorium: *Anno ante quadringentesimum*, *novum &c.* Imo demum *mirabilis*, quem vocat, *motus* istius *populorum* ad annum 1398. refert initia S. Antoninus 3. P. Tit. XXII. Capite III. §. XXXII. Hanc firmat Chronologiam Joannes Dominici in Epistola inferius memoranda. In hocce facinus, quod in *Venetiis sapientibus* ipse Joannes attentavit, Venetorum Patrum indignatio exarsit. Exul ergo ipse *ad annos quinque* abire jussus. Quo id anno acciderit, quove Mense, & quo die ex ipso Joanne Dominici, & ex Riccobona addicimus. In Epistola ad Sorores Corporis Christi, data *Florentiæ XXIII. Decembris* 1400. ait ille: " Credevo assai fosse la Justi-
" tia Divina placata, & Sazj *i Bianchi*, che l'*anno pas-*
" *sato adi* 24. *di Novembre* di notte con faccelline ac-
" cese apparvano a *Mangiavacca*, (ostium Padi fluvii,)
" dicendo con furore: noi andiamo a metter fuoco nel-
" la Città di Vinegia, come più tempo fa ve ne scripsi
" prima. Morì proprio *compiuto l'anno*, & in quell'ora
" l'eccelso *Doge* (Antonius Venerius,) non solo di Vi-
" negia, ma di tutta l'Italia corona ... Ora è *un'anno*
" del Mese di *Novembre* a San Joan e Paolo *furono ro-*
" *sti i Bianchi*, i quali gridavano misericordia. " An-

num

num habes 1399. & Mensem Novembrem. Obitum quippe Antonii Venerii Ducis consignant Scriptores Veneti anno insequente 1400. & die 23. Novembris : additque Marinus Sanutus *horam nonam noctis*; unde dies est 24. ejusdem Novembris. Post hanc diem, quæ anno 1399. littera Dominicali E. insignito, vocabatur *Feria prima*, Albatorum agmen duxit Joannes: exilio certe multatum ipsum fuisse *die jovis*, seu Feria quinta, 27. ejusdem Novembris, *nocte* cum pro more Patrum Senatus haberetur, Riccobona testatur.

Memoratam epistolam typis edidit Biscionius, aliasque plures, quas exilii tempore ad sorores Corporis Christi dedit Joannes. Has omnes Manuscriptas possideo. Alias in lucem protulit Senator amplissimus, Flaminius Cornelius in Ecclesiis Venetis, Decade I. typis impressa Venetiis apud Jo: Baptistam Pasquali 1749. Adservantur adhuc aliæ apud Sacras Virgines Monasterii *Corporis Christi*. Operis, quod *in Genesim* vir præclarissimus, teste Riccobona, elucubravit, mentionem ingerit in Epistola, quam *Florentiæ* scripsit *die* 20. *Februarii* 1401. inquiens: *Alcuna cosa* (*del Munistero* Corporis Christi) *ne notai in una lectione sopra il Genesi, per voi cominciai l' anno passato* (1400.) De suo *Itinerario*, quod etiam Riccobona recenset, sic ait in Epistola data *Arimini 16. Decembris* 1402. „ Vi mando per buona mano il *primo Volume* dell' „ *Itinerario* mio, e forsi ancora il *secondo* .... Il quale „ sarà ancora forse *otto Volumi*, & forse dieci. Non prædi- „ cando, & caminando, ne sò ciascun mese uno. " Ab hocce Itinerario diversas Joannem Dominici concinnasse lectiones in *Canticum Canticorum*, facile colligas ex Thoma Senensi, qui in Codice frequentius citato hæc habet : " Dicto anno 1398. & die 3. Mensis Novembris „ contigit, de peste decedere, bonæ memorie Fr. Ni- „ colaum, Priorem Conventus Sancti Dominici de Ve- „ netiis .... Et cum tunc dictus Fr. Joannes actualiter „ legeret in Conventu SS. Joannis & Pauli *librum Can-* „ *ticorum*; super illo verbo, quod sibi tunc temporis oc- „ currebat, videlicet *Indica mihi quem diligit anima* „ *mea*, quamplura laude digna de dicto Domini dilecto „ in ipsa lectione inferuit. " Diversas ipse Joannes Dominici Expositiones distinguit in Epistola citata : *Avrò caro di sapere*, (inquiens,) *quale è di più frutto, o quest'*

F *Ope-*

Opera presente, o quella feci quando era lettore nell'esulante Terra. Itinerarii partes aliquæ in Bibliotheca Sanctorum Joannis & Pauli adservantur.

Desinente anno 1404. statutum quinque annorum exilii tempus effluxerat. Virum optimum coram videre optabant Veneti Fratres, ac Sorores Corporis Domini, & amici. Venetias ipsum remigrasse *post annos sex*, narrat Riccobona. Ex Thoma Senensi in suo ad sæpe dictum Tractatum supplemento primo addiscimus, Joannem Dominici *anno* 1405. *die* 1. *Maii Senis* degisse, tum *ad Curiam* Romanam profectum esse *ex parte Communitatis Florentiæ*. Spes erat fore, ut expeditis Romæ negotiis, Venetias adventaret. Id colligimus ex ipsius Thomæ litteris ad ipsum datis eodem anno *die 7. Julii*, ubi hæc habentur: " Litteras vestras recepimus die 7. ,, Julii ... Amplius refrigerium affuisset, ubi huc ante ,, medium presentis mensis Julii, prout vestra Paternitas ,, *expectabatur*, advenisset. Quia tamen *post Romanum* ,, *accessum* huc est, Deo dante, *venturus* ... Et huc ,, prout expectavi, inveniendo suis portitor litteræ præ- ,, libatæ. " Aut eodem anno 1405. cadente, aut ineunte 1406. iter Venetum suscepit Joannes, degebatque in urbe Mense Januario. Rem narrat Thomas Senensis: *Pro aliquali declaratione*, inquiens, *supradictæ Bullæ plenariæ confirmationis Ordinis Fratrum & Sororum de Pœnitentia Beati Dominici*, (quam Innocentius VII. anno 1405. die 26. Junii dederat,) *Fr. Joannes Dominici ... responsionem dedit uni Nobili Dominæ Isabettæ de Domo Lyon de Venetiis, de Mense januario 1406. ipso Fratre Joanne tunc in Venetiis existente*. Hinc fides probatissimæ Riccobonæ constat, quæ Joannis Dominici reditum *post annos sex* exilii constituit.

Riccobonianæ narrationis partes alias confirmant, aliaque docent ad *Archiepiscopatum Ragusinum* spectantia, Epistolæ superius memoratæ, quas Matri suæ Paulæ dedit Joannes Dominici *Constantiæ die 22. Februarii anno 1416.* Italice scriptas legimus apud Biscionium. Latine relatas a Thoma Senensi in Processu MS. Contestationum de Sanctitate B. Catharinæ, in lucem profero. " Venerabili Matri nostræ Sorori *Paulæ* de Florentia in ,, Monasterio Corporis Christi Venetiis. Quoniam mo- ,, dici sunt dies, ex quo mihi de vestro languore gravi ,, inno-

„ innotuit, hinc eſt quod vobis ſuper id nondum ſcri-
„ pſi: quemadmodum aliquando feci erga ægritudinem
„ aliquarum Sororum veſtrarum, ac filiarum etiam cum
„ profectu. Modo conſiderata annoſa antiquitate veſtra,
„ morbique veſtri ſpecie, illud unicum vobis transmitto
„ remedium: quod veſtræ ſaluti puto amplius expedire.
„ Hoc eſt, quod poſt feſtivam patientiam, & antiqua-
„ tam humilitatem, recommendetis vos; non per obli-
„ gationem obſervantiæ, eo quod etiam ubi ab infirmi-
„ tate præfata liberaremini, non ideo a vobis diſcedet
„ alia valetudo veſtra graviſſima videlicet ſenectutis: ſed
„ potius cum cordiali devotione, plena fide, voluntate
„ cararum concurrente Sororum, auxilioque orationum
„ ferventium B. Catharinæ, quæ ſecundum corpus fuit
„ de Senis, quod tandem Romæ reliquit; & ſecundum
„ animam eſt, & fuit, & ſemper erit de cælo, ſperans
„ quod ejuſdem conſocia eritis in Paradiſo, præſertim
„ obſervando humilitatem, atque patientiam de qua ſu-
„ pra. Satis me movet teſtificatio de vita ſua, atque
„ miraculis, dico illorum quos per longam experientiam
„ novi, eſſe homines veridicos, ac in vita Sancta con-
„ ſpicuos, qui enarraverunt ſe vidiſſe res mirabiles, con-
„ verſando cum ſupradicta Beata .... Scitis vos habere
„ unum filium, (ipſe eſt Joannes Dominici,) qui *ſe-*
„ *ptem & decem annorum* exiſtens, eſt Frater Prædica-
„ tor effectus: qui linguam habebat taliter impeditam,
„ quod in receptione ſua ſibi Fratres non modicum re-
„ ſiſterent, dicentes: ipſum nullatenus valere pro Ordi-
„ ne, ſed potius ad hoc deveniret ut unus joculator fra-
„ trum efficeretur. Et tamen hoc non obſtante impor-
„ tunitate devicit eos, & ita finaliter receptus dedit se
„ poſtmodum totaliter ad ſtudium, quantum valuit, at-
„ que devotioni ut ſic utilis eſſe poſſet in Ordine. Po-
„ ſtea vero inveniens ſe in Senis, ſentienſque ſe habe-
„ re deſiderium prædicandi, cum non videretur ſibi ſe-
„ cundum alios in ſcientia deficere, ſolum de non poſ-
„ ſe dolebat propter vinculum linguæ prædictæ, quod
„ utique bis in ſeculo incidere feceratis. Et inveniens
„ ſe quadam vice de nocte ante imaginem prædictæ San-
„ ctæ in Eccleſia, ipſam deprecatus eſt cum illa obliga-
„ tione, qua ſcivit, & ſub certa obligatione, ut ſibi
„ impetraret a ſuo largiſſimo Sponſo expeditæ benefi-

 „ cium

„ cium linguæ, itaquod pronunciaret in salutem anima„ rum divinum verbum. Quantum autem, & qualiter „ ista sibi concessa fuerit gratia, notum est Reverentiæ „ vestræ, ac etiam magnæ parti totius mundi .... Ad„ jungo, seu addo propter utilitatem aliorum, Reveren„ dum Patrem Magistrum *Nicolaum de Neapoli*, qui „ mortuus est *in Senis*, tempore quo *Curia* residebat, „ *Archiepiscopus Ragusinus*, cui ego in *Archiepiscopatu* „ *successi*, mihi dixisse &c. Data Constanstiæ die deci„ masexta Februarii (22.) MCCCCXVI. " Hoc eodem *anno* 1416. vita mortali migrasse sororem *Paulam*, Joannis Dominici matrem, Riccobona testatur. Die quarta Junii jam objerat, ut colligitur ex Epistola abs Sanctimoniali ejus Nepte data eadem *die* 4. *Junii* 1416. ubi hæc habentur: *In presente per questa non vi voglio scrivere del transito della buona memoria di vostra, e mia Reverenda madre*.

Ad dignitates quod attinet Joanni conlatas, hæc habet Joannes Caroli in ejus Vita Capite V. num. 46. *Ea tempestate apud Lucam Gregorius XII. versabatur. In his ergo rerum suarum difficultatibus, Joannem Dominici Ragusinæ Ecclesiæ Præsulem declaravit*. Et num. 47. *Ragusinum Antistitem creavit Cardinalem*. Eadem ergo in Civitate *Lucæ* utraque exornatus fuit dignitate Joannes: quod etiam tradit Sanctus Antoninus Parte III. Tit. XXII. Capite V. §. I. Pagius in Breviario Romanorum Pontificum, Theodorici de Niemo calculis hærens, Gregorii XII. itinera sic digerit, ut Roma egressus anno 1407. die 9. Augusti, perrexerit Viterbium: tum ineunte Septembri Mense, Senas adjerit: & anno insequente 1408. mense Januario exeunte, accesserit Lucam: eaque ex urbe post diem 2. Mensis Julii discesserit. Eamdem chronographiam confirmat Raynaldus. Fontana in Theatro Dominicano, Ragusinis ovibus Joannem præfectum a Gregorio XII. narrat *anno* 1406. 4. *Kal. Augusti*, seu die 29. Julii. Nulla venia dignum sphalma: cum Gregorius, nonnisi die 30. Novembris, aut 2. Decembris ejusdem anni 1406. electus fuerit. Diem promotionis ad *Archiepiscopatum Ragusinum* retinentes alii *vicesimam nonam Julii*, annum mutant, numerantque insequentem 1407.

Inconcussa repugnant plura monumenta. Thomas de Senis in primo ad Tractatum de *Ordine Fratrum & Sororum*

rorum de Pœnitentia Sancti Dominici Supplemento, simplicem *Fratrem*, dignitate nulla Ecclesiastica auctum, exhibet Joannem primis *Augusti* diebus ejusdem anni 1407. Verba sunt: " Unde cum ipse *Frater* Joannes Do-
„ minici Venetias Nuncius Apostolicus *de Mense Augu-*
„ *sti* postmodum de Curia advenisset pro causa unionis
„ Ecclesiæ, (Venetum istud Joannis Dominici iter,
„ aliud est ab eo, de quo superius egimus;) antequam
„ inde discederet, dimisit litteras testificatorias super præ-
„ fata gratia Indulgentiæ plenariæ. (Scilicet,) Noverint
„ universi ... quod anno Domini 1407. die undecima
„ Mensis Junii a Domino nostro summo Pontifice D. Gre-
„ gorio XII. ego *Frater* Johannes Dominici de Floren-
„ tia Ord. Præd. obtinui ... In quorum omnium testi-
„ monium presentes litteras fieri feci in Conventu SS. Jo-
„ nis & Pauli dicti Ordinis Præd. de Venetiis, anno quo
„ supra, *die quarta Mensis Augusti*, in qua celebratur
„ vigilia ipsius supradicti Beati Dominici Patris nostri. "
Post Julium Mensem, & die quarta Augusti simplici *Fratris* titulo potiebatur Joannes. Vigilia erat Festi S. Dominici, ut observabatur ætate illa: sed postmodum Festum ipsum ad diem quartam ob aliud Festum S. Mariæ ad Nives transtulit Paulus Papa IV. anno 1558. die *6.* Augusti. Luculentiora ipsius Joannis Dominici præsto sunt verba in Epistola superius descripta, ajentis: *Magistrum Nicolaum de Neapoli in Senis, tempore quo Curia residebat, mortuum esse Archiepiscopum Ragusinum, cui in Archiepiscopatu successit* (ipse Joannes.) Adnotatum est, *Septembri* Mense anni 1407. *Senas* adiisse Gregorium cum Curia, & anno insequente 1408. mense *Januario* exeunte, *Lucam* adventasse. Id ergo certo colligitur, nonnisi post Augustum mensem anni 1407. Nicolao de Neapoli, Senis denato Archiepiscopo Ragusino, *quo tempore ibi Curia residebat*, in ejus dignitatem successisse Joannem. Id imo contigisse demum insequente anno 1408. testantur Joannes Caroli, & Antoninus, qui infulis ipsum Ragusinis exornatum narrant a Gregorio XII. dum apud *Lucam versaretur*: quam in urbem nonnisi *anno* 1408. & *Januario mense exeunte*, adventasse Pontificem summum, adnotavimus. His consonat Chronologica Archiepiscoporum Ragusinorum series apud Jacobum Petri Lucarum in Compendio Annalium Civitatis Ragu-

Ragusinæ, quæ ita se habet: 1383. (1387.) *Andreas Dyrachinus*. 1393. *Nicolaus Foroliviensis*. 1404. *Nicolaus Saccus Januensis*. 1408. *Joannes Dominici*. Alterum istum *Nicolaum* vocat *de Neapoli* successor ejus Joannes Dominici in superiore epistola. Ecclesiam Ragusinam, seu jus ad eam non tenuit Joannes nisi annum unum, utpote Ecclesiæ negotiis ibidem residere inhibitus: unde seriem suam Archiepiscoporum texere Lucarus pergit: 1409. *Antonius Viates Pisanus*.

Eodem anno 1408. inter S. R. E. Cardinales adlectus fuit noster Joannes. Justus Fontaninus, Archiepiscopus Ancyranus in Opere, quod inscripsit *Della eloquenza Italiana*, sic ait pag. 674. edit. Rom. " Gregorio XII. „ nel 1408. *IX. Kal. Maii*, che vuol dire *ai XXIII. di* „ *Aprile*, e non *ai IX. di Maggio*, come ci fù chi cre- „ dette, ne creò quattro (Cardinali ...) Uno di que- „ sti ... fù *Giovanni Domenici* dell' Ordine de' Predica- „ tori, Prete del titolo di S. Sisto, e Arcivescovo di „ Ragugi, e da prima autore del Monistero delle Mo- „ nache del *Corpus Domini* della Città di Venezia, alle „ quali egli stesso il giorno dopo la sua promozione con „ lettera volgare ne diè parte, dicendo: *essergli conve-* „ *nuto accettare quella dignità, come a Christo la corona* „ *di spine*. " Calculis suis fidem ut conciliaret Vir illustrissimus, Joannis Dominici litteras exhibere debuisset, quæ datæ legerentur *die* 24. *Aprilis*, ne dies illa, quæ *post ejus promotionem* exprimitur, aliam quandam diem, ac diem alterius Mensis intelligi pronum esset. Cæterum constitutæ a Fontanino Epochæ apertissime adversantur Cardinalium litteræ, quibus ipsi Principibus cæterisque fidelibus recessum significant a Gregorio. Datæ sunt *anno* 1408. *die XIV. Mensis Maii* apud Raynaldum. Narrant illi vero: *die Veneris quarta Mensis instantis* (Maii) *in Palatium se congregatos esse*: sibique mandatum, ne *Civitate Lucanensi* discederent: ipsumque Gregorium *die Mercurii sequenti nono die mensis ejusdem* (Maii...) *ad promotionem, quam nullatenus poterat, in quatuor Cardinales devenisse*. Nona Maii dies certo ac perspicue Cardinalium promotioni adsignatur. Annus Christi 1408. littera Dominicali A. G. insignitus erat: adeoque dies *Veneris* in *quartam* Maii incidebat, diesque *Mercurii sequens* in *nonam* ejusdem Mensis. Chronicam eamdem no-

notam alia confirmant apud Raynaldum monumenta. Antiquorum Cardinalium provocatio ad futurum Concilium recensetur num. 9. quæ incipit: *Anno a Nativitate Domini MCCCCVIII. Indictione prima die Dominica VIII.* (VI.) *Mensis Maii*. Tum hæc habentur: " Die
" *Veneris quarta Maii* cum irent (præfati Cardinales) ad
" Palatium, invenerunt domum habitationis vestræ etiam
" intrinsecus plenam viris, & satellitibus armatis. (Et
" infra:) Quia non consentiebant *creationi novorum Car-*
" *dinalium* ... quia nec vos Sancte Pater de jure creare
" *illos potestis*, nec *debetis*. " Non ajunt Cardinales: *non potuistis*, *nec debuistis*; nondum enim die sexta Maii Dominica creati fuerant. In Responso *super appellatione olim Cardinalium*, dato *Lucæ pridie idus Junii*, perspicua sunt omnia. Hæc legimus num. 13. " Prædicta *quarta* die
" *Mensis Maii*, volens procedere ex causis supradictis *ad*
" *provisionem Cardinalium* novorum ... advocavit illo
" mane præfatum Dominum Lucanum. (Et num. 14.)
" Die *nona* præfati *Mensis Maii*, prædictus Dominus no-
" ster *volens creare Cardinales* ex prædictis causis, fece-
" rat vocari Cardinales, quorum aliqui venerunt... dans
" eis intelligere ut si crearet in præsentia, crearet tan-
" tummudo duos: sin autem in absentia, crearet plures;
" quemadmodum *creavit quatuor* ... Distulit actum pu-
" blicum consuetum fieri super nova creatione Cardina-
" lium usque ad *diem sabbati immediate sequentem*, sci-
" licet *duodecimam*. Unde die *Veneris* de mane, die vi-
" delicet *undecima*, qua die prædicti appellantes recesse-
" runt a præfato Domino ... & promiserunt se venturos
" in sequenti *die Sabbati* de mane &c. " Luculentius nihil adduci potest, quo certo innotescat: *Die nona Maii Mercurii* quatuor Cardinales a Gregorio XII. creatos esse: ipsorumque publicationem dilatam fuisse ad *diem duodecimam*, quæ *Sabbatum* erat. Ad litteras quod attinet Joannis Dominici, a Fontanino memoratas; diligentia tametsi omni adhibita, inveniri in Archivo Sanctimonialium Corporis Domini non potuerunt: quas habeo tamen pro certo, prædictis minime posse calculis repugnare.

In hac dignitate vitam egisse Joannem *annos tredecim*, legimus in Chronico Riccobonæ. Error est. Denatum ipsum eadem scribit probatissima Sanctimonialis *anno* 1419.

die

die 10. *Junii* : unde dignitatem retinuit Joannes annos undecim, mensem unum, diem unum. Longius aberrat S. Antoninus, qui vita migrasse virum pleclarissimum narrat *anno Christi* 1418. ac nihilominus *Cardinalatus annos* numerat *duodecim*, *vel circa*. Ætatis ejus annus in Chronico Riccobonæ legitur *sexagesimus quintus*, & apud Sanctum Antoninum *sexageximus tertius* . Cæteris Riccobonæ calculis non convenit annus ille ætatis . 65. Narrat ipsa , Joannem exulem Venetiis abiisse cadente Novembri mense anni 1399. post *duodecim Venetæ commorationis annos* : igitur Venetias adventaverat anno 1387. adulto, vel etiam ad finem vergente . Tunc vero nondum ipsum *triginta annos* natum fuisse memorat. Annos illos intellige nondum completos: igitur natales ejus, ut summum, illigari possunt cum anno 1358. Inde vero ad diem 10. Junii anni 1419. nonnisi sexagesimus secundus completus , aut inchoatus insequens sexagesimus tertius numerari potest . Post *annos 16.* nomen Ordini dedisse , ait Riccobona: sed annos *septem & decem* ipse numerat Joannes in Epistola superius descripta; unde id accidisse demum colligitur anno circiter æræ vulgaris 1374. Ad extinguendam Boemorum hæresim missus ille fuerat Sedis Apostolicæ legatus : ac Budæ extremum suum obiit diem.

III.
Erectio Veneti Sororum Ordinis Prædicatorum Monasterii sub nuncupatione Corporis Domini. Chronographia accurate exposita. Idem Regimini Fratrum ademptum.

Inter præclara Joannis Dominici opera locum meretur Veneti Monasterii erectio sub nuncupatione *Corporis Domini*. Bartholomæa Riccobona, ejusdem sacri loci Soror, amplissimum Chronicon confecit.. Prima Monasterii initia ita se habent . Lucia ex Patricia gente Theupola , quæ tres annos ac triginta, regulæ Sancti Benedicti voto solemni obnoxia , Monasticam vitam in Murianensibus Monasteriis prope Venetias egerat , intus Deo movente ac inspirante, sacrum optabat erigere locum in ipsa principe Urbe, titulo *Corporis Domini* nuncupandum . Cordis impulsum aperuit primum *Francisco Quirino*, qui sedem Patriarchalem Gradensem tenebat : ejusque consilia probavit, rem omnem dirigente Deo , Sanctissimus Patriarcha. Manus etiam adjutrices præstitit *Paulus Foscarus*, eo tempore Episcopus Castellanus: cujus nomine facultatem scripsit *Bartholomæus Episcopus Agriensis* , ejusdem Vicarius Generalis , *anno MCCCLXXV. Indictione XIII. die XVII. Decembris*. Apud Lequienum in Oriente Chri-

Christiano Præsul iste desideratur inter Episcopos *Agrienses*, aut *Agienses*, aut *Cydonienses* in insula Creta. Christi sponsis paratus locus erat: sed quæ venirent ad nuptias sub regula Sancti Benedicti non inveniebantur, Deo reservante locum Sororibus Ordinis Prædicatorum. Ab anno circiter 1387. ministerio verbi incumbebat in Cœnobio *SS. Joannis & Pauli* eximius vir Joannes Dominici. Virgines quædam adolescentulæ, probatæque viduæ, quibus erat ille a confessionibus, ac Sanctimoniales nonnullæ, quæ charismata meliora æmulabantur, animi vota aperuerant, ut ipso curante, nuperum *Corporis Domini* Monasterium fere desertum meliori forma aptaretur, in quo conclusæ vitam agerent cælesti sponso dignam, institutionibus Sororum Ordinis Prædicatorum præ divi Benedicti regula adsumptis. Hæc typis edita prostant in Monumentis selectis Conventus Sancti Dominici Venetiarum. Hinc vero Joannis Dominici curæ incipiunt, ut conceptum opus executioni mandaretur.

Accuratissimam texit Historiam Riccobona. Hac etiam de re uberrime agit Cornelius Flaminius, Senator Venetus, in sua prima Ecclesiarum Venetarum decade. Gestorum Chronographia accurate mihi exponenda. Chronici Riccoboniani pars aliqua superius num. 1. in lucem prolata est. Decerpenda alia sunt ex breviore ejusdem argumenti opere, quod ipse confecit Joannes Dominici. Editum ex Codice SS. Joannis & Pauli prostat loco citato apud amplissimum Senatorem Cornelium. Alio utor ego Codice, quem adservant Sanctimoniales *Corporis Domini*. Incipit: *Richiedi da me instantemente Fiol diletto, ch' io te descrivi lo principio de la fondation del Monasterio del Corpo de Christo &c.* Quis ille fuerit, cui Opusculum suum nuncupat Joannes, & quo anno scriptum, discimus ex ejusdem Joannis Epistola, data *Florentiæ* 20. *Februarii* 1401. " Ch'io vi scriva *il cominciamento del Munistero*, „ m'è grave al presente, e per più cagioni farlo nol pos- „ so ... Frate *Tomaso Paruta* una distesa nota gli diedi „ *pochi giorni inanzi mi partissi da Vinegia*. " Itaque anno 1399. mense Novembri, quo exul Venetiis discesserat, opusculum scripserat Joannes. Thomæ Parutæ mentionem ingerit Thomas Senensis in Codice sæpius citato, his verbis: " Postmodum vero *de Mense Januarii* (anno „ 1399.) dictus Fr. Joannes Dominici, associans sibi quem-

„ dam Fr. *Thomam Paruta de Thomasinis* de Venetiis ,
„ Pisas accessit. “ Digna sunt animadversione Bartholomæi de Zambertis verba in Indice MS. inter Codices olim Clarissimi Apostoli Zeni: *Tomasina familia Veneta popularis venit ex Luca, ex qua Thomas, Franciscus, Jacobus, & Joannes Tomasini Cives Veneti privilegio* 1335. Hos habuit progenitores Thomas noster: cognominatus etiam *Paruta* abs cognomine Marci Parutæ, Tutoris ejus.

Historica excerpta ex Joanne Dominici jam accipe:
“ L' *anno* dell' Incarnation del Signor *Mille trecento no-*
„ *nantaquatro* ... celebrando Messa *nel primo zorno de*
„ *zener* ... tanto desiderio me accese de l'opera .... El
„ Signor Dio ne concesse prospero viazo ... Arrivai *a*
„ *Peroso adi 16. di Zener nel Zuobadì a* hore 15.... Nel
„ *Zorno de la sua santa solennità* (Beatæ Agnetis Mar-
„ tyris) lavi la supplication segnata: e nel *Zorno della*
„ *Octava*, nel qual se dixe la Festa *de la Beata Agne-*
„ *te seconda*, havi le Bolle compide d'ogni sua Scriptu-
„ ra. E nel *giorno seguente*, quando si fa de Sancta
„ Agnete secunda, seguendo *l' Ordine de' Frati Predica-*
„ *tori* per rispetto de la translazion del Corpo glorioso
„ de Missier S. Thomaso Doctor, mi fò facta la dimi-
„ nution de la taxa: ma nel *Zorno trigesimo*, nel qual
„ el Convento de Parisi fa de essa Beata Agnete per ris-
„ petto de la Festa di S. Constantio, recevei le Bolle,
„ (cioè) *due Bolle* ... Nel giorno de la Beata Agnete,
„ secondo el costume dell'Ordine nostro, siccome è an-
„ tedicto ... la tassa fò diminuita ... Per la qual cosa
„ ne la *Feria quinta*, intercedente la Beata Agnete, *nel*
„ *penultimo Zorno* seguente mi partii da Corte ... Et
„ infra *diexe Zorni* ... intrai nella Città (di Venetia.)...
„ Comprate alcune poche Caxe *del Mese de Mazo* dell'
„ anno sopranotato, comenzasimo la fabrica ... In ter-
„ mine di *Mesi dodexe*, tota la dicta fabrica fò condotta
„ a perfection ... Nel Zorno adonca de li Apostoli Sancti
„ Pietro & Pavolo, li quali fondarono la Giesia de Christo,
„ ne la *Feria seconda*, ne l' *anno del Signor mille trecento*
„ *nonantacinque*, (Monasterio inclusæ fuerunt probatissi-
„ mæ virgines, viduæque, in Deo sub regula S. Augusti-
„ ni, ac Fratrum Prædicator. institutionibus militarent.)“
Ad Venetam dialectum puto a Sorore aliqua redactam fuisse hetruscam Joannis Dominici lucubratiunculam.

An-

Annus enunciatur 1394. quo Joannes Dominici facultates Apostolicas impetraturus, Perusium adjerit ad Romanum Pontificem. Mendum est apertissimum, quod librarius admiserit, non Joannes Dominici. Impetratæ *Constitutiones duæ* exstant in Bullario Ordinis Prædicatorum. Primum diploma, quod incipit, *Sinceræ devotionis affectus*, inscriptum *dilectis in Christo Filiabus Abbatissæ & Conventui Monasterii Corporis Christi*, datumque, *Perusii*, Chronicas notas exhibet, *diem XIII. Kal. Februarii*, & *Pontificatus annum quartum*. Alterum etiam, quo operis executio *Venerabili Fratri Episcopo Caprulano* committitur, datum legitur eodem modo, *XIII. Kal. Februarii Pontificatus anno quarto*. Incarnationis anni non comparent: siquidem nonnisi sub Eugenio IV. statutum fuit, ne in Diplomatibus Pontificiis anni Incarnationis imposterum omitterentur. Bonifacius IX. ad summum evectus fuit Pontificatum *anno* 1389. *die* 2. *Novembris*: consecratusque *die undecima* ejusdem Mensis. Itaque Mense Januario anni 1393. in cursu erat *annus quartus* ejusdem Bonifacii, a die 2. Novembris inceptus anno superiore 1392. Hoc etiam anno 1392. circa Mensem Octobrem Perusinam in urbem profectum esse Bonifacium, eademque anno insequente 1393. egressum circa finem Mensis Augusti, narrant Niemus, S. Antoninus, aliique.

Epocham confirmant Raimundi Capuani, Magistri Generalis, litteræ ad Joannem Dominici datæ: queis ipsi facultas fit, Sororum Monasterium, quod animo designabatur, recipiendi. Litteras affert Thomas Senensis: "In „ Dei Filio sibi charissimo Fr. Johanni Dominici de Flo„ rentia, Vicario in conventibus Venetis & Clugiensi „ Provinciæ Lombardiæ inferioris, ac in Conventu Ca„ stellano Provinciæ Romanæ, Ordinis Prædicatorum, „ Fr. Raimundus ejusdem Ordinis humilis Magister & „ servus, salutem & Christum Dominum efficaciter imi„ tari. Quamvis per Constitutiones Ordinis nostri sit ex„ presse inhibitum, ne aliquis Frater curam mulierum „ ipsi Ordini nostro procuret propter multiplicia scanda„ la, quæ quandoque inde sequuntur; quia tamen ubi „ fructus animarum & salus manifeste apparet, non de„ bemus nos retrahere a labore, potissime cum Ordo „ noster secundum dictarum Constitutionum tenorem „ noscatur institutus pro animarum salute: Vobis de cu-

 „ jus

„ jus Zelo erga eamdem salutem animarum experimen-
„ taliter , & multipliciter sum longo tempore informa-
„ tus, nec est mihi dubium, quin prudenter & discrete
„ vos habeatis in omnibus , sicut semper hactenus ha-
„ buistis ,) præsentium tenore committo plenarie vices
„ meas omni modo, quo melius possum & valeo; qua-
„ tenus vice mea possitis, *præsupposita semper Apostolicæ*
„ *Sedis licentia* , in inclita Civitate Venetiarum recipe-
„ re unum locum, seu Monasterium, & ibidem congre-
„ gare Sorores quæ regulam S. Augustini, & Constitu-
„ tiones aliarum Sororum nostro Ordini commissarum
„ juxta modum consuetum profitentes observent secun-
„ dum gratiam a Domino sibi datam . Cæterum quia
„ constat mihi nihil , quod *super dicto Monasterio reci-*
„ *piendo Bullas Apostolicas impetrastis* , *quarum tenorem*
„ *non vidi*; ad habendam tamen cautelam, vobis & cun-
„ ctis præsentes litteras inspecturis , notifico earumdem
„ tenore: quod nullatenus intendo, sicut non valeo, ab
„ *Apostolicæ concessionis*, seu dispositionis tenore quomo-
„ dolibet deviare. Quinimo ipsis *Apostolicis litteris*, quan-
„ tum possum, humiliter me conformo: & vobis mando
„ districtius, quod eas in omnibus observetis: & secun-
„ dum illarum formam transfero in vos, & vobis com-
„ mitto plenarie vices meas , ut absque denunciatione
„ quacumque possitis omnia & singula facere in rece-
„ ptione, ordinatione , & congregatione tam Monaste-
„ rii, quam Sororum supradictarum, quæ ego facere pos-
„ sem si essem præsens, etiamsi mandatum exigerent spe-
„ ciale. Prohibens unicuique me inferiori, quod vos in
„ prædictis non valeat impedire quoquo modo: decernens
„ etiam irritum & inane, quidquid per quemcumque me
„ inferiorem contra præsentem concessionem , & com-
„ missionem fuerit attentatum . In quorum omnium te-
„ stimonium præsentes patentes litteras fieri feci, & mei
„ Ordinis Sigillo muniri. Datum Romæ die 10. Mensis
„ Madii 1393. “ Annum habes æræ vulgaris 1393. & mensem Majum, quo Apostolicas jam impetraverat Joannes litteras: quas attamen Raimundus Capuanus ignorasse videtur . Nihil vero ante litteras Apostolicas egisse Joannem pro Veneti Monasterii fundatione , satis patefaciunt quæ hactenus dicta sunt.

In Opusculo , quod ipse Joannes *de origine ejusdem* Mo-

Monasterii nuncupavit Thomæ de Thomasinis Parutæ, ait: *sex jam annos excurrisse* ab ejusdem Sacri loci institutione, (*Conciosiacosachè per la poca memoria manco perfettamente me arricordi de quelle cose, le qual gia sie anni scorsi hanno havuto fin.*) Opusculum Thomasino traditum adnotavimus *anno* 1399. *Mense Novembri*: qui jam ergo *effluxerant sex anni*, ab anno 1393. numerandi sunt. Quid vero? Quod ipse Joannes in eodem Opusculo Chronicas notas apponit, quæ annum 1393. indicant, ac certo definiunt. Ait, *se Perusium adventasse die 16. Januarii, quæ dies erat Jovis.* Annus 1393. littera Dominicali E. insigniebatur: quæ docet, diem *sextamdecimam Januarii* fuisse *diem Jovis*. Ait etiam, *Feria quinta, penultima die Januarii, Perusio discessisse Venetias*: eademque littera Dominicali E. indicante constat, *diem* 30. *Januarii* anno 1393. fuisse *Feriam quintam*. Quæ demum de Festo *B. Agnetis* Virginis & Martyris, deque Festo ejusdem *secundo* Joannes ibidem adnotat, optime se habent omnia. Vetustum MS. mihi præsto est Breviarium *secundum Ordinem Fratrum Prædicatorum*, in quo ita legimus in Kalendario præfixo: *XII. Kal. Febr.* (21. Jan.) *Sanctæ Agnetis Virg. & Mart... V. Kal.* (28. Jan.) *Translatio Sancti Thomæ. IV. Kal.* (29. Jan.) *Sanctæ Agnetis secundo*. Cum vero Joannes ait, *die Sanctæ Solemnitatis Agnetis* libellum supplicem Summo Pontifici porrectum *signatum* fuisse; hanc *solemnitatis* diem, intellige more Ecclesiastico inceptam a primis vesperis, die 20. Januarii celebratis: quo utique die Bullæ Apostolicæ datæ fuerunt.

Eodem anno, *Mense Majo*, sacri loci fabricam cœptam esse, narrat Joannes Dominici: *annoque* expleto, seu *duodecim mensium* spatio, perfectum fuisse opus. Rem eamdem Riccobona memorat. Conficitur ergo, insequente *anno* 1394. paratas in ædes Virgines, viduasque, sub Sancti Dominici regula militaturas, ingressas esse. At *annum* 1395. in laudato Joannis Opusculo notatum legimus: ipsumque annum bis exprimit & verbis, & notis arabicis Riccobona, *nel mille trecento nonantacinque, cioè* 1395. Mendum alterum Chronicum est, quod librarii calamo excidisse, satius fuerit conjectari. Plura sunt, quæ constitutam confirmant epocham. Adnotat Joannes Dominici: novo conclusas fuisse Monasterio sorores *die Fe-*

sto

sto Apostolorum Petri & Pauli (29. Junii) *Feria secunda*. Annus 1394. littera Dominicali D. insignitus incedebat: eademque in Calendariis diei 28. mensis Junii affixa Dominicalis littera perspicue probat, diem insequentem 29. memoriæ Apostolorum Petri & Pauli sacram, fuisse *Feriam secundam*. Riccobona refert, Sorores corporis Domini sub cura ac regimine Joannis Dominici, *antequam exul Venetiis abiret, annis quinque cum dimidio* stetisse. Exul ille Venetiis anno 1399. abiit cadente Mense Novembri: quo ex tempore si retro numeres quinque annos & dimidium, in annum æræ vulgaris incidis 1394. ac Mensem Junium. Servant ejus loci Sanctimoniales litteras Joannis, datas *Castelli die V. Julii anno* 1400. ubi ait: *sex anni elapsi sunt, ex quo primum Religioni nomen dedistis*. Rationes accurate si subducas, id efficitur: annos illos *sex jam elapsos*, a die vicesima nona Junii, Apostolis Petro & Paulo Sacra, certissime inceptos, nonnisi ab anno 1394. computari posse. His demum accedit Thomæ Senensis testimonium: *Sub titulo Corporis Domini*, inquientis, *& ad formam Monasterii Sancti Dominici de Pisis dictum Monasterium fabricavit* (Joannes Dominici:) *& taliter quod in sequenti anno MCCCLXXXXIV. de Mense Junii triginta Moniales*, (septem & viginti numerat Riccobona,) *introduxit in illud ad observantiam regularem dispositas; non solum sub perpetua clausura, sed etiam quod nunquam aliquam personam ad extra, vel ab aliqua quovis modo videri possent*. De hac igitur fundationis epocha dubitare nefas est.

Saluberrima, quæ Joannes Dominici statuta præscripserat, Apostolico firmat vigore Bonifacius IX. dato *Romæ* diplomate *apud S. Petrum XIV. Kal. Junii Pontificatus anno nono*, Christi 1398. Erectum, riteque institutum Monasterium processu temporis majora habuit incrementa, aucto Sororum generis nobilitate, ac vitæ Sanctimonia præstantium numero: quarum elogia suo texit in Chronico sæpe laudata Riccobona. Eas Apostolicæ Sedis favoribus cumulavit Eugenius IV. pluribus editis Constitutionibus, XLIX. & LIV. & CCXXXIII. data *Florentiæ anno Dominicæ Incarnationis* 1441. *idibus Decembris, Pontificatus anno undecimo*: qua Monasterio proxima subjicitur Sanctæ Luciæ Parœcia. Unione soluta, nupero Monasterio *Sanctæ Mariæ Annunciatæ*, quod Augustinianæ San-

Sanctimoniales erexerant, eadem addicitur Parœcia litteris Pontificiis a Sixto *IV. datis anno* 1476. *die* 30. *Martii*. Acres exortæ sunt lites, quas idem Pontifex aliis componit litteris eodem anno *die* 16. *Junii*.

Ad annum usque 1534. Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, ac Veneto Cœnobio Sancti Dominici Præfectis paruerunt nobilissimi Monasterii *Corporis Domini* Sorores. Rixarum occasione data, regimini Fratrum facer locus ademptus fuit, sedique Apostolicæ immediate subjectus. Litteræ adservantur, quas in forma *Brevis* dedit Clemens VII. *anno* 1534. *die* 18. *Aprilis*, *Pontificatus anno undecimo*. Rem ipsam executioni mandavit *Hieronymus Aleander Archiepiscopus Brundusinus & Oritanus*, *SS. Domini N. P. Prælatus Domesticus*, *& Bibliothecarius*, *& dictæ Sedis in universo Dominio Venetiarum cum potestate Cardinalis Legati de latere Legatus*, *ac Judex*, *& Executor ad infrascripta a Sede prædicta solus*, *& specialiter deputatus*. Decretum ejus *datum*, & *actum* legitur *Venetiis in ædibus solitæ Residentiæ apud S. Eustachium sub anno a Nativitate Domini* 1534. *Indictione septima*, *die* 1. *Mensis Julii*, *Pontificatus prædicti Clementis VII. anno undecimo*. Viri ornatissimi Aleandri de Mota Diœcesis Cenetensis, qui Majores habuisse fertur, olim Landri, seu Antri non longe a Civitate Forijulii Dynastas, ac etiam aliquando Marchionum Petræ-pilosæ in Istria titulo insignitos, amplissimum texunt elogium Ciaconius in Vitis Cardinalium sub Paulo III. & Ughellus in Archiepiscopis Brundusinis. Regimen denique Patriarchæ Venetiarum subjerunt Sorores nostræ, Pio IV. mandante, datisque litteris Apostolicis *anno* 1560. *die* 8. *Martii*, *Pontificatus anno primo*.

IV. *Joannes Benedictus, cujus elogium accuratius texitur, & Antonius Corrarius. Ambo Patricii Veneti.*

Viros illustres, qui regularem disciplinam in Cœnobiis Venetis instaurarunt, memorat plerosque Thomas Senensis. Locum integrum descripsimus Capite II. num. 2. Aliquorum gesta paullo diligentius illustrare pergo. Sequitur *Joannes Benedictus*, de Patricia inter Venetos prognatus gente Benedicta, quæ dudum exstincta est. Thomæ Senensis verba sunt: *Eodem etiam anno* (1391. more Veneto,) *cum tamen intrasset annus* 1392. (Julianus a Januario inceptus,) *intravit Ordinem in dicto Conventu Sancti Dominici quidam Nobilis*, *dictus Fr. Joannes Benedicto de Venetiis*. Filium *Petri* vocat ipsum Marinus Sanutus

nutus in Vitis Ducum Venetiarum apud Muratorium Tomo XXII. Scriptorum Italiæ col. 1013. ad Annum 1431. Meminit ejus Riccobona anno 1394. quo præsens adfuit Sororum ingressui in Monasterium *Corporis Domini*. Benedictum novit Joannes Nyder, qui in Formicario Libro I. Capite X. refert, *Venetiis* ipsum *Conventum nostrum intravisse reformatum*, scilicet Sancti Dominici.

Eximiæ caritatis ejus erga pauperes lue infectos officia patefacit Thomas Senensis in Opere sæpe laudato, quo utimur, ad Annum 1397. " Quidam de nostris, videlicet Fr. *Johannes Benedicto* de Venetiis, tam in " prædicatione, quam in aliis piis operibus totus fervens, supradictis miseriis ex corde compatiens, veluti " a Domino inspiratus, & accepta licentia a prædicto " Fr. Johanne (Dominici,) accessit ad Patrem suum " carnalem: & obtentis ab eo centum Ducatis, cœpit " illos hinc inde dispergere tam verecundis, quam omnis conditionis infirmis, eis non solum corporaliter " subveniendo, sed etiam ipsos consolando, & ad confessionem audiendo. Cum autem succrescerent indigentiæ prædictæ, accessit etiam audacter ad Dominum, a quo Ducatos tercentos obtinuit. Quibus consumptis versus Trivisium iter arripuit, ubi multi Nobiles declinaverant propter pestem. Quos requirens, " ab eis trecentos Ducatos alios reportavit. Deinde per " Venetias hinc inde discurrens, a diversis ultra Ducatos quadringentos invenit: ut sic ascenderet præfata " pecunia, infirmis per ipsum hinc inde dispersa, longe " ultra mille Ducatos, prout idem Fr. Johannes personaliter affirmavit. Cum qua pecunia duplex opus misericordiæ, tam spirituale, quam corporale, longanimiter est prosecutus, quandiu videlicet a Prælatis suis " fuit sibi permissum: nec enim est tunc reperta memoria similis operis, hoc sibi concedente bonorum " omnium largitore. "

Coloniam anno 1398. profectus est, Raimundum a Vineis Capuanum, Generalem Ordinis Magistrum invisurus, ipsumque de regularis disciplinæ incrementis certiorem redditurus. Hæc discimus ex ejusdem Magistri Generalis epistolis ad Joannem Dominici datis *Coloniæ die* 27. *Mensis Septembris* 1398. Refert eas Thomas Senensis: " In Christo Jesu Domino nostro prædilecte Vi-

" ca-

„ carie. Post salutes cordiales in ipso, communem Filium *Fr. Joannem Benedicto*, semi quodammodo fugitivum, istis diebus recepi: lætus quidem haud dubium, quia libenter videt oculus, quem animus diligit: sed ut verum fatear, etiam tremens eum aspexi, metuens ne aliquid novi adversi sancto gregi quem diligo, accidisset. Sed ipse me lætificavit in primis verbis quæ protulit, asserens se non adversa, sed bona nova mihique placita detulisse &c. " Laudati Joannis Dominici epistola sequitur, inter Selecta Veneti Conventus S. Dominici Monumenta anno 1729. typis edita. Data legitur *die* 24. *Augusti* 1400. quo vero ex loco, non constat. Dignitatem Patriarchalem Gradensem Joanni Benedicto conlatam addiscimus. Verba sunt: " *Vigesima tertia Mensis præsentis* de Roma suscepi, te in *Patriarcham Gradensem* promotum. Si per ostium intrasti, & non aliunde, gaudeo plane. Non utique lætor, quod te amiserit Ordo, sed ejus casum deploro: ipsius namque una fortior columna, qua tota credebatur fabrica sustentari, pro certo est ab illo remota. Te utique defleo Patrem a me professione, non corde divisum. Gaudeo tamen, te *Patriarcham* effectum propter Domini Dei potiorem honorem, communi bono præponendo privatum ..... Et quia gradus personales ex propria voluntate acceptare non debes, sed renunciare: & in hoc laudo fugam tuam, qui latebras quæris, ne Patriarchatum a Summo Pontifice tibi oblatum acceptare cogaris; omni auctoritate qua valeo, juris, vel amoris tibi præcipio, ut si es sine simonia promotus, electionem, quinimo Ecclesiam tibi commissam acceptes. " Promotum igitur ad insulas Patriarchales Gradenses ante mensis Augusti diem vicesimamtertiam Joannem Benedictum, certo innotescit.

Joannes Nyder loco citato: *fuisse* Benedictum ait, *cujusdam de majoribus Venetis filium*, *quem Patriarchatus quidam expectabat prius eidem collatus*. Rem clarius exponit Jo: Michael Cavalieri in Musæo Dominicano (*Galleria Domenicana*) Tomò II. Chronolog. V. Capite VI. §. V. *Militiæ Clericali Joannem Benedictum a parentibus destinatum: sed ipsum, Patriarchali quam regeret Ecclesia ab eisdem parentibus quæsita, ad Ordinem Prædicatorum confugisse*. Hinc fortasse Joanni Dominici ansa data

H scri-

scribendi : *si per ostium intrasti & non aliunde, gaudeo plane:* itemque , *si es sine simonia promotus , electionem & Ecclesiam tibi commissam acceptes* . Dignitatem non admisisse modestissimum juvenem, docent litteræ Bonifacii IX. quas Tomo II. Bullarii affert Doctissimus Bremondus in Appendice ad ejusdem Pontificis Constitutiones , inter Patriarchas ex Ordine Prædicatorum adsumptos, in Joanne Benedicto. Datæ sunt *Romæ apud S. Petrum X. Cal. Octobris , Pontificatus anno undecimo* , æræ vulgaris 1400. Patriarchalem Sedem Gradensem vacasse narrat Summus Pontifex, *Petro Alexandro* , (alias dicto Amelio ,) *ad Alexandrinam Ecclesiam translato :* tum eidem Ecclesiæ Apostolica auctoritæ *provisum de persona Joannis Benedicti Ordinis Prædicatorum :* sed hunc electionem, commissamque Ecclesiam *acceptare non curavisse hactenus, nec curare ad præsens*: adeoque *Petrum Canchum, clericum Castellanæ Diocesis , Magistrum in Artibus, & in Minoribus duntaxat Ordinibus constitutum*, suffectum fuisse. Hæc lucem afferunt Gradensium Patriarcharum Chronographiæ . Joannis Dominici litteras Biscionius typis edidit *Fratri Joanni Benedicto Ord. Præd. in Conventu SS. Joannis & Pauli in Vinegia* , datas *Firmi in Vigilia Simonis & Judæ* sine anno, quem puto millesimum quadringentesimum. Hæc habentur : *Anxium te dicunt litteræ tuæ, & anxietatem proloquuntur futuram... Proficua foret loci mutatio: non quia te infirmo careres , quocumque enim perrexeris te tecum portabis: sed ut spiritus nondum perfectus, imo languidus , novitatibus gaudens , nutriretur insolitis* . Fortasse dissita quærebat loca Benedictus, ut longe positus a parentibus, & amicis, illustres oblatas facilius evitare posset dignitates. Cœnobii Sanctorum Joannis & Pauli præfecturam tenebat anno 1404. & 1405. quo tempore cum Thoma Senensi operam suam collocabat, ut Apostolica Ordinis *Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici* adprobatio impetraretur. Litteras a se, simulque a *Joanne Benedicto Priore* hac de re scriptas refert ipse Thomas in Opere sæpius memorato. Duodecim annorum, qui sequuntur , monumenta latent, quæ Viri illustris gesta doceant.

Riccobona ad *Annum* 1423. in elogio Sororis *Honestæ Marchesiæ* scribit : *Profectum pridem fuisse Joannem Dominici cum Fratre Joanne Benedicto, qui modo Episcopus* . Tar-

Tarvisii sedet, ad Civitatem Castellanam. Infulas ergo Tarvisinas hoc anno 1423. ipsum gestasse, pro certo haberi debet. Quo eas anno adsecutus fuerit, certo scire non licet ex Tarvisinorum Antistitum serie, quam nimium implexam dedit Ughellus. Verisimillimum est, in Sede Tarvisina collocari eo ipsum tempore debere, quo sedentem Ughellus facit *Joannem Benedictum ex Ordine Minorum*, ut ait, adsumptum, Martini scilicet V. favore & gratia, ab anno 1418. dieque decima Aprilis. Hunc vero Franciscanum Præsulem non alium esse cum diligentissimo Adnotatore Antonio Scoto ejusdem Ecclesiæ Tarvisinæ Canonico dicendum est, quam *Joannem Zannetinum*, Utinensem patria, & professione ex Ordine Minorum, ad eamdem Sedem a Sixto V. evectum anno 1476. Ad Ecclesiam Ravennatensem electum pridem fuisse Joannem Benedictum, solo tamen gavisum titulo, nec beneficio fruitum, in Veneta legimus Ughelli editione loco citato: qua de re certiora mihi præsto non sunt monumenta. Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetiarum ad *Annum* 1431. hæc narrat Italice: " Nel 1431. a
„ 7. di Marzo a ore 17. giunsero quì tre Corrieri, l'un
„ dietro l'altro, i quali portarono lettere di Roma, co-
„ me i Cardinali ridotti in conclave a 3. del detto Me-
„ se aveano creato Sommo Pontefice ... Eugenio IV....
„ E' da sapere che il Papa tolse per suoi Auditori tre
„ Veneziani e Referendarj, *Don Filippo da Molino*,
„ (Blasius vocatur apud Ughellum,) Patriarca di Gra-
„ do, Don Fra *Giovanni Benedetto* quondam Ser Pietro
„ dell'Ordine de' Predicatori *Vescovo di Trevigi*, e Don
„ *Giovanni Contarini* quondam Ser Marco Patriarca di
„ Constantinopoli. " Vitam ergo ornatissimus Præsul anno 1431. agebat: & adhuc Infulas Tarvisinas gestabat. Emortualem ejus annum invenire licuit, definitum 1437. Apud Bernardum Pezium Tomo II. Thesauri Anecdotorum Novissimi Parte III. prostat Ven. Ludovici Barbi Episcopi Tarvisini Ord. Sancti Benedicti *de Initio, & progressu Congregationis Benedictinæ Sanctæ Justinæ de Padua* opusculum. Hæc habentur Capite XII. col. 305.
„ Contigit, veneratione dignum Dominum *Joan-*
„ *nem Benedictum*, Episcopum Tarvisinum, *Dominico die*
„ 1437. *decimoquarto Mensis Aprilis*, ex hoc misero se-
„ culo emigrasse. Die vero *lunæ* immediate sequenti in

H 2 „ Con-

„ Conciſtorio ſecreto ipſum Abbatem Sanctæ Juſtinæ, „ (*Ludovicum Barbum* ,) motu proprio in Epiſcopum „ Tarviſinum promovit “ (ſcilicet Eugenius IV.) Littera Dominicali F. inſignitus erat annus 1437. qua conſtat, diem *Dominicam* incidiſſe in *quartamdecimam Aprilis* . Bononiæ deceſſit Joannes Benedictus : eoque anno 1437. in eadem Bononiæ Civitate diverſabatur Summus Pontifex ; unde *die lunæ immediate ſequenti* , Aprilis quintadecima , ad vacantem Eccleſiam Tarviſinam promovere Barbum potuit . Quamplures Scriptorum lapſus hiſce noſtris animadverſionibus emendantur.

Antonium Corrarium, Patricium Venetum , inter eos numerat Thomas Senenſis , qui *anno* 1392. veſtem Dominicanam induerunt in Reformato *Sancti Dominici* Veneto Cœnobio. Admonere ſatius fuerit cum Veneto Italiæ Sacræ editore in Epiſcopis Cenetenſibus : duos per hæc tempora floruiſſe *Antonios Corrarios* , Gregorii Papæ XII. nepotes : alterum *Philippi* , qui Gregorii frater erat , filium: alterum *Petri* , qui Gregorii Germanus . Cardinalium S. R. E. albo adſcriptus ille fuit, primoſque inter auctores Congregationis Sancti Georgii in Alga connumeratur . Prædicatorum Ordinem alter amplexus eſt , geſtavitque Infulas Cenetenſes . Tumulo datus jacet in Templo SS. Joannis & Pauli cum hac epigraphe : *Fratri Antonio Corrario Epiſcopo Cenetenſi , Gregorii XII. nepoti, Ordinis Prædicatorum , obeunti MCCCCXXXII.* Annum potius intellige parati ſepulcri , quam defuncti Epiſcopi . Cenetenſes infulas geſtare cœpit anno 1409. In ejus Eccleſiæ Archivo monumenta ſervantur, quæ mentionem ejuſdem ingerunt ab anno 1411. ad annum uſque 1445. Venetam conſule Italiæ Sacræ editionem in Antonio Corrario *primo*, & *ſecundo*, perperam ab Ughello diſtinctis, & in *Nicodemo* Succeſſore.

V.
Robertus de Venoſa, Nicolaus de Ravenna , Joannes Dyrrachinus , Antonius de Civitate. Joannis Dominici Epiſtola in lucem profertur.

Venetias jam anno 1391. adventaverat *Robertus de Venoſa* , diſciplinam regularem cum Joanne Dominici inſtauraturus . Elogium ejus his verbis texit Thomas Senenſis : “ Antequam ego Venetias pervenirem , (hanc „ vero in urbem pervenit anno 1394. ad finem vergen„ te,) quaſi per annos duos , tranſiit feliciter de dicto „ Conventu (Sancti Dominici) ad Dominum quidam „ Venerandæ memoriæ Fr. *Robertus*, nobilis parentelæ, „ Neapolitanæ Civitatis , tunc *Prior Conventus Clugien-* „ *ſis*,

„ *fis*, feptuagenarius & ultra ætate, fed quinquagenarius
„ vel circa in ordine ... Cujus corpus cum in quadam
„ capfa lignea ut humaretur fuiffet depofitum, & fic po-
„ ftea in quadam fovea profunda fepultum, ac tam lu-
„ to quam aqua marina circumdatum; poft annum, &
„ circa dimidium, cum ratione fepulcrornm fiendorum
„ ibidem exinde traheretur, repertum eft dictum Cor-
„ pus penitus incorruptum. Et cum poftea factis fepul-
„ cris novis in dicto Conventu S. Dominici fupradicto,
„ iterum idem Corpus fine capfa in uno poneretur fe-
„ pulcrorum dictorum; contigit poft magnum tempus,
„ Fr. Bartholomæum de Pifcia, Priorem tunc dicti Con-
„ ventus (anno *1396.*) ordinare, quod dictum fepulcrum
„ in quo erat præfatum Corpus, aperiretur. Et cum
„ aperientes invenirent illud juxta aquas, imo quafi in-
„ ter aquas conftitutum, pannis habitus pene ex humi-
„ ditate confumptis; ipfum tamen Corpus modo fimili
„ ut prius omnino reperientes intactum, extraxerunt il-
„ lud de dicto Sepulcro, & in Sacriftia cum magna de-
„ votione collocaverunt in quadam capfa. Quod ego
„ cum jam tres anni a Sancti Patris tranfitu præterif-
„ fent, propriis luminibus vidi ibidem totaliter inte-
„ grum in omnibus membris fuis ufque ad capillos ca-
„ pitis fui, folummodo aliquantula fummitate nafi ex-
„ cepta. Et quod plus eft, quia cum in uno crurium
„ infirmitatem incurabilem dum viveret pateretur, cujus
„ nomen ignoro, fed horrendam & gravem: attamen
„ ita integra & fana ejus crura confpexi, ut in nullo
„ pateret differentia unius ab altero. Et quod etiam ad-
„ do, quia nuper cum fint anni fex, vel circa, five ul-
„ tra a tranfitu hujus Patris, adhuc videre illud volui:
„ & ita in omnibus usque nunc integre perfeverat, ut
„ prius. Quod omnino fupermirabile judicatur, quia a
„ tantis humectativis, & corruptivis, tam ad intra, quam
„ ab extra, & circumcirca fe pofitis, potuerit taliter
„ omnino præfervari intactum: quamvis quodvis ver-
„ bum minime fit impoffibile, vel admirabile apud
„ Deum. Fuit autem dictus Pater femper Sanctæ vi-
„ tæ, Sanctæ converfationis, & religionis, & famæ
„ in Ordine. Homo utique fimplex, & rectus, recedens
„ a malo: & in patientia usque ad finem vitæ fuæ in-

„ fir-

„ firmitatem incurabilem, de qua dictum est, inter alia
„ patiendo. Ipsi Job conformis totus existens, in omni-
„ bus Domino gratias referens, semper humilis, lætus,
„ ac dulcis communis conversationis exstitit perfectum
„ exemplar. Etiam a principio affectans, quod tam in
„ se, quam in aliis pro suo modulo Beati Dominici re-
„ ligio servaretur, prout audivi a fide dignis. Et nunc
„ cum grandævæ esset ætatis, postquam ejus merui ha-
„ bere notitiam; non solum postqoam invenit se in su-
„ pradictis Conventibus, Clugino, & S. Dominici, in
„ plena observantia regulari viventibus: sed etiam ante
„ in Conventibus aliis numquam carnes comedebat,
„ paupertatem summam, & obedientiam, ac Jejunia Or-
„ dinis, sine querela, & paucis contentus, humiliter ob-
„ servabat. Et cum de Neapoli propter schisma, ad con-
„ servationem suæ puræ conscientiæ discessisset, hospes,
„ & peregrinus per Conventus, taliter antiquus, cum
„ omni mititate residentiam faciebat. Et tandem fuit
„ dictus Pater cum supradicto Fr. Johanne Dominici ad
„ intrandum Conventum S. Dominici anno Domini 1390.
„ de licentia, & mandato Reverendiss. Magistri Ordinis,
„ pro ibidem inchoanda, & reformanda observantia re-
„ gulari. Ubi residens, cum receptus esset Conventus
„ Clugiensis ad observantiam supradictam, factus est
„ Prior dicti Conventus. Et cum de Conventu S. Do-
„ minici ad Conventum Clugiensem accessisset, & post
„ aliquos menses ex causa ad Conventum S. Dominici
„ de Venetiis rediisset, infirmatus est ibidem infirmita-
„ te de qua migravit ad Dominum, ut superius præta-
„ ctum est. Et hoc anno Domini 1393. in die S. Mat-
„ thiæ Apostoli: in cujus sepultura multi nobiles adsue-
„ runt ... quodam Magistro *Thoma de Pisis* tunc Priore
„ Conventus SS. Joannis & Pauli prædicante, & Fr. *Jo-
„ hanne Dominici* Missam celebrante, & Officium facien-
„ te, cui tot singultus supervenerunt & lacrymæ quod
„ oportuit, ut portio officii sine cantu prosequeretur per
„ ipsum .... Item relatum est mihi a sibi consciis de di-
„ cendis, quomodo Sanctus hic Pater, non propter schis-
„ ma solum de Neapoli discessit, ut dictum est supra:
„ sed etiam ut mundi gloriam fugeret, quam singulari-
„ ter abhorrebat, & quæ ei offerebatur propter famam

„ non

„ non solum sanctitatis vitæ, sed etiam propter quædam „ miracula, quæ Dominus fuerat per servum suum dignatus ibidem ostendere. "

Prolixum apud Thomam Senensem elogium exstat *Nicolai de Ravenna*. Pauca decerpo, quæ sequuntur. " Filius erat Magistri *Johannis Phisici* de Ravenna ... Ipso „ existente Bononiæ ad studium in habitu seculari pro „ adipiscenda finaliter scientia Medicinæ, & esset in Artibus doctoratus; cœpit mirabiliter tangi intrinsecus, „ & inspirari, ut videlicet depositis cœteris studiis, ad „ studium Theologicum se transferret. Et tam efficaciter, ut ex hoc quasi factus in agonia, cum modo ad „ locum Cartusiæ, modo ad locum Beati Dominici de „ Bononia pro consilio super hoc habendo pluries accessisset, contigit ipsum semel audire de observantia regulari, quæ incepta erat, atque fiebat in Conventu S. Dominici de Venetiis. Quo certitudinaliter percepto, mundum ex toto relinquere, & Deo se totaliter dedicare „ disposuit. Et pro hoc exequendo ad plenum, intrare „ Ordinem Prædicatorum in præfato Conventu devovit. „ Et sic tandem factum est, non obstantibus parentum „ suorum renitentiis quampluribus: de quibus omnibus „ plena reportata victoria, receptus est ad Ordinem in „ præfato Conventu per Fr. Johannem Dominici anno „ Domini 1392. Mense Septembris, viginti ferme annorum ætatis existens. " Sanctissima Nicolai gesta, sive quæ ad proprium animi cultum, sive quæ ad regularis disciplinæ instaurationem, sive quæ demum ad proximorum salutem procurandam pertinent, lato sermone recenset laudatus Thomas Senensis: eique attribuit *Tractatum unum devotum, qui dicitur Spiritualium Nuptiarum: qui est*, (ut ait,) *in Libraria Conventus*. Data occasione Virum illustrem memorat, quem reticere non licet, *Venerabilem Presbyterum Dominum Antonium David: qui fuit Magister Domini Angeli Corrario, nunc Patriarchæ Constantinopolitani: & qui postmodum fuit Cardinalis, deinde Innocentii VII. Successor*. Laudes Nicolai celebrasse Joannem Dominici, quemdam locum *Cantici Canticorum* exponentem, discimus ab eodem Thoma, cujus hæc verba sunt: " Cum tunc dictus Fr. Johannes actualiter „ legeret in Conventu SS. Johannis & Pauli Librum „ *Canticorum* super illo verbo, quod sibi tunc temporis

„ oc-

„ occurrebat, videlicet *Indica mihi, quem diligit anima* „ *mea*; quamplura laude digna de dicto Domini dilecto „ (Nicolao) in ipsa lectione inseruit ... Est autem prædicta Lectura super dictum *Canticum Canticorum*, licet tamen non completa, apud Sorores Moniales Corporis Christi. " Ejusdem Joannis Dominici hac de re Epistolam recenset, anno 1398. die 16. Novembris datam *Vicario*, & *Fratribus Conventus Civitatis Castelli*. Integram profero in lucem.

" Dilecti Fratres in Christo. Inter mœrorem, & gaudium hærens mens agitata, vix manum cum calamo „ ducit adscribendum, sicut Agar mortem unigeniti ferre non sustinens, deficientem reliquit, & mater amoris forti catena ligata nec longe se a dilecto locavit. „ Sane die 3. Novembris Servum Dei præcipuum, nostræ Congregationis specialem, Fratrem Nicolaum Magistri Johannis Physici, Priorem Sancti Dominici, peste sub axilla dextera cum tumore gutturis Deus omnipotens vulnerari permisit: & infra 23. horas cunctis „ Ecclesiasticis Sacramentis devote munitum corporali „ vita privavit, vita utique æterna coronans. O quam „ squallet Sacra Religio, talis, ac tanti rutilantibus exemplis nudata! Quis similis remansit in ipsa? Quis namque tanta paupertate præfulget? Cui tantum studium „ innocentiæ conservandæ? Ubi reperitur etiam in perfectis voluntas abnegata, sicut in præfato Dei famulo „ plenissime refulsit? Quando, o Fili, Frater, Amice, „ Pater, quam mihi semper dilecte tuam potuit, non „ dicam rei proprietas, sed usus libri, vel libelli, Bibliæ, vel Breviarii, Psalterii, Diurni, pannorum, illis exceptis quibus actualiter nuda caro tegebatur & „ paucis, aut etiam cultelli, & panniculorum, quibus „ aliquando ad tersionem sudoris vel superfluitatum putidi corporis eget fragilitas, integram potuit paupertatem deturpare? Novi, o Fili, in hac miseria a te derelictus, quem putabam bonum me habiturum heredem, quod tibi talium rerum quodammodo necessariorum per me tuum indignum & desolatum Prælatum „ usum exhibitum renuisti frequenter, latitans sub amore paupertatis conceptæ, dicens: *Quod nec indigeo*, „ *nec scirem custodire, quin perderem statim*. Proprium „ tamen usum ciliciorum supramordentium tuum gene-

„ ro-

„ rosum corpusculum, & disciplinarum ex incidentibus „ catenis factarum, & tamen omnia a me petieras sub „ colore personæ alterius, & ego novi tunc te sub hu- „ militate latitantem,) habuisti: & usque ad obitum „ tuum tenuisti, secrete vestigia sequens Patris tui Do- „ minici, qui carnem suam ciliciis & catenis pro defun- „ ctorum, viventium, suique salute acriter macerabat. „ Sane sanguine tuo præfata non parum cruenta inve- „ nimus. O quoties mihi dixisti, (& tepidus fervidis di- „ ctis non annui cum effectu, licet mente viderem te „ dicere veritatem:) *Librorum usus generat inordinatum* „ *affectum, a servitio mentem impedit Creatoris: qui cæ-* „ *tera abstulisti, aufer & istos*. Fateor verum esse, pro- „ fiteor ignaviam meam. Mentium debilitatem timens, „ ne propter hoc a more bono discederent, huc usque „ Fratribus paucorum librorum usum reliqui. Ora in cæ- „ lis, ut dudum tui Fratres videant rectum esse, sicut „ dixisti: & opere impleant sponte, sicut tu indefesse fe- „ cisti. Scribe o Sacra Religio, in silice forti stylo fer- „ reo, & adamantino, ut nunquam tanti Viri exempla „ deficiant posteros dirigenda, maxime obedientiæ hujus „ singulare munus amplectentes. Septem annis, & men- „ sibus paucis ni fallor meo infelici sub regimine vixit: „ de quibus tribus annis præfuit cæteris in Conventibus „ Venetis, Majori (SS. Joannis & Pauli,) & Minori „ (S. Dominici.) Recordari non possum, quod iste se- „ mel tantum suam quæreret voluntatem adimplere. „ Prudens nimium in agendis, in naturalibus sanus, in „ aquisitis (non dicam) bonus discipulus, sed jam erat „ in seculo de proximo doctorandus in Medicina: & in „ Ordine audierat, legerat, docueratque multa in utra- „ que Facultate studentibus. Et tamen nihil sentiebat „ non rectum, quod suus Prælatus rectum dicebat, etiamsi „ Prælatus errabat. Sed tantum a me Prælato suo pro „ Conventu, in quo erat, petivit quod erat honestum: „ respondi, me pro tunc facere nolle. Respondit ille: „ *largire quod peto, quia sine bene agere non possum*. Ite- „ rum quæsitum negavi: abiit ille, & die sequenti ad me „ reversus, jacuit ad pedes meos, lacrymis & singultibus „ vocem impedientibus mutus. Et post resumptos spiri- „ tus, ut potuit, dixit: *veniam peto*. Admiratus ego „ quid mali commisisset innocens, quem peccantem non

 „ no-

„ noveram: *de quo*, inquio, *a me veniam petis*. Et ille:
„ *nimium heri peccavi, quia videns voluntatem tuam*,
„ *semel ausus sum meam tuæ præferre*. O vir Sancto Abra-
„ hæ in obedientia comparandus, qui a Domino præmis-
„ sa licentia pro populis veniam quærente sub articulis
„ multis, & filio proprio mortem non pepercit, potius
„ optatum & dilectum volens occidere filium, quam obe-
„ dientiæ sanctæ perdere bonum. Cui tantus servandæ
„ pudicitiæ inerat amor, ut cum omnem obedientiam in
„ quantumcumque asperis faceret læta, solum audire
„ confessiones mulierum, Matris & Sororum suarum ex-
„ ceptis, ex obedientia cum pœna sibi faciebat invicta.
„ Erat namque in floris ætate: quando magis ... vitium
„ naturale Juvenile solet invadere lumbos. Viginti enim
„ & septem annorum, vel circa dum adhuc ordiretur di-
„ vina manus, eum succidit, ne mala videret quæ futu-
„ ra scivit super terram, & quietem daret suo Dilecto
„ post jam perpessos multos labores. Unde non tantum
„ mœror de absentia Sacræ Religioni resultat, sed etiam
„ gaudium: quia talem meruit in via habere, quem fir-
„ miter credit habere in Patria intercessorem. Quis va-
„ leat de corona dubius disputare, qui immensas gratias
„ noverit in ista peregrinatione collatas? Quoties enim a
„ quinque annis citra, & in quantis locis nos fratres sui,
„ sed & populus multus vidimus raptum in spiritu men-
„ tis! Locutiones omnes, communes pariter, & privatæ,
„ quæ dulciter sentiebant de Domino, sæpius in oculis
„ omnium, infimis corporeis immobilibus membris reli-
„ ctis, animam ad superna traxerunt. Jamque anima in
„ amore liquefacta dilecti, tantæ dulcedinis vi replebatur
„ ejusdem, ut jam in qualibet die in Missa, sæpe in aliis
„ horis, frequenter in mensa, quando aliqua dulcis lectio
„ legebatur, & prædicando verbum Dei populo grate,
„ maxime de ejus passione & stigmatibus sanctis sermo se
„ præsentabat, crucifixus cum Crucifixo, etiam pendens
„ in aere, elevatus a terra immobilis remanebat. Hoc
„ viderunt populi, turbæ narrant, clamaverunt utrius-
„ que sexus homines plures. Pridie namque, (ut parti-
„ culariter aliquid tangam,) in Festo Beati Francisci
„ Missarum agens solemnia, in loco Minori Sancti præ-
„ fati, raptus fuit in spiritu violentia tanta, ut etiam
„ corpus diu elevatum cerneretur a terra, plus, quam

„ per

„ per palmum, ut narrant populi qui interfuerunt cum „ lacrymarum devotione non parva. Quo fatis dabatur „ intelligi, animam illam supernorum amore regi, con- „ junctam in istis infimis amplius habitare non posse. „ Cujus desiderium Deus replens, ad se ut præfertur „ vocavit. Testantur hoc Angeli multis. Sed quia ex „ ore infantium, & lactentium Deus laudes perfecit; „ cœteris omissis, quæ duæ Puellæ viderunt sub com- „ pendio & brevitate percurram. Quædam enim Neptis „ sua ex germano, nomine Donata, annorum septem, „ vidit in somnis eumdem in Ecclesia S. Dominici, ubi „ Prior erat, super Altare majus indutum aureo vesti- „ mento, cereum album manutenentem, miræ pulcri- „ tudinis in capite habentem coronam, ex qua aureæ „ vittæ pendentes in girum usque ad collum irradiabant „ serenius: at Fratres cæteri albis induti cum candidis „ cereis orbiculariter circa præfatum consistebant Alta- „ re. Narravit hoc cum circumstantiis multis simplex „ puella, audiente alia annorum tredecim, Nepte ejus- „ dem Patris defuncti ex Sorore, quæ auditis his, genu- „ flexit oravitque dicens: *o dulcis virgo Maria, rogo con-* „ *cedatis mihi gratiam, ut videam patruum meum*. Exau- „ divit Virgo virginem. Nam nocte sequenti videbatur „ eidem ad Ecclesiam Misericordiæ pergere: in quo iti- „ nere Juvenem conspicit speciosum supra sensum hu- „ manum pulcritudine admiranda, sibi obviam adveni- „ re. Cui puella inquit: *Quisnam es tu, tam, decorus,* „ *& pulcher, cui similem in terris non vidi?* Et ille: „ *Angelus Dei sum*, ait. Tunc virgo: *ostende ergo mihi* „ *patruum meum*. At ille: *sequere me*, respondit, *quia* „ *ad hoc missus sum*. Pergunt ergo pariter, perveniunt- „ que ad pratum amœnum. Ejus dignitates ineffabiles „ voce nescit exprimere. Ubi dum fere sui oblita pro- „ positi, miris delectaretur in illis, dixit Angelus ei: *&* „ *illum, quem queris, agnosce*. Et elevatis sursum ocu- „ lis, Patruum intuetur, sui Ordinis tunica & scapulari „ lacteo candore nitentibus, in quadam nebula ab An- „ gelis multis delata residentem, vestitum: cereum al- „ bum manibus bajulantem. Sic agnoscit Patruum suum, „ delectatur aspectu, & inferiorum oblita in objectum „ tam pulcrum ipsos detinebat intuitus. Non quiesce- „ bat antem dicta nebula, electum deferens Dei: sed

„ modo versus cælum tracta, deinde aliquantulum versus eam deducta, mobilis videbatur. Sicque tertio elevata ab illius se subtraxit aspectibus, Cælorum secreta penetrans altiora. Jamque iterum in venustate pratuli conquiescit, primique Angeli gaudet aspectu, a quo deducitur ut quorumdam loca videat præparata: quæ cum Angelo visitans, a Matre vocata, visione simul privatur & somno. Nec solum hac via suum Omnipotens pandit dilectum, sed adhuc ex ore infantium & lactentium laudes prædicat ejus. Siquidem ea die, qua nobis corpus reliquit defunctum, cuidam mulieri in Contrata Castelli juxta Ecclesiam Beati Dominici, cujus filia mensibus octo gravibus febribus laborabat, & ut sibi videbatur, insanabili morbo, vultu alacri apparuit dicens: *salvabo filiam tuam*. Quæ visionem claram, non somnum, lotrici pannorum continue statim narravit. At ipsa dixit: *habeo tunicam, & scapulare suum ut lavem, de quibus tibi narro quod vidi. Hoc enim anno*, (inquit lotrix,) *lavi pannos ejusdem: & lotura, devote sperando Fratris meritis a Deo obtinere quod volui, talem puerum scabie tabidum lavi solertius; moxque de præfata lotura egressum puerum, conspexi sanatum. Recipe ergo pannos ejusdem, quos habeo apud me, & puellam tuam tange cum ipsis; & si credideritis, sanitatem obtinebitis eidem*. Involvit Mater nudam filiam in scapulari defuncti: morti propinquam extraxit inde, totam redditam sanitati. Alteri puero duris febribus in lecto depresso, in eadem Contrata commoranti, apparuit Dei servus: & sanitatem promisit. Qui suæ Matri narrans hilariter, indutus Tunica a lotrice sepulti, plene liberatus surrexit. Jam accedunt adulti, & mira narrant quæ Dominus operatur per ipsum. Quidam namque fama vitæ non infimus, & Fratri in vita devotus, suis lacrymosis immixtus exequiis, vidit eum manum ter levasse, & osculanti cuidam porrexisse. Alia Domina genere Nobilis, celebris moribus, & vita languens graviter, diuque multisque curis adhibitis, remedium nullum recipiens: mortemque Fratris nostri audiens, de quo bonam opinionem habebat, Deum mente & ore rogavit, ut meritis Servi sui sanitatem optatam donasset. Vix preces compleverat, surrexit: & cum lætitia se sensit sanatam.

„ tam,

„ tam. Quid igitur dicam? Gaudium provocabo, an la-
„ crymas? Suffragia, an patrocinia impetrabo? In his
„ liberos vos relinquam. Sed quod tanti Patris sequamur
„ vestigia, vos incessanter exoro. Ecce quod prædicatio-
„ nis lingua cessavit, est destructa scientia: non tamen
„ occidit caritas. Vana prætereunt, deficiunt cuncta crea-
„ ta: divinus amor non aufertur, sed crescit. Passiones,
„ cruciatus, & pœnæ, & omnes mundi hujus pœnitentiæ
„ terminum habent: sed non vita quam fumus, si volu-
„ mus, recepturi cum nostris dilectis æternam. Sed prin-
„ cipaliter autem unum ex caritate quod faciatis, impo-
„ no: ut scilicet assidue pro me misero Deum oretis,
„ quatenus meritis Patris, Fratris, Filiique mei præ cun-
„ ctis dilecti veram peccatorum meorum pœnitentiam
„ concedat; & illum merear habere intercessorem in Cœ-
„ lo, qui me in via plus homine vivente dilexit. Cujus
„ adjutus præcibus sanctis, una vobiscum merear æternæ
„ Patriæ amœna gaudia possidere. Valete feliciter in Chri-
„ sto. Vester, ut suus Fr. Johannes Dominici. Datum
„ Venetiis 1398. die 16. Mensis Novembris." Hæc scri-
bebat gravis, & prudens, ac pius, doctusque Vir exi-
mius. Vicariam Conventus Castellani præfecturam gessis-
se *Antonium Bonam*, discimus ex Codice Forojuliensi in-
ferius memorando.

Inter viros illustres, disciplinæ regularis instauratores *Joannem* quemdam *de Duracio*, seu Dyrrachinum recenset Thomas Senensis: quo teste, Venetias venit ille *anno* 1392. ad Conventum Sancti Dominici. Ad *Provinciam Dalmatinam* pertinebat: *qui Episcopatui renunciavit, odore observantiæ regularis attractus*. Num idem fuerit, quem Joannes Papa XXIII. dato *Romæ* Diplomate *apud S. Petrum Kal. Octobris*, *Pontificatus anno tertio*, Christi 1412. ad Archiepiscopalem Dyrachinam sedem promovit? At eo in Diplomate *Joannes* iste vocatur, diciturque *Ordinis Fratrum Prædicatorum professor*, *in Sacra Teologia Magister*, & *in Sacerdotio Constitutus*: quæ attributa priorem aliam, qua potiretur ipse, cuive nuncium miserit, non indicant Episcopalem dignitatem.

Eodem anno 1392. ad instaurandam, colendamque observantiam regularem, ad reformatum S. Dominici Venetum Conventum accessit *Fr. Antonius de Civitato*. Gesta ejus non innotescunt: patriamque *de Civitato* intelligen-

gen-

gendam adnoto *Civitatem Forijulii*, quæ ævo illo & *Civitas Auſtria*, & *Civitatum dicebatur*.

VI.

Bartholomæus de Cattis, Thomæ Antonii Senenſis Specimen Proceſſus MS Conteſtationum de Sanctitate Beatæ Catharinæ Senenſis Scriptorum errores emendati.

Bartholomæum de Cattis ad eumdem Annum memorat Thomas Senenſis, *de Provincia Lombardiæ ſuperioris*. Vocant alii cognomine *Catram*, & *Catiam* Petrus Maria Campius in Hiſtoria Eccleſiæ Placentinæ Parte III. Libro XXIV. ad Annum 1412. Elogium ejus ex Taegio refert ipſe Campius his verbis: " Vir Deo dignus, & optimis moribus ornatus, doctrina clarus, verbi Dei prædicator gratioſus, fama & opinione mirabilis. Audita Ordinis reformatione, quæ in Conventu Sancti Dominici de Venetiis inchoata fuerat circa annum 1390. odore obſervantiæ regularis attractus, ibidem convolavit. In qua regulari obſervantia cum Deo devote deſerviſſet annis pluribus, Pontificali infula decorari meruit. " Scilicet Placentinis datus eſt Epiſcopus anno 1411. teſte Campio.

Cæteros mitto Viros illuſtres a Thoma Senenſi memoratos. Ipſius Thomæ elogium texere præſtat, quod ex ipſius Operibus, aliiſque vetuſtis monumentis eruo. *Senenſis* a patria dicebatur Thomas, ac *Thomas Antonii* a patre ſuo ejuſdem nominis. Appellatum *Naccium* lego in Analectis de Sancta Catharina apud Bollandi Continuatores ad Diem XXX. Aprilis, ubi Capite II. quod ex Vita B. Stephani Macconi decerptum eſt, memorantur num. 15. ejuſdem Macconi litteræ ad Thomam de Firmo Generalem Ordinis Prædicatorum Magiſtrum: ut ipſe, *una cum Bartholomæo Dominici, & Thoma Naccio Senenſibus*, cœptum Canonizationis Beatæ Catharinæ opus urgeret. Appellatum etiam *Thomam Caffarinum* tradunt Noſtrates: ita ſcilicet dictum ab Avo ſuo Naccio Caffarino.

Anno circiter 1350. natum eſſe Thomam, evincitur ex ejus verbis, quæ in ejuſdem Conteſtatione *de Sanctitate Beatæ Catharinæ* habentur in Proceſſu, qui MS. adſervatur in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli, ac typis licet non integer editus proſtat apud Martene in Ampliſſima Collectione Tomo VI. *Anno Domini MCCCCXII. Indictione quinta, die XX. Menſis Junii ... Ego Fr. Thomas de Senis de dicto Ordine, & de Conventu præfato* (S. Joannis & Pauli,) *in quo fui continue jam anni ſunt ſexdecim ... nunc ſexaginta duorum annorum ætatis exiſtens*. Ætatis annos duo & ſexaginta retro ſi numeres, ad

an-

annum Christi 1350. pervenis, quo Thomas natales habuit. Senis in Conventu Sancti Dominici ad Ordinem adscitum esse *anno MCCCLX.* ait Echardus: quod oppido falsum innotescit, cum vix decimum ageret ætatis annum. An vulgaris æræ annus 1370. reponi debeat? Incertum. Venetias ipsum concessisse anno 1385. alio ductus errore adnotat Echardus: quod sine dubio contigit anno ad finem vergente 1394. ut verba superius allata indicant, ipsumque Thomam testem dabimus. Ante hunc annum 1394. & Senis, & Januæ commoratus est, Cœnobia regens, ac Sacras litteras docens. In citato Processu sic ait loco indicato. *Item dico, qualiter ante supradictos 16. annos*, (ab anno 1412. retro numerandos, adeoque ante annum 1394.) *ego fui pluribus annis in Conventu Senensi Ordinis Prædicatorum, ubi etiam fui Prior*. Sed etiam domum incoluisse Januensem, ubi Lectorem agebat, testatur ipse in Opere *de Origine & progressu Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici in Civitate Venetiarum*. Verba sunt: *Me existente, Lectore in Janua, condixeramus adinvicem cum quibusdam Nobilibus*, de itinere ad Sepulcrum Dominicum suscipiendo.

Pisis anno 1394. diversabatur, designatumque iter adgressus est. Verba ejus sunt ibidem: " *Anno* 1394. contigit me prædicare in Civitate Pisana ... Cum quosdam præcipuos juvenes induxissem ad Ordinem nostrum ... ordinavi quod Venetias ducerentur ad Conventum Sancti Dominici, promittendo eis quod in meo reditu de Sepulcro, ego ad videndum eos Venetias, Deo dante venirem. " Datam fidem liberavit: appulitque Venetias eodem anno, mense Novembri. Verba ejus accipe: " Et ita factum est, ipso Domino concedente: nam eodem anno circa finem Mensis Novembris de Sepulcro Dominico rediens, & ad Conventum SS. Joannis & Pauli perveniens, indeque ad Conventum Sancti Dominici accedens, & juvenes supradictos ibidem lætos & gaudentes reperiens, post verba gratulabunda ipsos valefaciens in Domino, pro tunc ab eis discessi. "

Optimi Viri mores, & doctrinam, ac dexteritatem in agendis noverat Joannes Dominici: ipsique suasit in Venetis Cœnobiis commorationem. Ibidem enim sic ait Thomas: *Post aliquot dies, habito cum supradicto P. Fr. Jo-*

hanne

hanne Dominici colloquio de persona mea, post plura collata adinvicem de voluntate sua, in dicto Conventu (SS. Joannis & Pauli) *remansi*. Facundissimus cum esset verbi Dei præco, in habendis concionibus vitam suam agebat tum in Ecclesiis Ordinis nostri, tum etiam in Venetis Parœciis, itemque apud Fratres Regulares, aliisque Sacris in locis Sanctimonialium. Peculiarem, qui tunc vigebat in concionibus, addiscimus morem ab ipso Thoma memoratum: " Circa vero Nativitatem Domini (an-
" no 1395.) contigit, (inquiente,) Magistrum Ordinis,
" (Raimundum a Vineis Capuanum) de Sicilia adveni-
" re Venetias ad Conventum SS. Joannis & Pauli: ubi
" in die præfato *sermonem* devotum feci *in latino* coram
" populo, & *juxta morem* aliqualiter *in vulgari* propo-
" nendo: *vidimus hoc Verbum, quod factum est;* & de
" eodem Verbo mirabiliter persequendo. "

Publicis, quos habebat, in Sermonibus eximias celebrare consueverat Virginis Catharinæ Senensis virtutes: promovebatque pro virili Ordinem Fratrum, & Sororum *de Pœnitentia Sancti Dominici*. Ad hujus Ordinis habitum recepit probatissimas, virgines, ac viduas plures: itemque viros, quos verbi efficacia ad bonam frugem redigebat, *non aptos se reputantes ad intrandam Religionem Prædicatorum, ad petendum saltem* prædictum *Fratrum* Tertii Ordinis *habitum* inducebat. Peculiari mentione *D. Antonium de Superantio* dignum censuit, quem commemoraret, *nobilem, & parentelæ non parvæ: qui cum prius fuisset homo, quasi totaliter mundo & ejus vanitatibus ac vitiis deditus, in primis prædicationibus nostris conversus est taliter ad Dominum, ut dictum Ordinem de Pœnitentia Beati Dominici finaliter sumeret*. Hanc scilicet Thomæ nostro facultatem, Fratres ac Sorores *de Pœnitentia* excipiendi, fecerat *antequam discederet de Venetiis*, laudatus Raimundus a Capua, Magister Generalis. Litteræ ejus sunt: " In Dei Filio sibi Carissimo Fr. Tho-
" mæ Antonii de Senis Ordinis Prædicatorum, Fr. Rai-
" mundus ejusdem Ordinis Magister & servus, salutem
" & Christum Dominum efficaciter imitari. Cupiens,
" & affectans nostrum Ordinem, non solum quantum ad
" Fratres & Sorores Sanctimoniales, sed etiam quantum
" ad Fratres & Sorores de Pœnitentia Beati Dominici,
" non tantum quoad meritum & numerum, sed etiam
" ad

„ ad quævis mundi loca ad hoc disposita, & signanter
„ in Civitate famosa Venetiarum, ad Dei gloriam, &
„ animarum salutem, ad quam Ordo noster noscitur prin-
„ cipaliter institutus, continue de bono in melius cre-
„ scere, & dilatari: id circo vobis, de cujus ad cuncta
„ præfata bono zelo & affectione plene confido, conce-
„ do auctoritatem meam plenariam, quatenus possitis
„ supradictam Religionem, seu Congregationem singula-
„ riter Sororum de Pœnitentia Beati Dominici inchoa-
„ re, inchoatam dirigere, & gubernare, Dominas quas-
„ que juxta discretionem vestram ad habitum dictarum
„ Sororum recipiendo, Priorissas & Subpriorissas eis in-
„ stituendo, & omnia circa ipsas quæ ego facere possem
„ si præsens essem, faciendo. Significando omnibus præ-
„ sentes litteras inspecturis, qualiter ultra omnia supra-
„ dicta, etiam singulari intuitu Beatæ Catharinæ de Se-
„ nis Matris & Magistræ meæ, quæ fuit de dictis Soro-
„ ribus de Pœnitentia B. Dominici, ego peroptarem ubi-
„ que & signanter in Civitate præfata, ut præferrur,
„ Congregationem ipsarum adesse, & tam merito quam
„ numero augeri. Quapropter confidens ad plenum su-
„ per hoc de Fr. Thoma prælibato, suprascriptam au-
„ ctoritatem ei plene concedo: nolens, quod aliquis me
„ inferior eum in aliquo impedire præsumat, seu quo-
„ vis modo de supradicta materia valeat, nisi quantum
„ & quomodo dictus Fr. Thomas, una cum Fr. Johan-
„ ne Dominici, duxerit, attentandum. In quorum te-
„ stimonium sigilla nostra duxi præsentibus appenden-
„ da. Anno Domini MCCCLXXXXVI. die XII. Men-
„ se Julii. "

Insequenti anno Thomam Provinciæ Græciæ Præfectum instituit Raimundus Magister Ordinis. Litteras ex eodem Codice in lucem profero. " In dei Filio sibi Carissi-
„ mo Fr. Thomæ Antonii de Senis, Provinciali Provin-
„ ciæ Græciæ Fratrum Prædicatorum, Fr. Raimundus
„ ejusdem Ordinis humilis Magister & servus, salutem
„ & Christum Dominum efficaciter imitari. Licet onus
„ officii pastoralis quieti propriæ vacare volentem, ac
„ soli conditori adhærere totis affectibus inhiantem, pro-
„ pter occupationem extrinsecam videatur aliqualiter im-
„ pedire: præmium tamen bene possidentibus repromis-
„ sum debet devotum subditum animare ad supportan-

K „ dum

" dum dictum onus, cum injungitur. Si enim terreat " labor regiminis, laborem tamen mitigat spes merce- " dis. Cum igitur Fratres supradictæ Provinciæ Græciæ " per mortem Fr. Nicolai de Perusio Magistri in Theo- " logia, quondam ibidem Provincialis, fuerint patris ac " pastoris solatio destituti; volens eisdem de patre ac " capite providere, convocato Discretorum Fratrum & " Magistrorum consilio, auctoritate Generalis Capituli " mihi in hac parte specialiter commissa, vos in Pro- " vincialem ante dictæ Provinciæ Græciæ elegi, & de " eorum consilio confirmavi: & tenore præsentium vos " in Provincialem ejusdem Provinciæ Græciæ eligo, & " confirmo. Curam, & regimen Fratrum & Sororum, " Conventuum & Monasteriorum ejusdem Provinciæ, " tam in temporalibus quam in spiritualibus, in capiti- " bus & in membris, vobis eodem tenore committens. " Et nihilominus vobis in virtute Sanctæ obedientiæ & " Spiritus Sancti, ac in remissione peccatorum vestrorum " præcipio: quatenus visis præsentibus, vel auditis, di- " ctum Provincialatus officium, tanquam verus obedien- " tiæ filius, suscipiatis humiliter: ac rogo, & injungo " quod exæquamini diligenter, taliter tamque solicite re- " cturi dictam Provinciam, ut ex vestro regimine bono " Deo & Ordini fructus, ac fama Fratribus & Provin- " ciæ, vobisque præmium æternæ retributionis accre- " scant. Cæterum ad majorem vestræ conscientie sere- " nitatem indulgeo, ut dum fueritis in prædicti Provin- " cialatus officio, possitis vobis eligere confessores qui " vos a sententiis & peccatis absolvere & vobiscum su- " per irregularitatibus si quas contraxeritis, valeant se- " cundum nostri Ordinis privilegia dispensare. Insuper ea- " dem auctoritate vobis concedo, quatenus executiones " ultimarum quarumlibet voluntatum recipere valeatis, " & ipsas executioni debitæ demandare coram illis quo- " rum intererit, locis & temporibus opportunis. In quo- " rum omnium testimonium præsentes patentes litteras " fieri feci, & nostro Sigillo muniri. Dat. Coloniæ Pro- " vinciæ Theutoniæ, anno Domini MCCCLXXXXVII. " die XXVI. Mensis Novembris. " Pro commisso sibi munere, curam gerere Provinciæ Græciæ cœpit Thomas: *deque consensu Fr. Johannis Dominici*, (inquit,) *illuc misi quosdam Fratres, & ibidem feci unum Vica-*

rium

rium pro tunc, cogitans illuc tempore suo personaliter accedere. Cum autem postmodum ibidem pestis occurreret, illuc ire non fui permissus: unde remanens in Venetiis, in Quadragesima immediate sequenti, videlicet MCCCLXXXXVIII. prædicavi apud Sanctum Moysem.

Eodem anno, *die secunda Julii, videlicet sero Festi Visitationis Beatæ Virginis*, Thomas, & Joannes Dominici, ac Thaddæus de Urbe veteri discesserunt Venetiis, profecturi Pisas: quos etiam comitatus est *D. Antonius Superantio, habitu indutus de Pœnitentia Sancti Dominici*. In urbem *circa finem Mensis Septembris* remigrarunt. Stephani Macconi Senensis, qui Carthusiensium Ordinem, Beata Catharina hortante, ingressus fuerat, redditæ Thomæ litteræ fuerunt, quæ præfecturam Ordinis *in obedientia Romana* eidem collatam annunciant. Eas profero. " Salutem & veram pacem in Jesu Christo, Venerande & dilectissime. Quoniam visum est bonum in „ oculis omnium Patrum, tam Electorum, quam Confirmatorum, ad cumulum amaritudinis cordis mei, „ mirabili concordia pariter omnes adversus Fratrem vestrum, (ipsum Stephanum) cogitaverunt & steterunt: „ irretractabiliter decernentes, eum sub jugo gravissimi „ ponderis opprimere, prout Ven. P. Prior Bononiæ lator præsentis cedulæ poterit oretenus enarrare. Et ideo „ caritatem vestram deprecor humiliter & instanter, ut „ apud Deum me pauperem & solitarium piis precibus „ juvare velitis, ut mihi gratiam & fortitudinem subministret ad honorem suum superimpositum onus viriliter ferre, & salutem propriam, & aliorum ædificationem. Et quia prædictum Priorem Bononiæ nunc „ actualiter mitto Mediolanum, eum informari de facto „ Libri Epistolarum Sanctæ Matris (Catharinæ Senensis,) ut eum procuret habere & vobis mittere, unde inde Sanctæ Virginis honor augeatur. Itaque loquimini secum, & ordinate quod sic fiat. Alia non „ possum pro præsenti scribere. Cum videritis Reverendiss. „ & communem Patrem, vestrum & meum, videlicet „ Magistrum Ordinis, (Raimundum a Capua,) me sibi recommendare velitis, & etiam aliis Servis Dei vobiscum degentibus, & singulariter Præsidenti in Monasterio Corporis Christi. Et quoniam Italiæ sum compulsus valedicere, de sancto digito potestis ordinare

K 2 „ prout

„ prout vestræ discretioni videtur : de pace tamen filio- „ rum, & filiarum &c. Mementote mei in orationibus „ vestris. Dat. in Domo nostra Sancti Johannis in Seyem „ die XVII. Mensis Octobris MCCCLXXXXVIII. Fr. Ste- „ phanus Prior Carthusiæ licet indignus. " De Viro illustri consule Vitam ejus, itemque Carolum Josephum Morotium in Theatro Chronologico Sacri Carthusiensis Ordinis, & Bollandi Continuatores in Additamentis ad Vitam S. Catharinæ Senensis, ac Processum Contestationum de Sanctitate ejusdem apud Martene in Amplissima collectione Tomo VI.

Pro virili per hæc tempora Thomas agebat, ut speciali Apostolico diplomate Regula adprobaretur *Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici*. Hanc Regulam Munio de Zamora, qui Ordinem Prædicatorum ab annò 1285. administravit ad annum usque 1291. instruxit confecitque : Regula priore, quæ Fratribus *Militiæ Jesu Christi* adversum Hæreticos institutæ data fuerat, accommodata Fratrum & Sororum statui, qui pœnitentiæ operibus militiam agerent contra vitia. Communi cum Bartholomæo Dominici Senensi studio *Tractatum* elucrubavit, quo ejusdem Ordinis originem, incrementa, & Sedis Apostolicæ privilegia pandit. Lato sermone de hocce egimus Opere Capite II. num. III. quod anno 1402. Mense Julio confectum, completumque enarravimus.

Adnotare hoc loco liceat, Gregorii IX. diploma in eodem Tractatu recenseri, datum *Fratribus Militiæ Jesu Christi per Italiam constitutis, XI. Kal. Januarii, Pontificatus anno primo*, Christi 1227. Hinc Guillelmi Cuperi conjecturæ, quas adversum prædictæ Militiæ institutionem a Sancto Dominico ducendam exponit ad Diem IV. Augusti in Commentario prævio §. XVIII. num. 334. convulsæ manent : putabat enim, datum illud diploma fuisse *Pontificatus anno VIII.* Christi 1234. quo circiter dicitur Sanctus Petrus Martyr : *quibusdam de Rubeorum familia nobilibus, & aliis catholicis, Florentiæ vexillum exhibuisse, cruce insignitum*, ut ejus in vita legitur ad Diem XXIX. Aprilis num. 22. Expressam, definitamque a Thoma Senensi epocham confirmat aliud Apographum, ipsumque Autographum in Bullario Ordinis Prædicatorum Tomo I.

Tractatui accedunt Partes duæ, *supplementi* loco, quas Tho-

Thomas Senensis confecit. Pars prima, quæ in Codice apud Nostrates SS. Joannis & Pauli adservato, *secunda* notatur, plura complectitur, quæ Thomas gessit usque ad annum 1405. quo demum, *die 26. Mensis Junii*, diplomate suo Innocentius VII. tum Ordinem Fratrum ac Sororum *de Pœnitentia Sancti Dominici*, tum etiam Regulam adprobavit, confirmavitque. Mirum, quot in hoc causa patronos nactus est Thomas: quos omnes memorat, eorumque litteras, & supplices libellos recenset, præstitosque favores. Sunt vero *Hugolinus de Camerino*, *Antonius de Contis*, *Fridericus Frezzius*, *Joannes Benedictus*, *Thomas Thomasinus*, Ordinis Prædicatorum: *Joannes* Archiepiscopus Soltaniensis, *Franciscus Bembo* Episcopus Castellanus, *Fr. Barontius* Abbas de Burgundionibus Torcellanæ Diœcesis, *Rainaldus Brancacius* S. R. E. Cardinalis ab Urbano VI. creatus, *Cardinalis Bononiensis Cosmas Melioratus* postea Innocentius VII. *Franciscus de Pavonibus* Episcopus Chironensis in Insula Creta, *Joannes Castillioneus* Episcopus Vicentinus, *Johannes Melioratus* nepos Innocentii VII & Archiepiscopus Ravennas, *Angelus Corrarius* Patriarcha Constantinopolitanus, *Angelus Barbadicus* Episcopus Cissamensis, *Acciajolus* Episcopus Florentinus: itemque *Petrus Pisanus* & *Petrus Emus* Veneti Oratores ad Bonifacium IX. *Masius Albitius* Florentinus, *Emmanuel Chrysoloras* Græci Imperatoris Orator, & *Nicolaus Contarenus* Orator ad Innocentium VII. nuper electum missus cum aliis, quos memorat Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetorum.

1. *Hugolinum de Camerino* memoratum primo loco, vocat Thomas Senensis, *Sacri Palatii lectorem*. Echardus adnotat, Virum illustrem anno 1407. a Gregorio XII. adlectum fuisse Sacri Palatii Magistrum post Jacobum Arigonium. Num ergo Arigonio auxiliarem tantum operam præcedentibus annis conferebat Hugolinus? Rem aliis expendendam relinquo. Angelus Corrarius Patriarcha Constantinopolitanus dicitur *de Mense Junii in Festo Pentecostes ab Innocentio VII. cum octo aliis factus Cardinalis anno* 1405. Hoc anno, qui aureo numero XIX. & littera Dominicali D. insignitus erat, incidit sacrum Pascha in diem 19. Aprilis: adeoque Festum Pentecostes in diem 7. Junii. Attamen Rainaldus ad hunc Annum num. 7. *undecim* numerat creatos Cardinales, quos inter locum habet

habet Corrarius *die undecima* Junii: habetque *diem 12. Feriam 6. quatuor temporum* Pagius in Breviario Romanorum Pontificum. Literas Procuratoris Ordinis recenset Thomas, *datas Romæ vigesimaprima die Mensis Junii* 1405. Quibus verbis hæc adduntur: *quæ fuit dies quartadecima prius* (post) *Pentecostem*, *& post creationem Cardinalium*. Hoc loco epocha jam prius constituta confirmatur. Undecim vero creati numerantur Cardinales: iidem prorsus, quos Rainaldus, Ciaconius, & Pagius memorant.

Supplementum alterum a Thoma confectum, quod in Codice appellatur *pars tertia*, Indulgentiarum diplomata plura continet, quæ ipse impetraverat Thomas in spirituale suffragium Fratrum Sororumque Ordinis *de Pœnitentia Sancti Dominici*. Diploma postremum ad annum 1407. pertinet. In superiore, sive parte, sive supplemento *Tractatus* indicatur jam confectus anno 1402. *de origine*, *& progressu Ordinis Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici in Civitate Venetiarum*. Quod opus, ab Echardo prætermissum, recensuimus Capite II. num. III. Facta narrantur *ad annum usque* 1399. imperfectumque videtur illud, anno 1402. sine dubio elucrubatum, aut certe continuatum, ut ex ejus colligitur mentione in memorato supplemento ingesta.

Ad ipsum Thomam pertinere puto vulgarem, tum *Constitutionis Innocentii VII.* tum Regulæ *Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici* translationem. Hujusce translationis Codices MSS. duos videre licuit, alterum in Bibliotheca SS. Joannis & Pauli, alterum inter Codices olim Apostoli Zeni, nunc Veneti Fratrum Prædicatorum de observantia Conventus. Incipit: *Questa è la copia del privilegio de la conƒermatione de la Regola, e dell' Ordine de' Frati e de le Suore de la Penitentia di Miss. San Domeneco, messa e traslata di Sermone latino in volgare, per consolatione e destro de li detti Frati, e de Secolari a' quali volessero essere informati del detto Ordine, del quale Ordene fu la Beata Katherina da Siena*. Item: *Comincia la Regola de' Frati, & de le Sorori dell' Ordine de la Penitencia di Santo Domenico, Fondatore e padre dell' Ordine de' Frati Predicatori. Di quelli, che si debbono ricevere a questo Ordine de la Penitentia di San Domenico, e de la loro conditione, Capitolo primo &c.*

Bea-

Beatæ Catharinæ Senensis memoriæ addictissimi Fratres Prædicatores, laudes ejus consueverant singulis annis Dominica die post Festum Sancti Petri Martyris publicis in concionibus, quas habebant, celebrare. Id pro more in Templo Sanctorum Joannis & Pauli Venetiis factum cum esset, non defuere qui ægre ferentes, Virginem nondum Sanctorum fastis adscriptam publico commendari præconio a Sacris Oratoribus, detulere facinus ad Episcopum Castellanum. In jus ergo vocati sunt Bartholomæus de Ferraria, Fidei in eadem Civitate Quæsitor, ac Thomas Senensis. Ab his declaratum, prædictæ Virginis festam diem non agi, neque in Cursu divino fieri commemorationem: sed eximia dei dona, quæ in ipsa affulserant, solummodo recoli, virtutesque ejus non vulgares populis imitandas proponi. Hinc postulatum, ut plura *Contestationum de Sanctitate Catharinæ Senensis* authentica scripta exciperentur: satisque factum votis. Juxta juris formulas *Processum Contestationum* instruxere, coram Francisco Bembo Episcopo Castellano, idonei Viri ad id opus deputati. Hunc, sed imperfectum mutilumque, typis editum Amplissimæ suæ Monumentorum Collectioni inseruit Edmundus Martene Tomo VI. idemque integer, completiusque continetur in Codice Membranaceo in folio Majori, quem in Bibliotheca servant Fratres Prædicatores SS. Joannis & Pauli.

Haud erit operæ dispendium singulas memorare *Contestationes*: quas ut colligeret, operam suam contulit diligentissimus Thomas Senensis. Primum tenet locum Contestatio Bartholomæi Ferrariensis, quæ incipit: *Noverint universi præsentes litteras inspecturi: qualiter anno Domini* 1411. *cum ego Fr. Bartholomæus de Ferraria, Inquisitor Ferrariensis, Ordinis Prædicatorum, essem in Venetiis actualiter prædicator Conventus SS. Joannis & Pauli &c.* Hæc Viri ornatissimi oblata legitur contestatio *anno Domini* 1412. *Indictione* 5. *die* 27. *Mensis Aprilis*. Virum illustrem ejusdem patriæ & nominis, eximiumque sacri verbi concionatorem, inter Scriptores Ordinis recenset Echardus ad annum 1403. Idem videtur esse, qui hanc de Sanctitate Catharinæ Senensis Contestationem scripsit: adeoque adhuc anno 1412. inter vivos erat. Sequitur Thomæ Senensis Contestatio, quæ præfert *annum* 1412. *indictionem quintam, diemque vigesimam Mensis Junii*. Excerpta non-

nonnulla superius dedimus. Viginti sunt Contestationis capita: ac deinde prolixa in Processu MS. habetur ejusdem Thomæ concio de laudibus Catharinæ. Tertia est Contestatio Stephani Macconi Ordinis Chartusiensis, quam ipse ad Thomam Senensem transmisit *datam, & actam Papiæ anno Nativitatis Domini* 1411. *Indictione quarta, die* 26. *Mensis Octobris*. Hanc excipit quarta contestatio Bartholomæi de Ravenna ejusdem Ordinis Carthusiensis, *data in Monasterio S. Mariæ de Gratia prope Papiam die* 28. *Octobris anno Domini* 1411. Quinto loco recensentur litteræ *Bartholomæi de Ferraria, & Inquisitoris Ferrariensis*, qui tunc præfecturam Cœnobii SS. Joannis & Pauli gerebat: aliorumque ejusdem Cœnobii alumnorum, datæ *anno* 1412. *die* 20. *Mensis Octobris*: itemque litteræ describuntur *Dominici de Venetiis, Sacræ Theologiæ Professoris, & Inquisitoris Bononiensis*, quæ scriptæ sunt *Bononiæ die* 15. *Novembris* 1412. Sextum tenet locum Contestatio *Bartholomæi Dominici de Senis Ordinis Prædicatorum, Arimini* data *die* 29. *Octobris* 1412. Septimo loco *Scriptura* recensetur *Dominici de Scutari, Prioris Conventus Sancti Dominici de Venetiis, anno Domini* 1412. *die* 22. *Mensis Decembris*: aliæque consimiles adduntur Scripturæ *Philippi de Apulea de Provincia Sancti Dominici & Lectoris in Conventu S. Dominici de Venetiis, Martini de Polonia Ordinis Prædicatorum, Augustini de Pisis residentiam facientis in Conventu S. Dominici de Venetiis, Joannis de Luca Ordinis Prædicatorum, Joannis de Yporegia Provinciæ Lombardiæ, Francisci de Luca ejusdem Ordinis Prædicatorum*. Octava est Contestatio *Francisci Domini Vannis de Malavoltis de Senis, Monachi Sancti Benedicti*. Nona sequitur, quam scripsit ac obtulit *Contestationem* Vir moribus, litteris, dignitatibus præstantissimus, *Thomas de Thomasinis*, dictus etiam *Paruta*, Episcopus Emoniensis ex Ordine Prædicatorum adsumptus. Nonnulla in ea continentur Viri illustris gesta, quæ dabimus infra.

Hanc Thomassini Contestationem litteræ plures excipiunt, insigne perhibentes de Sanctitate Catharinæ Senensis testimonium. Prima est. *Petri quondam Johannis Venturæ de Senis, de Mense Martii* 1415. Altera, *Antonii Contis de Senis Ordinis Prædicatorum*, eodem anno. Tertia, *Mini Johannis Ser. Minitivis Senarum*, eodem an-

anno. Quarta, *Thomæ de Senis*, (cujus præclara gesta illustramus,) eodem anno *die 16. Mensis Martii*. Discimus vero, ipsum hoc anno, & insequente *Priorem* egisse *in Conventu Sancti Dominici*. Quinta, *Pauli de Urbeveteri Ord. Prædicatorum*, *Prioris Clugiensis*, eodem anno *de Mense Novembri*. Sexta, *Antonii de Rocha Appuli in Conventu Sancti Dominici:* qui dicitur *Sanctæ vitæ vir*. Septima, *Venerabilis Magistri Angeli Salvetti de Senis Ordinis Minorum*, *anno* 1415. *die* 20. *Martii*. Octava, *Joannis Dominici tit. Santi Sixti Ragusini Presbyteri Cardinalis*, *Constantiæ die* 16. *Februarii* 1416. Hanc Italice scriptam typis edidit Biscionius, datam *die* 22. *Februarii* sine anno. Nona, *Rev. Patris Domini Baronti quondam Ser Dati de Pisis*, *olim*, *nutriti in claro Ordine Prædicatorum per annos fere triginta*, *nunc autem Abbatis Sancti Thomæ de Burgundionibus Torcellanæ Diocesis*, *Ordinis Cistercienfis*, *anno* MCCCC. (XVI.) *die* 25. *Mensis Februarii*. Decima, *Simonis Nerii de Cortonio Ord. Prædicatorum*, eodem anno *die* 16. *Mensis Aprilis*. Undecima, ac postrema, *Johannis Abbatis Monasterii Sancti Georgii Majoris de Venetiis*, eodem anno *die ultima Mensis Aprilis*.

Studio, diligentiæ, laboribus Thomæ Senensis *Contestationes* tot tantorumque Virorum illustrium debemus, queis publicus Virginis Catharinæ Senensis cultus promoveri felicissime potuit, ejusque sacra decerni apotheosis. Angeli Salvetti Ordinis Minorum haud licet prætermittere verba, ejusdem inserta Contestationi, quæ Thomæ nostri laudes complectuntur: " Præcessit (Thomas „ Senensis) me in continua mora Venetiis per annos qua„ tuordecim: in quibus cognitus est semper, ut apis ar„ gumentosa mellificasse in mentibus fidelium, & in vi„ nea Domini laborasse in lecturis, prædicationibus, con„ siliis, & confessionibus; ut possit denarium diurnum „ non solum viginti annorum, quibus fuit Venetiis vi„ ta exemplari, cujus inopiam tota patitur Ecclesia: sed „ etiam præmium centesimum possit misericorditer spe„ rare. Cum eo ego conversatus sum jam per sex an„ nos quibus Venetiis mansi semper in Lectoratus officio."

Ornatissimam vitam adhuc anno 1422. Septuagenario major agebat Thomas: regebatque Prior Cœnobium *Sancti Dominici*. Scriptas vidimus eo *anno* 1422. *Indictione* 15.

L Men-

Mense Augusto die prima Tabulas, in quibus conventio quædam *de solvenda una libra puræ & mundæ ceræ* legitur, inter *Marcum Landum Episcopum Castellanum* inita, ac inter *Thomam de Senis Priorem Monasterii*. Ex Archivo Venetæ Curiæ Patriarchalis olim eas descripsit Jo: Dominicus Armanus, ejusdem Conventus alumnus. Extremam longævus in eodem Cœnobio diem obiit Thomas: quo anno, adhuc latet. Cineres ejus in arca lignea inaurata Fratres justa persolventes incluserunt: quos etiam priore e tumulo postea transtulere ad Sacellum *S. Mariæ Magdalenæ*, nunc *Sancti Pii V.* nuncupatum.

VII. *Elogium Thomæ de Thomassinis, qui & Paruta dictus est, Episcopi.*

Gesta supersunt *Thomæ de Thomassinis* enarranda, ut fidem liberem jam datam. Laudatæ superius *Contestationi* ab eodem scriptæ hæc præmittuntur verba, animadversione digna: " Anno Domini MCCCCXIV. Indictione „ VII. die XVIII. Mensis Aprilis. Contigit, quemdam „ Fratrem *Thomam* Ordinis Prædicatorum, & *Episcopum* „ *Emoniensem*, apud Monasterium Sancti Georgii Ma„ joris de Venetiis tunc degentem: dictumque de domo „ *Paruta*, cum tamen sit de domo *Thomassinis* de Ve„ netiis &c." Vide, quæ adnotavimus Capite III. num. III. Viri eximii gesta nonnulla in hac ejus recensentur *Contestatione*: quæ simul cum aliis juncta præterire non licet, ut elogium ejus, quod alii scriptores confecere, & augeatur, & emendetur.

" Dum essem Novitius, (inquit,) in Conventu SS. Jo„ annis & Pauli de Venetiis, bonæ memoriæ Magister „ Raimundus, quondam nostri Ordinis Generalis Magi„ ster, illuc applicuit rediens de Sicilia: & cum me „ tunc benigna paternitate mulceret, & *professionis vo*„ *tum* in ejus manibus emisissem &c." Venetias de Sicilia adventasse Raimundum circa Nativitatem Domini anno 1395. testem superius audivimus Thomam Senensem: quo etiam teste Venetiis migravit insequente anno Raimundus *Mense Julio*. Vota ergo Religionis anno 1396. emiserit Thomas de Thomassinis.

Laudatus Senensis Thomas in Opere, quo frequentius usi sumus, de Origine & progressu Ordinis Fratrum & Sororum *de Pœnitentia S. Dominici in Civitate Venetiarum*, narrat: *De Mense Januarii* (anno 1399.) *Fr. Joannem Dominici, associantem sibi quemdam Fr. Thomam Paruta de Thomassinis, de Venetiis Pisas accessisse*: habitis-

bitis-

bitisque in ea Civitate ad populum *Quadragesimæ* tempore sacris concionibus, *cum præfato socio, eodem anno, Venetias reversum esse*. Tum vero ipse Thomassinus ait in sua Contestatione: " Mandato majorum fui *per*
" *quinque* annos in studiis, *Oxoniensi* in Anglia, & *Pa-*
" *risiensi* in Francia ... *Annoque MCCCCVI.* cum ego
" rediissem de studio Parisiensi, & essem *Cursor* in dicto
" Conventu (SS. Joannis & Pauli,) dictum Patrem
" (Thomam Senensem) habui pro lectore ... Fui lector
" in Arimino, ac demum Biblicus pro Magisterii gradu
" in Padua: unde electus fui *Episcopus*. " Non ita Thomassini accipias verba, ac si Venetiis profectus Oxonium fuerit in Angliam, & Oxonio recta Parisios perrexerit. Ex Anglia remigrasse ipsum Venetias anno 1404. dubitare non sinit Thomæ Senensis locus, qui secunda in Parte sæpe citati Tractatus habetur: " Item consequen-
" ter aliam recepi (Epistolam) a dicto Provinciali Ro-
" mano, per ipsum scriptam Perusii *die* 24. *Septembris*
" (anno 1404.) in qua sic: *Carissime Frater*, & *amice*
" *dilectissime* ... *Recepi in Vigilia Sancti Matthæi* (die
" 20. Septembris) *litteram vestram*, *in una Fratris Pa-*
" *rutæ inclusam*. " Degebat ergo Septembri Mense anni 1404. in patria Thomassinus: indeque, studiorum curriculum ut perficeret, Parisios ipsum profectum esse dicendum est. In utraque, *Oxoniensi*, & *Parisiensi*, Academia annos quinque, testimonium ipso perhibente, sacras in litteras incubuit, remigravitque anno 1406. ad suos. Unde jam collige, Thomassinum labente anno 1401. iter adgressum esse Anglicanum; & Parisiensem in urbem, post aliquam in patria commorationem, anno 1404. adventasse, reducemque demum anno 1406. munus *Baccalarii* egisse Venetiis sub regimine Thomæ Senensis.

Arimini sacras litteras tradidit: tradebatque eas, *Biblicum* agens, Patavii cum *Episcopus Emoniensis* renunciatus fuit in Istria. Quo id anno acciderit, incertum. Apud Ughellum Sedis ejus Episcoporum series nimium implexa exhibetur. Verisimillimum, Antonio Corrario ex Emoniensi ad Ecclesiam Cenetensem translato, suffectum anno 1410. vel præcedente a Gregorio XII. fuisse Thomassinum. Emoniensem per hæc tempora Cathedram tenuisse *Petrum Nanum*, scribit Ughellus. Scilicet errore deceptus, Emoniæ seu *Civitatis novæ in Istria* Eccle-

ſiam confundit cum *Civitate nova in Æſtuariis* , quam Nanus regebat.

Inſulas prædictas Emonienſes geſtabat Thomaſſinus *anno* 1414. *Menſe Aprili* : quo ſuam ſcripſit *de Sanctitate Catharinæ Senenſis* conteſtationem. In Concilio Conſtantienſi Seſſione XX. inter Epiſcopos ſubſcribentes legitur: *Thomas Epiſcopus Emonienſis* . Eodem in Concilio Scriptum a Thomaſſino *de Reformatione* opus , narrat Riccobona in Chronico Monaſterii corporis Chriſti : " Or „ eſſendo congregati tutti al Concilio general , li fò „ trattà molte coſe per *reformation* de la Sancta Gieſia, „ la qual non ſcrivo quì , per eſſer ſcripta in un altro „ *Libro* , el qual ſcriſſe Miſſier *Tommaſo Paruta Veſco-* „ *vo de Cità nova*. "

Eamdem regebat Eccleſiam anno 1418. quo Veneta Civitas eidem adſeritur litteris Ducalibus , quas profero ex Archivo Sanctimonialium Corporis Domini. " Tho- „ mas Mocenigo Dei gratia Dux Venetiarum, univerſis „ & ſingulis ad quos præſentes advenerint , ſalutem & „ ſinceræ dilectionis affectum . Quia verti in dubium „ ſentimus in Apoſtolica Curia, an Rev. in Chriſto Pa- „ ter D. *Thomas de Thomaſſinis Epiſcopus Emonienſis* , „ ſit civis Venetus: ad exhibendum veritati teſtimonium, „ aſſerimus & tenore præſentium declaramus, præfatum „ Dominum Thomam, atque ejus Genitorem fuiſſe, & „ eſſe *Cives Venetos originarios* . Quod ideo volumus fa- „ cere præſentibus manifeſtum, ne vitiata alienis ſugge- „ ſtionibus veritas , eidem Civi noſtro pariat detrimen- „ tum . Data in noſtro Ducali Palatio die XII. Maii „ MCCCC. decimo octavo, XI. indictione. "

Alias quamplures , Martino V. & Eugenio IV. transferentibus, moderatus eſt Eccleſias: *Polenſem* anno 1420. *Urbinatem* anno 1423. & *Tragurienſem* in Dalmatia anno 1424. Sibi concredita Eccleſia abeſſe debuit , ut Civitatum *Forilivii* , *imolæ* , & *Cerviæ* adminiſtrationem adſumeret , quam anno 1431. demandaverat Eugenius . Geſtam adminiſtrationem ejus commendat Pontifex litteris, quas adſervant ſæpe laudatæ Corporis Domini Sacræ Virgines . Incipiunt : " Eugenius Epiſcopus Servus „ Servorum Dei , Venerab. Fr. *Thomæ Epiſcopo Tragu-* „ *rienſi* , ſalutem & Apoſtolicam benedictionem . Cum „ tu Civitatum noſtrarum , *Forolivien. Imolen.* & *Cer-*

„ *vien.*

„ *vien.* ipsorumque Territoriorum, & districtuum regi- „ mini, & gubernationi de commissione & mandato no- „ stro hactenus deputatus ... Datum Florentiæ anno In- „ carnationis Dominicæ M. Quadringentesimo trigesimo „ quarto, sexto Kal. Septembris, Pontificatus nostri an- „ no quarto. “ Anno ineunte 1435. adhuc *Traguriensi* præsidebat Ecclesiæ. Eugenii IV. diploma, datum *Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1434. (Juliano 1435.) *quinto Idus Januarii*, *Pontificatus anno quarto*, in eodem Sanctimonialium adservatur Archivo: quod inscriptum legitur *Venerab. Fr. Thomæ Episcopo Traguriensi*. Fit eidem facultas, adsumendi in Veneto *Sancti Salvatoris* Monasterio Religiosos, dummodo non sint *Mendicantes*, eosque induendi Regularium Canonicorum habitu. Hinc vero colligendum, ejus loci administrationem pridem Thomassino nostro conlatam fuisse.

Eodem anno 1435. definente, die 24. Decembris, translatum jam ad Ecclesias, *Recanatensem*, & *Maceratensem*, ut evincunt Pontificiæ litteræ, quæ sequuntur. *Eugenius ... Venerab. Fr. Thomæ Episcopo Recanatensi, & Maceratensi ..., Dat. Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1435. *nono Kal. Januarii*, *Pontificatus nostri anno quinto*. Facultas eidem concessa legitur, puerorum Collegium in Ecclesia *Pistoriensi* instituendi. Ad easdem Ecclesias translatio illigatur apud Ughellum cum *duodecima die Octobris* ejusdem anni. *Feltrensem*, simulque *Bellunensem* regebat Ecclesias anno 1440. die 23. Decembris, ut evincit insequens Diploma: „ Eugenius ... Vene- „ rab. Fr. *Thomæ Episcopo Feltrensi* ... Cum te nuper „ a vinculo, quo *Recanatensi* Ecclesiæ, cui tunc præe- „ ras, tenebaris absolventes, ad *Feltrensem* Ecclesiam du- „ xerimus transferendum, materiam omnium litium & „ differentiarum, quæ inter te, ac Ven. Fr... Episcopum „ *Recanatensem* oriri possent, amputare cupientes... Dat. „ Florentiæ sub annulo nostro secreto die 23. Decem- „ bris, Pontificatus nostri anno decimo. “ Factam *Octobri Mense* translationem, Ughellus adnotat: *diesque* 15. numeratur in Bellunensibus, & *decima* in Feltrensibus.

Testamentarias Tabulas ejus, quibus munificum se præbet erga Sanctimoniales *Corporis Domini*, servant probatissimæ Virgines, confectas *anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Millesi. Quadrigent. Quadragesi-*

mo

nio quarto (Juliano 1445.) *Mense Januarii die duodecimo, Indictione octava, Rivoalti*. Adest etiam Codicillus, quem fieri fecit *anno ab Incarnatione ... Milles. Quadringent. Quadragesimosexto, Mensis Maii die 23. indictione nona*. Emortualem annum, mensem, diemque patefacit breve Chronicon MS. apud laudatas Sanctimoniales, in quo Italice legitur: *Messer lo Vescovo, Messer Tomaso Tomasi, Vescovo de Feltre, passò da questa vita nel 1446. adì 24. de Mazzo alore 4. de notte : e fu sepolto de fuora nella nostra Chiesa davanti l'Altar grande.*

Beneficentiæ legata ibidem recensentur plura erga *Traguriensem* Ecclesiam, & *Feltrensem*, ac Cœnobia duo, Venetum *Sanctorum Joannis & Pauli*, & Murianense *Sancti Petri Martyris*. Epigraphe sepulcro insculpta, hæc est: *Sepulcrum Venerabilis Patris & Domini Thomæ Thomasini de Venetiis, olim Episcopi Feltrensis, & Bellunensis, assumpti de Ordine Prædicatorum, Magni benefactoris Monasterii C. X.* (Corporis Christi.) *qui obiit MCCCCXXXXVI. die XXIV. Martii*. In *Martio* mense erravit scalptor: reponendumque *Majum*, evincunt Chronicon memoratum, & Tabulæ Codicillares.

CAPUT IV.

Congregatio Sancti Dominici in novam sub eadem nuncupatione Provinciam erigitur. Cœnobia numerantur, quibus eadem coalescit. Vicariorum, & Præfectorum Provinciæ series.

I. *Cœnobia numerantur, quæ ad Venetam Sancti Dominici Congregationem, ac deinde sub eadem nuncupatione Provinciam, attinent.*

INter Cœnobia, quæ a Provincia *utriusque Lombardiæ* avulsa, novo parebant Congregationis *Sancti Dominici* Vicario, numerabantur 1. *Venetum* SS. Joannis & Pauli. 2. *Patavinum* S. Augustini. 3. *Tarvisinum* S. Nicolai. 4. *Civitatense* S. Dominici in Provincia Forijulii. 5. *Justinopolitanum* Sancti Dominici in Istria. 6. *In Montesilicis* in agro Patavino. 7. *Utinense* S. Petri Martyris in Provincia Forijulii. Singula hæc Cœnobia exhibet Notitia Conventuum, quam ætate sua eruit Bernardus Guidonis ex Comitiis Provincialibus *Lombardiæ inferioris* anno 1303. & 1308. celebratis, apud Echardum Tomo I. Scri-

Scriptorum Ordinis Prædicatorum. Alia nos numerabimus loca, quæ ævo sequiore originem habuerunt.

Origo, & incrementa Cœnobiorum. *Civitatensis*, & *Justinopolitani*, quæ ad nostram pertinent *B. Jacobi Salomonii* Congregationem, latius & uberius loco suo illustranda sunt: paucis vero indicare aliorum primordia liceat, ut novæ postmodum erectæ Provinciæ *Sancti Dominici Venetiarum*, in sinu cujus natales habuit prædicta Congregatio, patentior conspectus fiat.

Tertium *Chori dextri* locum tenet Cœnobium *Venetum Sanctorum Joannis & Pauli* in Notitia Provinciarum a Bernardo Gnidonis edita: ac tertium pariter locum *sinistri chori* Cœnobium *Patavinum S. Augustini*. Vulgari traditione apud Malvendam in Annalibus Sacri Ordinis Prædicatorum ad Annum 1217. Capite XII. fertur: Venetias eodem adventasse anno Sanctum Dominicum, in Siriam profecturum: ab eoque, iter animo conceptum supremo Numine impediente, Cœnobiolum conditum fuisse prope *Oratorium titulo Sancti Danielis*, dictum postea *Sancti Dominici*, nuncupatumque ab anno 1567. *Capellam Rosarii*: tum vero Patavinam adiisse Civitatem, ibique optima Civium annuente voluntate, Cœnobium inchoasse. Hæc vetusto solidiore nullo fulta monumento adferuntur. Narrat Fr. Ventura Veronensis, primus in processu testis vocatus apud Echardum Tomo I. *circa finem Julii* (anno 1221.) *reversum esse* Sanctum Dominicum *de Curia Domini Hugolini, tunc temporis Ostiensis Episcopi, & Apostolicæ Sedis Legati*, (postea Summi Pontificis Gregorii IX.) *qui erat Venetiis*. Nimirum ad Pentecostem, quæ anno 1221. incidit in diem 30. Maii, secunda *Bononiæ* celebraverat Sanctissimus Pater generalia Comitia: quibus *die quinta Junii* absolutis, *Venetias* profectus est, Cardinalem Hugolinum Sedis Apostolicæ legatum invisurus. Commissam hoc anno 1221. provinciam Hugolino, Crucesignatorum copias in Italia comparandi, refert Rainaldus ad eumdem annum num. 2. litterasque Honorii III. memorat, datas *Laterani 2. Idus Martii, Pontificatus anno quinto*, queis Legatum Hugulinum commendat *Aquilejensi Patriarchæ, & Gradensi*. Eo fortasse anno 1221. egisse Sanctum Dominicum de domo construenda in urbe principe, non inficiatur Jacobus Echardus, liberamque cuique conjectandi facultatem reliquerim ego. *Venetum* istud Cœ-

II.
Cœnobia, Venetum, Patavinum, Tarvisinum, Montisfilicis, Utinense: eorumque primordia.

Cœnobium in Chronico memorat Dandulus ad annum ſextum Jacobi Theupoli Ducis, qui cum anno Chriſti 1234. concurrit. Verba ſunt: *Anno ſexto, ex laudatione publicæ concionis Dux Fratribus Prædicatoribus terram, aqua ſuperlabente, in confinibus S. Mariæ Formoſæ, & Sanctæ Marinæ, pro Monaſterio conſtruendo conceſſit: quo incboato ſuam ibi ſepulturam elegit*. Incrementa potius, quam primordia Veneti Conventus hoc loco indicari, authentica anni 1226. monumenta evincunt, in quibus memoratus legitur *Veneti Cœnobii Prior*, uti mox dicendum.

Epigraphem, quæ *Patavinum* Cœnobium ſpectat, Ughellus refert in Jordano Epiſcopo: " Jordanus Mutinenſis, Dei gratia Epiſcopus Paduanus, ad inſtantiam, & poſtulationem Fr. *Guidonis Prioris Fratrum Prædicatorum Paduæ*, & Fr. *Martini Prioris Fratrum Prædicatorum Venetiis*, commorantium, dedit eis primum lapidem benedictum pro conſtruenda, & ædificanda Eccleſia Paduæ, ad honorem Dei, & Beati Auguſtini. Anno Domini MCCXXVII. Indictione XV. die V. Octobris. Notario Turpino q. Grati filio. " Annum legit 1226. & indictionem 14. Jacobus Salomonius, qui propriis oculis Epigraphem inſpexit, ac inter *Inſcriptiones urbis Patavinæ* pag. 39. vulgavit. Duo ſponte fluunt: tum Fratrum noſtrorum primum ingreſſum Venetias, & Patavium ante annum 1226. conſtituendum eſſe: tum ad amplioris formæ Eccleſiam, & Cœnobium referendam Epigraphem. Eodem quippe anno 1226. munere *Prioris* fungebatur Martinus Venetiis, & *Patavii* Guido.

Statutam confirmant utriusque loci epocham vetuſtæ Tabulæ, quas ab amico Joanne Brunatio, Antiquitatum Patavinarum ſcrutatore diligentiſſimo, acceptas in lucem profero. " *Mill. Ducent. vigeſimo ſexto*, Indict. quartadecima, die exeunte Octobri, (vox iſta, *exeunte*, diem Octobris 27. indicat,) Paduæ in Epiſcopali Camera, præſentibus &c. Poſtquam *Fr. Guido Prior* Fratrum Prædicatorum *Paduæ* commorantium, & *Fr. Martinus Prior* Fratrum Prædicatorum *Venetiis* commorantium; & Domini Gerardus, & Johannes de Vado fratres de Padua, fecerunt proprium Domino *Jordano* Dei gratia Epiſcopo Paduano de tanta terra in Viridario, ſive Brolio quondam Domini Dainiſii Paduani Canonici, ſito apud Civitatem Paduæ, non longe ab Eccleſia

" S. Jo-

„ S. Johannis, ubi modo *Fratres Prædicatores* morantur, „ vel juxta illum Broilum in terra, quam Fratres Prædicatores habent ibidem, in qua terra possit commode construi, & hedificari una Ecclesia, prout continetur in Charta facta per me *Turpinum* Notarium: Dominus idem *Paduanus Episcopus* ad instantiam & postulationem prædictorum Fratrum G. (*Guidonis*,) & M. „ (*Martini*) dedit eis *primarium* lapidem benedictum „ pro construenda, & hedificanda una Ecclesia in loco „ prædicto ad honorem Dei, & B. Augustini. Tali vero „ pacto, & conditione, quod *Fratres de Ordine Prædicatorum*, commorantes ibi, non habeant populum, sive „ parochiam, neque decimam vel quartisium, neque possessiones nisi eas, quæ sufficiant eis per Broilum, ortum, & domos. Et quod non liceat eis sepellire aliquem vel aliquos ibi, nisi illum vel illos, qui elegerit vel elegerint sepulturam sibi apud locum prædictum. Et quod Fratres Prædicatores commorantes ibi, „ teneantur, & debeant recipere Ordines ab eodem Domino Episcopo, & ejus Successoribus: & attendere, „ atque observare sententias, excommunicationes, & interdicta ipsius Domini Episcopi, & Successorum suorum; salvo privilegio, institutione, & Ordine Fratrum „ ipsorum. Ego Turpinus quond. Gnati filius Sac. Pal. „ Not. inter fui, & scripsi. " Sphalma epigraphes patefaciunt Tabulæ: vocem scilicet, *exeunte*, in eadem prætermissam fuisse: adeoque *primum lapidem* Fratribus Prædicatoribus *datum fuisse* non *die V. Octobris*, sed XXVII. ejusdem Mensis.

Tarvisinum Cœnobium sequitur, quod quarto *Chori dextri* loco in citata Guidonis Notitia collocatur. Originem ejus ad annum 1223. refert Joannes Bonifacius in Historia Tarvisina: eamque tribuit *Alberti*, quem ejus urbis Antistitem numerat, consilio, benevolentiæ, & operæ. Hunc *Albertum*, cujus nulla in authenticis monumentis mentio, ex albo Tarvisinorum Præsulum expungendum jubet Cl. Antonius Scotus in Veneta Italiæ Sacræ Editione. Lubens ipse tamen fatetur, his concessam temporibus Tarvisii domum Fratribus Ordinis Prædicatorum. Vetustam Cartam profert, quam eruit ex Libro Grammatophylacii Communis, ubi hæc habentur: " In Christi nomine Amen. Ad honorem Dei &

M „ San-

„ Sanctorum omnium , & ad confirmationem sanctæ fidei Christianæ , statuimus , & ordinamus : quod per „ commune Civitatis Tarvisinæ fiat Ecclesia una in congruo loco Civitatis, vel suburbiorum, in quo *Fratres* „ *Ordinis Prædicatorum* possint prædicationes facere , & „ divina officia celebrare, si placuerit eisdem , in Civitate Tarvisina, vel suburbiis habere Conventum. Pro „ quo laborerio Potestas Tarvisinus pro Communi expendere possit, & debeat usque ad summam Quingentarum librarum, & plus ad voluntatem Consilii , vel „ Majoris partis . " Notæ Chronicæ desiderantur , quæ Tarvisini erecti Cœnobii epocham certo indicent . Annum 1223. a Bonifacio sua in Historia Tarvisina constitutum alia confirmat epocha Tarvisini Sororum Ordinis Prædicatorum Monasterii , quod anno insequente 1224. ædificari cœptum, Capite VIII. adnotabimus num. III.

Cœnobium *Montis-silicis* in Diœcesi Patavina locum non habuit in Comitiis Provincialibus, quæ anno 1303. apud Bernardum Guidonis celebrata memorantur : Domibusque novis accensetur , quæ sedem anno 1308. in Comitiis Patavinis habuere . Hoc anno celebratum Patavii recenset Generale Capitulum sub Aimerico Magistro Ordinis laudatus Moschetta. Locum decimum nonum *chori dextri* tenet Cœnobium *Montis-silicis* . Satis ejus nota forent primordia: at suspicio insidet mihi, posteriore ætate in Guidonis Catalogum, additamenti causa, hujusce nomen Cœnobii irrepsisse. Hæc scribit Salomonius in Inscriptionibus agri Patavini : " *Divi Stephani* planum, olim a Federico Imperatore in Militum hospitale erectum nomine *S. Eleazari*, cujus Altare adhuc „ in parte templi quæ monti adhæret, conspicitur: illud „ *Patres Ordinis Prædicatorum* possident ab anno circiter „ MCCCC. " Integro fere seculo hæc notitia posterior est Notitia Bernardo Guidonis tributa . Indulgentiarum diploma *pro Cœnobio Montesilicis Paduanæ Diocesis* refertur in Bullario , ab Eugenio IV. datum *Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ Milles. Quadringentesimo tricesimoquinto*, *pridie Idus Octobris*, *Pontificatus anno quinto*. Priora, quæ recitantur verba, hæc sunt: *Ecclesiarum fabricis &c.* Ecclesiæ aut erigendæ, aut amplificandæ, aut sarciendæ manus hac ætate admovisse Fratres colligitur.

In eisdem Comitiis Patavii anno 1308. celebratis *Urinense*

nense Cœnobium decimo octavo *sinistri chori* loco recensetur. In vetusto ejusdem Conventus Codice Epigraphe servatur, quæ pridem in pariete loci, quem vocamus *Capitulum*, scripta legebatur his verbis: *Solemni per Religiosos Prædicatorum viros Sacrificio peracto, hujusce sacri Templi cœpta sunt jaci fundamenta anno M. CC. LXXXV. pridie Kal. Junii.* Eodem in Codice hæc alia verba Italice præmissa leguntur: *M. CC. LXXXV. XXXI. Maggio sotto il Pontificato di Martino, nel loco dove si chiama Capitolo del Monastero della Città di Udine di S. Pietro Martire, si trovano nel muro scolpite queste parole: Solemni &c.* Martinus hujus nominis quartus intelligitur. At morte sublatum eodem anno 1285. Martinum die 28. aut 29. insequente Mensis Martii, aut etiam Calendis Aprilis, produnt Scriptores; unde fallitur Adnotator, Templi nostri Utinensis ædificationem ad ejus referens Pontificatus tempora. Certam prædictæ Ecclesiæ atque Cœnobii originem patefacit Chronicon *Rerum forojuliensium*, a Juliano Canonico Civitatis Austriæ concinnatum, quod in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis vulgavimus. Hæc in eo habentur verba: *Anno Domini M. CC. LXXXV. Indict. XIII. die ultimo exeunte Majo, ingressi sunt primo Utinum Fratres Prædicatores ad habitandum ibidem, & primo celebraverunt publice in eodem loco Missam. Lapis autem primus Ecclesiæ ædificandæ impositus fuit ultimo die Maii*: quo tempore Christianam regebat Ecclesiam Honorius IV.

III. *Alia Cœnobia, quæ seriori ætate erecta sunt. Antiqua vero jam suppressa, & amissa.*

Alia minora, quæ ad Congregationem *S. Dominici* pertinebant, eidemque inhærent in Provinciam erectæ, memorantur Cœnobia in Actis Generalis Priorum Provincialium Capituli Romæ anno 1670. celebrati, in quo Magistrum Ordinis Jo: Thomam de Roccaberti elegerunt Patres. Sub Titulo, *Pro Provincia S. Dominici Venetiarum*, hæc habentur num. V. *Declaramus, facimus, & erigimus in Conventum Collegiatum Cœnobium nostrum S. Mariæ Gratiarum de Este*: num. VI. *Reponimus in pristinum suum jus, a quo per non usum negligenter ceciderat, Conventum nostrum S. Mariæ in Portu de Liniaco*: num. IX. *Conventus S. Joannis* (Antonii) *de Rodigio inter Collegiatos paucis abhinc annis relatus*: itemque *Conventus S. Laurentii de S. Vito in Prioratum annis proxime elapsis erectus*: qui-

 bus

bus demum adjicitur *Conventus S. Rochi de Marostica*.

Atestini Cœnobii origo patet ex Diplomate Pauli II. quod Bremondus recenset, *Romæ* dato *apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ Millesimo Quadringentesimo sexagesimo Octavo* 4. *Idus Septembris*, *Pontificatus anno quarto*. Suprema *quondam Thaddæi Marchionis Estensis* voluntas exponitur: ut *de bonis ipsius una Domus cum Ecclesia, Campanili, Campana, Horto, Hortalitiis, aliisque necessariis officinis pro usu & habitatione Fratrum Ordinis Prædicatorum extra Castrum Estense Paduanæ Diœcesis* construeretur. Præclarum Virum, filium Azzonis, bellica virtute insignem, qui in Venetorum Castris plurimum meruit, vita sublatum *anno* 1448. *die* 1. *Junii*, narrat Muratorius Parte II. Antiquitatum Estensium. Tabulas ejus Testamentarias *anno* 1443. *die* 11. *Octobris* confectas docuit humanissimus, amicissimusque Dominicus Maria Berardellus, Cœnobii SS. Joannis & Pauli alumnus. Tum vero in Pauli II. diplomate petitio refertur *Christophori Mauro Ducis Venetiarum*, ut eadem Fratrum Prædicatorum Domus aptiore in loco erigi posset intra Castrum. Votis annuit Pontifex, data rem exequendi facultate *Andreæ Bembo, & Thaddæo Quirino, Canonicis Ecclesiæ Paduanæ*.

Ad annum 1479. diemque 21. Octobris primordia spectant Cœnobioli, quod *in Oppido S. Viti* Diœceseos Concordiensis in Provincia Forijulii sub nuncupatione *S. Laurentii* erectum est. Id fieri supremis Tabulis eodem anno, eodemque die confectis mandavit Matthæus ex Familia Altana Comes Salvaroli. Piæ Parentis, ac Testatoris menti mora nulla obsequuti sunt Filii, Antonius, & Tanus: quorum jussu posita sequens Epigraphe: *Divo Laurentio Salvaroli Comites dicarunt MCCCCLXXXVII.* Hæc narrantur omnia in Opere Venetiis edito anno 1717. inscriptoque: *Memorie sopra la Famiglia de' Signori Altani Conti di Salvarolo*.

Marosticensem *S. Rochi* Domum in Diœcesi Vicentina *anno* 1490. traditam Fratribus Prædicatoribus, narrat Michæl Pius in Progenie S. Dominici Libro I. Capite XIX. Certiora videntur documenta, quæ produnt, sacrum locum anno 1513. traditum fuisse Congregationi *Lombardiæ*, tum anno 1517. cuidam Fratri Angelo, Provinciæ *S. Dominici* alumno: ab eodemque ampliatam Ecclesiam,

ac ædes Conventus construi cœptas. Epigraphe affertur: *Fr. Angelus Venetus, Fundator, & Fabricator istius Conventus, hic jacet anno 1557. die* 10. *Aprilis.* (Sepulcrum scilicet sibi paraverat.) *Obiit autem die 16. Septembris 1561. Vicarius Provinciæ S. Dominici*. Rhodiginam *S. Antonii* domum anno 1542. erectam, laudatus Pius refert loco citato: nullamque ingerit mentionem *Liniacensis* Conventus sub nuncupatione *S. Mariæ* in agro Veronensi. Certiora, & ampliora documenta dabunt Provinciæ *S. Dominici* Venetiarum alumni.

Locum *S. Mariæ de populo* olim eadem possidebat Provincia, positum in Civitate-Nova, seu Æmoniæ in Istria. Ad annum 1492. ejus primordia referenda docuimus Capite I. num. VIII. ipsumque justis proventibus minutum, ac cæli intemperie labefactatum, anno circiter 1616. dimisit Bernardinus Gosellinus, Provinciæ Præfectus. Rem servavit posterorum memoriæ Marcus-Antonius Sternus in ejusdem Viri probatissimi Vita, quam Historiæ MS. Congregationis nostræ subjecit compendio collectam. Alia Domus *S. Joannis*, qua in *Portu-Gruaro*, ubi sedem habet Antistes Concordiæ, ab *anno* 1493. teste Michaële Pio potiebantur Fratres, in suppressione parvorum Conventuum Romani Pontificis jussu decreta a nostris rem propriam negligentius curantibus amissa est. Hanc sibi postea compararunt, possidentque Fratres Ordinis Servorum Mariæ. His accedebant parvæ Domus duæ, quas *Vicariatus* appellamus: altera *Castelli-Baldi*, altera *Salvaterræ*. Modicos hujusce proventus a Bernardino Gosellino adsignatos fuisse priori, adnotat laudatus Marcus-Antonius Sternus, ut altera dimissa, alteram retineret.

IV. *Ejusdem Venetæ S. Dominici Congregationis Vicarii Generales.*

Hæc erant Cœnobia, domusque, quibus præsidebant Vicarii Generales, Congregationi Venetæ *S. Dominici* præfecti. Eorum Catalogum subjicio.

M. D. XXXI. *Gabriel Patavinus*, a Clemente VII. institutus.

M. D. XXXII. *Isidorus Leopardus* Patavinus, Venetiis in Capitulo Congregationis electus.

M. D. XXXV. *Joannes Liniacensis*, Tarvisii.

M. D. XXXVII. *Franciscus de Gratiis* Venetus, Patavii.

M. D. XXXIX. Idem iterum, Venetiis.

M. D. XL. *Sistus Medices* Venetus, Vicarius institutus,

tus, Officio prius abdicato a *Francisco de Gratiis*: & anno insequente 1542. electus Venetiis. Clarissimi Viri elogium texunt Tomasinus in Gymmasio Patavino, & Echardus Tomo II. Scriptorum Ord. Præd.

M. D. XLIV. *Julius Soncinus* Patavinus, Patavii.

M. D. XLVII. *Leonardus de Utino*, Tarvisii. Junior dicitur: alter scilicet a Seniore ejusdem Patriæ ac nominis, qui superiore seculo florebat. Ille est, cujus de *Prædestinatione* concionem Utini habitam propugnavit, vindicavitque Joannes Grimanus, Aquilejensis Patriarcha. De Viro clarissimo agunt Jacobus Hyacinthus Serry in Historia de Auxiliis, & Echardus Tomo II. Scriptorum Ordinis: nosque plura differimus in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis in *Joanne Grimano*. Cognominatum *Locadelli* legimus.

M. D. XLIX. *Sistus Medices* iterum, Patavii.

M. D. LI. Idem tertium, Tarvisii.

M. D. LIII. *Hieronymus Vielmius*, Venetiis. Litteris, ac dignitatum splendore clarus. Metaphysicæ Cathedram, ac deinde Theologiæ post Sistum Medicem in Patavina Universitate obtinuit. *Argolicensis* in Peloponneso Episcopus fuit. Operam quoque suam auxiliarem præstitit in Diœcesi Patavina: rexitque demum Æmoniensem in Istria Ecclesiam. Cœnobii S. Dominici alumnum volunt Razius, Rovetta, aliique: Sanctorum vero Joannis & Pauli potiore jure Michaël Pius, & alii. In hocce sibi sepulturam ipse elegit. Hoc anno 1553. avulsa fuere Marchiæ Anconitane Cœnobia.

M. D. LV. Idem iterum, Patavii.

M. D. LVII. *Nicolaus a Cruce* Venetus, inter Scriptores ab Echardo justo elogio exornatus, Marosticæ electus.

M. D. LIX. *Sixtus Medices* quartum, Forijulii. Irritam electionem MSS. monumenta testantur.

M. D. LX. *Angelus Venetus*, dictus de Marostica.

M. D. LXII. *Constantius Tarvisinus*, Tarvisii.

M. D. LXIV. *Vincentius Bressaninus* Tarvisinus, Patavii.

M. D. LXVII. *Gabriel de Franciscbis* Venetus, Tarvisii.

M. D. LXX. *Camillus Spiera* Venetus, Venetiis: non confirmatus. Successit *Jordanus Bassus* Utinensis.

M. D. LXXII. *Elisæus de Cappis* Venetus. Cognomen

de Ca-

de Capys, & *de Caiis* ipsi adtribuunt alii. Nomen Ordini dedit in Veneto S. Dominici Cœnobio: cujus rei mentio servatur in Regesto Consiliorum: *F. Elisæus Venetus, in seculo vocatus Elisæus de Cappis, receptus fuit ad habitum per me F. Stephanum de Genua Priorem die XVI. Aprilis hora XXI. anno M. D. XLII.* Clarissimus fuit ævo suo Theologus, ac Tridentinæ Synodo interfuit cum Reverendiss. Antonio de Muglitio Moravo, Archiepiscopo Pragensi.

M. D. LXXIII. *Camillus Spiera* Venetus, Patavii.

M. D. LXXV. *Remigius Naninus* Florentinus, Venetiis. Elogium ejus prostat apud Echardum.

M. D. LXXVIII. *Alphonsus Sotus* Florentinus, Tarvisii.

M. D. LXXX. *Hieronymus Bigarella* Utinensis, Utini. Ejus cum laude meminit Echardus inter Scriptores. Typis edita prostat *Oratio in funere Reverendiss. in Christo Patris D. Pauli Bysantii Episcopi Catharensis, & in tota Diœcesi Aquilejensi Suffraganei & Vicarii Generalis, habita Utini in Majori Ecclesia die IV. Martii M. D. LXXXVII.* Vicariam hanc gessit præfecturam *Bysantius*, egitque *Episcopum anxiliarem*, sub *Joanne Grimano Patriarcha*.

V. *Regularis disciplinæ instauratio in eadem S. Dominici Congregatione promovetur.*

Meliorem ad frugem revocari prædictam S. Dominici Venetam Congregationem, votis omnibus optabant Generales Ordinis Magistri. Sedis Apostolicæ sæpius adhibita auctoritas. Augustinum de Faventia, cognomento *de Recuperatis*, qui postea totius Ordinis præfecturam gessit, delegit Paulus III. ut ipse tam *sua ordinaria*, quam Sedis Apostolicæ auctoritate Venetum Cœnobium SS. Joannis & Pauli lustraret. Litteræ datæ sunt *Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VII. Octobris MDXXXVII. Pontificatus anno tertio.*

Egit pro virili Vincentius Justinianus, Generalis Magister Ordinis, qui anno 1564. degebat Venetiis, ut in eodem Cœnobio, aliisque in ditione Veneta positis, prostratam erigeret observantiam. Datum quoque Diploma *motu proprio* in auctoritatis præsidium a Pio IV. eodem anno *die V. Augusti, Pontificatus anno quinto*. Magistri Generalis diligentiæ ac operæ reformationem committit Pontifex. Se accepisse narrat: *Nonnullas domos* Ordinis *in ipso Dominio* (Veneto) *existentes, & præcipue domum SS. Joannis & Pauli, earumque Fratres ... non modica, sed maxima reformatione tam juxta ejusdem Ordinis regula-*

gularem observantiam, *quam etiam Decreta Oecumenici Concilii Tridentini*, *indigere*. Hinc *in virtute sanctæ obedientiæ* Justiniano mandat : *quatenus omnes & singulas Domos dicti Ordinis*, *& præcipue domum SS. Joannis & Pauli*, *& earum Fratres*, *ut Conventuales*, *& non observantes inibi degentes ... reformet*, *& ad regularem observantiam ac religiosum vivendi modum reducat*. Facultatemque facit eidem, *si videbitur*, ut *Fratres vel eorum majorem partem*, accersito præsidio Guidonis Episcopi Vercellensis, ac Sedis Apostolicæ ad Rempublicam Venetorum Legati, *ab eisdem domibus amoveat*, aliosque substituere valeat alumnos Regularis disciplinæ cultores: Justiniani conatus habemus, exitum ignoramus. Pontificia citata diplomata refert Bremondus in Bullario.

VI. *Nova Provincia erigitur sub eadem nuncupatione S. Dominici.*

Jam status patet Venetæ *S. Dominici* Congregationis. Infimæ sortis pudebat tædebatque alumnos, ad quam redacti fuerant. Animos erexerunt ipsi, supplices libellos Patribus in Comitiis Generalibus, Definitorum secundis, Romæ anno 1580. congregatis porrigentes, ut quæ pridem jura Provinciæ, ac privilegia amiserant, benigne reddita consequerentur. Eadem de re litteræ commendatitiæ ab Senatu Veneto semel ac iterum Oratori ad summum Pontificem Romæ degenti datæ sunt.

Paulus Constabilis in eisdem Comitiis electus est Generalis Ordinis Magister. Factum vero satis Venetorum Fratrum votis. Decreti verba refert Fontana loco citato : *Restituimus titulum Provincialatus Vicariæ S. Dominici*, *reddentibus pro illis testimonium quamplurimis multum Rev. Patribus Provincialibus & Definitoribus de regulari eorum vita in Conventibus dictæ Vicariæ*, *imo id asseverantibus coram Deo & sua Reverendissima Paternitate*, *& toto Definitorio*. *Unde & Vicario ejusdem nuper electo & confirmato*, *videlicet R. P. F. Hieronymo Bigarellæ Magistro*, *Provincialatus titulum damus*, *litteris Apostolicis fel. rec. Clementis VII. innixi*. *Cui tamen Provinciæ ultimum locum inter omnes Provincias* (eo tempore erectas) *assignamus* ; *ei dantes omnes gratias immunitates*, *& privilegia*, *quibus gaudent cæteræ Provinciæ nostri Ordinis*.

VII. *Novæ Provinciæ addicuntur domus Rosaciensis in Provincia Forijulii*,

Domos duas obtinuere novæ Provinciæ alumni, alteram Vicariatus titulo in *Abbatia Rosaciensi* Provinciæ Forijulii, Venetam alteram *S. Secundi* in Æstuariis. Locus est

est Rosacium, in Colle situs, quem Cæli salubritas ac ubertas vinearum commendant. A Civitate Austria, seu veteri Forojulio, quinque circiter milliaria distat. Abbatiæ in eo positæ, quam Monachi Benedictini incoluerunt, initia nono seculo adscribunt aliqui: ad seculum undecimum alii referunt. Seculo Ecclesiæ Christianæ quintodecimo, primus titulo *Commendæ* obtinuit Abbatiam *Alamannus Adimarius* Florentinus, S. R. E. Cardinalis. Martini V. exstant litteræ, datæ *Constantiæ 17. Kal. Maii, Pontificatus nostri anno primo*, æræ vulgaris anno 1418.

ac Veneta S. Secundi. Utriusque brevis notitia.

Adhuc anno 1434. locum Benedictinos incoluisse, ac sacris operatos esse, mihi videor colligere ex Bulla Eugenii IV. posse, quæ Tomo I. Bullarii Cassinensis prostat num. LVIII. data *Anno Incarnationis 1434. septimo Calendas Martii, Pontificatus anno quinto*: ubi inter *Monasteria, Prioratus, & loca* Congregationis Sanctæ Justinæ, postea Cassinensis, memoratum connumeratumque legitur *Monasterium Sancti Petri de Rosacio*. Illis demum abeuntibus, (quo tempore, ignotum mihi,) Fratres Prædicatores subrogati sunt, qui divina persolverent officia, ac supremo Numini in Ecclesia litarent, a Commendatario Abbate stipendia accipientes. Abbatia sibi Commendata anno 1533. potiebatur Jo: Matthæus Gibertus, Episcopus Veronensis, cujus eximias virtutes ac præclara gesta posteritati mandarunt Petrus, & Hieronymus Ballerini Fratres; typis edito Veronæ apud Petrum Antonium Bernum Volumine anno 1733. Loci ejus sarta tecta, quæ hodieque visuntur, auctorem habent Abbatem præclarissimum. Perenne monimentum legimus in Templi fronte positum: *Jo: Matthæo Gyberto ob restitutam antiq. ædium formam auctamque, Templum, turres, hortos amenissimos, ædificiaque a fundamentis constructa pietatis & religionis ergo P. anno a mundi repar. M. D. XXXIII. Clem. VII. Pont. Max. anno X.* Sub hujus Abbatis tempora Fratres nostros Rosaciensem incoluisse domum, patefacit Nota MS. quæ legitur in Voluminibus Glossæ ordinariæ, ex eo loco ad Bibliothecam Fratrum Forojuliensium translatis: *Iste liber pertinet ad usum F. Joannis Regiensis Ordinis Prædicatorum ex dono Reverendiss. D. Matthæi Giberti Episcopi Veronensis*. Vetusti quoque accepti & expensi Codices, qui inibi adservantur, *annum* exhibent 1544.

Cœnobiolum titulo Vicariatus tenuere Fratres *utriusque Lombardiæ* ad annum usque 1592. quo illud Provinciæ *S. Dominici* nuper institutæ addicitur in Capitulo Generali, Definitorum secundo, præside Hippolyto Maria Beccaria, Venetiis celebrato. Verba sunt: *Denunciamus, incorporatum fuisse Provinciæ S. Dominici Venetiarum Vicariatum Abbatiæ Rosacii, & curæ Rev.*

 P. Pro-

digno, dicitur *Bartholomæus* anno 1541. adiisse in urbe *Luca* diversantem, cum solium Pontificium jam ab anno 1534. teneret *Paulus* III. post ipsius Clementis obitum.

Præfectos ex *utriusque Lombardiæ* Provincia habere Cœnobium cœpit: quo vero anno, non ita lucide a Codalio expositum. Mutationem regiminis cuidam tribuit ille *Salvatori Brixiano* adolescenti, quem ad habitum Ordinis adlegerat *Bartholomæus* Pisanus. Consentientem inducit *Albertum de Casa us*, Generalem totius Ordinis Magistrum. Regimen hic capessivit anno 1542. die 27. Maii: unde sine dubio post hunc annum de Cœnobio Sancti Secundi, Provinciæ *utriusque Lombardiæ* addicendo, agi cœptum. Imo Codalius ipse narrat, in ejusdem Provinciæ Comitiis, *Veronæ celebratis*, inter ejus Provinciæ domos idem fuisse Cœnobium cooptatum: eademque Comitia nonnisi anno 1545. celebrata nos addiscimus ex *Serie Chronologica Comitiorum, ac Præsidum Provincialium Provinciæ, ut vocant, utriusque Lombardiæ*, typis edita Bononiæ anno 1741. Optandum foret, ut quæ in hocce negotio scripta fuerunt Acta, recensuisset laudatus Codalius.

In Calce Operis texit ille *Chronicon*, seu Catalogum Præfectorum, qui Cœnobium, & Insulam *Sancti Secundi* administrarunt. Hunc nos dabimus loco suo animadversionibus illustratum. Seriem ducit Codalius ad annum usque 1607. quo ipse Præfecturam adsumpsit. Viri cæteroqui probatissimi, litteris tum sacris tum humanioribus apprime instructi, deque Cœnobio *Sancti Secundi* optime meriti, elogium consule apud Echardum, & inter Monumenta selecta Conventus Sancti Dominici Venetiarum Zachariam a Codalio dictum *Lunensem de la Città di Lucha* ita Echardus interpretatur, ut patria fuerit ille *Lunensis*, ac *Lucensis* professione. Allatis verbis minime consonat interpretatio: an ipse tamen Echardus veritatem adsecutus fuerit, non ita facile dictu. Utroque in loco ejus Opera, typis edita, & Manuscripta recensentur: eademque in Chronico citato recenset Codalius. Quod opus inscribitur, *Exordium præclarissimi Conventus, ac Sacræ Ædis Sancti Dominici de Castello Venetiarum*, una comprehensum pagina in folio nos vidimus: unde fuerit opus animo designatum, inchoatumque. Vitam ait se confecisse *di Fra Lorenzo da Bergomo Vescovo di Modrone:* quem attamen in Regesto Consiliorum, quod in Veneto Sancti Dominici Cœnobio adservatur, bis *Modrusiensem* in Croatia scriptum, appellatumque legimus. Ejusdem Codalii cum laude meminerunt Rivetta, Rivalius, & Cozzandius.

Ex eodem Consiliorum Regesto innotescunt Præfecti, Pro-

vinciæ *utriusque Lombardiæ* alumni, qui post annum 1607. singulis bienniis rexerunt singuli, nonnullis exceptis, ad annum usque 1639. Venetum *Sancti Secundi* Cœnobium. Immediato Magistri Generalis deinceps regimine administratum fuit, Vicariam sub ipso gerente curam Religioso viro deputato. Tum vero anno 1641. inter Cœnobia Venetæ *Sancti Dominici* Provinciæ connumerari debere, Senatus consulto jussum est. Cœnobii nostri *Sancti Secundi* breve specimen habes Historiæ, quam latiore calamo, prolatisque in lucem authenticis monumentis, dabimus suo loco.

VIII. *Ejusdem novæ Provinciæ Præfectorum series.*

Præfectorum, qui novam Provinciam moderati sunt, seriem exhibeo ad usque tempora, quibus Congregatio nostra ipsorum juri ac potestati Apostolica auctoritate adempta est.

M. D. LXXX. *Hieronymus Bigarella* Utinensis, qui Venetis Cœnobiis, titulo *Vicarii Generalis*, postremus præfuit. Prior Provincialis institutus in Comitiis Generalibus Romæ celebratis.

M. D. LXXXII. *Camillus Spiera* Venetus, Titulum antea, ac munus gessit Vicarii Generalis. In Provinciali Capitulo electus Patavii.

M. D. LXXXIV. *Adrianus Abrianus* Patavinus, institutus a Magistro ordinis Sixto Fabro, irrita prius & nulla declarata *Benedicti Giojosi* electione.

M. D. LXXXVI. *Petrus Franchinus* Tarvisinus, Tarvisii.

M. D. LXXXVIII. *Alphonsus Sotus* Florentinus, Venetiis. Jam rexerat Congregationem ante Bigarellam.

M. D. XC. *Marinus Petrobellus* Patavinus. Ateste.

M. D. XCII. *Hieronymus Guidonius* Tarvisinus, Venetiis.

M. D. XCIV. *Bonifacius Fontana* Venetus, Tarvisii.

M. D. XCVI. *Joannes Castellus* Patavinus, Patavii.

M. D. XCVIII. *Angelus Andronicus* Venetus, Venetiis.

M. DC. *Livius Bernardus* Tarvisinus, Tarvisii.

M. DC. II. *Livius Leonius* Venetus, vel Patavinus, Patavii.

M. DC. IV. *Theophilus Lupatinus* Brixianus, institutus ab Ordinis Magistro.

M. DC. VI. *Jacobus*, aut *Jacobinus Torsus* Utinensis Tarvisii: quo favente, regularis disciplinæ instauratio ortum habuit in *Forojuliensi* S. Dominici Cœnobio, opera Georgii de Longis, & Bernardini Gosellini.

M. DC. VIII. *Sixtus Sarbotus* Venetus Utini.

M. DC. X. *Angelus Andronicus* Venetus iterum, Patavii.

M. DC. XII. *Vincentius Pontinus* Tarvisinus, Tarvisii.

M. DC. XIV. *Sixtus Sandolinus* Utinensis, Venetiis.

M. DC. XVI. *Livius Leonius* iterum electus Venetiis.

Bernardinus Gosellinus. Leonii electionem rejecerat Seraphi-

raphinus Siccus, Generalis Ordinis Magister: præfecitque Provinciæ Bernardinum Gosellinum.

M. DC. XVIII. *Xantes Mariales Pinardus* Venetus, *Tarvisii*.

M. DC. XX. *Adrianus Leonicus* Patavinus, Tarvisii.

M. DC. XXII. *Augustinus Leonius* Venetus, Patavii.

M. DC. XXIV. *Petrus Astorius* Venetus, Venetiis, Electionem irritam declarat Magister Ordinis Seraphinus siccus. Visitator Provinciæ institutus.

M. DC. XXVI. *Guillelmus Redoanus* Venetus, Forijuli.

M. DC. XXVIII. *Benedictus Bovius* Feltrensis, Venetiis. Absoluto Præfecturæ tempore, regere Provinciam perrexit titulo *Vicarii* ad annum usque 1631. diemque emortualem 2. Decembris. Cui successit *Remigius Scrossa*, postea Prior Provincialis electus.

M. DC. XXXII. *Remigius Scroffa* Venetus, Venetiis.

M. DC. XXXIV. Idem *Remigius Scroffa*, titulo Vicarii; in irritum missa *Nicolai Vanti* electione.

M. DC. XXXV. *Thomas Valle*, Provinciæ utriusque Lombardiæ alumnus.

M. DC. XXXVII. *Hippolytus Maria* Taleapetra Venetus, Tarvisii.

M. DC. XXXIX. *Marcus Ferrus* Venetus, Utini.

M. DC. XLI. *Antonius Basilius* Patavinus, Venetiis.

M. DC. XLIII. *Thomas Tassellus* Patavinus, Patavii.

M. DC. XLIV. *Nicolaus Vantus* Tarvisinus, Tarvisii. Quo vita functo, electus est *Marinus Cerchiarius* Venetus.

M. DC. XLVI. *Ciprianus Philippinus* de Oppido S. Viti, Venetiis.

M. DC. XLVIII. *Gabriel Dominionus* Venetus, Patavii.

M. DC. L. *Jacobus Cerchiarius* Venetus, Venetiis.

M. DC. LII. *Archangelus Mansuetus* Venetus, institutus a Magistro Ordinis Jo: Baptista de Marinis.

M. DC. LIV. *Jo: Petrus Bortolettus* Venetus, Venetiis.

M. DC. LVI. *Dominicus Navarinus* Patavinus, institutus ab Ordinis Magistro.

M. DC. LVIII. *Petrus Martyr Degna*, Forijulii. Regularem observantiam fervidissime promovit, ac primus Congregationem *B. Jacobi Salomonii* titulo Vicarii Generalis rexit.

M. DC. LX. *Leonorus Rizzardus* Tarvisinus, Patavii.

M. DC. LXII. *Felix Bertottus* Venetus Tarvisii. Cœ-

nobia quatuor, *Forojulienſe* S. Dominici, *Farenſe* S. Jo: Baptiſtæ, *Juſtinopolitanum* S. Dominici, *Venetum* S. Secundi, ac Domus *Rosacienſis*, in quibus inſtaurata vigebat diſciplina regularis, in Congregationem ſub nuncupatione *B. Jacobi Salomonii* eriguntur a Joanne Baptiſta de Marinis, Generali Magiſtro Ordinis, curæ ac regimini Præfecti Provinciæ ſubjectam, ſimulque novi ab eodem Ordinis Magiſtro inſtituti Vicarii Generalis.

M. DC. LXIV. *Pius Porta* Utinenſis, Rhodigii.

M. DC. LXVI. *Innocentius Pencinus* Venetus, Utini.

M. DC. LXVIII. *Jacobus Maria Januizius* Venetus, Venetiis.

M. DC. LXX. *Jo: Petrus Bortoletus* iterum, Tarviſii.

M. DC. LXXII. *Dominicus Navarinus* iterum, Venetiis.

M. DC. LXXIV. *Hippolytus de Monte ſilicis*, Patavii.

M. DC. LXXVI. *Jacobus Maria Januizius* iterum, Monteſilicis.

M. DC. LXXVIII. *Marcus Antonius Bonicellus* Ateſtinus, Venetiis.

M. DC. LXXX. *Stephanus Gaitus* Rhodiginus, Ateſte.

M. DC. LXXXII. *Innocentius Perazzius* Patavinus, Tarviſii.

M. DC. LXXXIV. *Petrus, Martyr Bellenus* Rhodiginus, Patavii.

M. DC. LXXXVI. *Jo: Petrus Bortolettus* tertium, Venetiis.

M. DC. LXXXVIII. *Jo: Franciſcus Gallus* Venetus, Venetiis.

M. DC. XC. *Hieronymus Galantes* Venetus. Venetiis.

M. DC. XCII. *Petrus Blancus* Tarviſinus Venetiis.

M. DC. XCIV. *Petrus Martyr Bellenus* Rhodiginus iterum, Tarviſii.

M. DC. XCVI. *Jo: Franciſcus Gallus* iterum, Rhodigii.

M. DC. XCVIII. *Benedictus Polame* Utinenſis, Venetiis.

M. DCC. *Petrus Blancus* Tarviſinus iterum, Utini.

M. DCC. II. *Jo: Franciſcus Gallus* tertium, Tarviſii.

Clemens XI. Congregationem *B. Jacobi Salomonii* dato Diplomate avelli a regimine Provinciæ *S. Dominici*, ad normam Congregationum, *S. Sabinæ* in Provincia utriusque Lombardiæ, & *S. Marci* in Provincia Romana. Diplomatis executio differtur.

M. DCC. IV.

M. DCC. IV. *Rocbus Fustinonius* Venetus, in Oppido Sancti-Viti.

M. DCC. VI. *Dominicus Galliua* de Montesilicis, Venetiis.

M. DCC. VIII. *Cornelius Bertinus* Patavinus, Montesilicis.

M. DCC. IX. *Fellix Minclus* Venetus, Patavii.

M. DCC. XI. *Antonius Gavazzus* Venetus, Venetiis.

M. DCC. XIII. *Jo: Franciscus Gallus* quartum, Ateste.

M. DCC. XV. *Dominicus Grassenus* Patavinus, Venetiis.

M. DCC. XVII. *Albertus Manfredinus* Rhodiginus, Patavii.

M. DCC. XIX. *Jo: Dominicus Donatus Savoldellus* Venetus, Rhodigii.

M. DCC. XXI. *Raphaël Jacobatius* Venetus, Tarvisii.

M. DCC. XXIII. *Antonius Boninchus* Venetus, Venetiis.

M. DCC. XXV. *Thomas Angelicus Ferrarius* de Monte silicis, Patavii.

M. DCC. XXVII. *Antonius Marianus Camerinus* Patavinus, Patavii.

M. DCC. XXIX. *Dionysius Caggiolius* Venetus, Patavii. Clementinum prædictæ avulsionis diploma, accedente Senatus Veneti placito, executioni mandatur.

CAPUT V.

Regularis disciplina, quam instaurari in Provincia S. Dominici jubent Patres, in Forojuliensi S. Dominici Cœnobio adseritur, consilio & opera Georgii de Longis, & Bernardini Gosellini. Forojuliensis Cœnobii appellatio multiplex pro varia Civitatis appellatione.

1\. *Reformatio in Ordine Prædicatorum intelligitur primævæ regularis disciplinæ, salva Ordinis unitate, instauratio.*

Regularis Disciplinæ, quæ in Ordine Prædicatorum malo fato collapsa erat, erectionem ac instaurationem dixere Patres, qui tantum opus adspirante Numine moliti sunt, ac perfecerunt, *Reformationem*. Ea voce nos aliquando usi sumus, ac deinceps utemur. Non desinunt, qui suspicentur, invidiosum quid ea portendi: quod initio prorsus eliminari, pretium operæ est.

Id objectum tum primo legimus, cum *Reformationis* opus moliri cœpit Raimundus a Vineis Capuanus, in *obedientia Romana* Generalis Magister Ordinis. " Non
" assumat aliquis talis suæ iniquitatis, colorem, (inquit
" ille in Litteris *ad Fratres, tam Præsidentes, quam subditos* datis apud Fontanam) dicendo: quod istud videtur nostri Ordinis esse divisio, quod quidam dicuntur
" Observantes, quidam non. Videndum illis, quid significet hoc vocabulum *Ordo*: & quid hoc verbum
" *dividere*. Ordo enim, sane intelligendo, significat Congregationem Fidelium, regula & aliis ordinationibus
" seu institutionibus ordinatam. Ex quo sequitur, quod
" illi constituunt & statuunt ordinem, qui secundum ordinem, regulam, & institutiones sunt ordinati. Dicere igitur, quod observantes regulam & institutiones
" dividunt ordinem, non est aliud dicere nisi quod qui
" ordinem faciunt & constituunt, illi destruunt, & dividunt illum: quod est clare contradicere sibi. "

Hoc idem uberiore calamo argumentum pertractat Raimundus in Libello Apologetico, qui *Tractatus* inscribitur *pro Reformatione conservanda*, ad Philippum de Alenconio, Episcopum Ostiensem, & S. R. E. Cardinalem dato. Typis anno 1580. prodiit Romæ, Tolosæ 1605. ac inter Constitutiones & Ordinationes Capitulorum Generalium a Vincentio Maria Fontana editas. Philippus idem *de Lanconio* cognominatur a Raimundo: quo etiam modo cognomen idem legitur expressum in Catalogis MSS. Patriarcharum Aquilejensium, ubi de Patriarchatu Aquilejæ eidem Philippo, *Commendæ* titulo post obitum Marquardi anno 1381. ab Urbano VI. Pontifice Romano demandato, agitur.

Vocis demum invidiam tollit omnem *Animadversio* prudentissima, quæ habetur inter Acta Generalis Mediolanensis *Provincialium* Capituli, quod anno 1622. præside Seraphino Sicco Magistro Ordinis, celebraverunt Patres. Verba refero, quæ digna sunt animadversione.
" Ne hoc *Reformationis* nomen, quo sæpius in his Ordi-
" nationibus occasione reparandæ regularis observantiæ,
" jam fere temporum injuria in nonnullis Provinciis col-
" lapsæ utimur, aliquod fortasse præjudicium Ordinis no-
" stri unitati, (invidiæ & ambitionis ignem excitante
" Diabolo,) progressu temporis generare possit; animad-
" ver-

„ vertant omnes Ordinis nostri Fratres, nihil aliud per „ idem *Reformationis* vocabulum intelligi debere, quam „ regularis vitæ observantiam juxta nostras Sacras Constitutiones, & Acta nostrorum Capitulorum Generalium; non mutato habitu, nullisque novitatibus aut „ ceremoniis inductis, præter usque modo communiter „ receptas, & approbatas. Quam quidem observantiam „ omnes Ordinis nostri Provincias, quatenus opus est, „ ac prout Reverendiss. Magister Ordinis sua solicitudine ac Zelo disposuerit, amplecti cupimus. Cæterum „ cautos omnes esse volumus: quod (ut in Declaratione Prologi nostrarum Constitutionum habetur,) ideo „ sub unius professionis voto vivere dicimur, quia sub „ unius Generalis Capituli, & sub unius Generalis Magistri obedientia regimur, & gubernamur. Sicut enim „ unitas Ecclesiæ ex unitate Capitis dependet, ita & unitas Ordinis nostri ex unitate unius Generalis Capituli, & unius Generalis Magistri, cui secundum unam „ regulam, & secundum easdem Constitutiones ex voto „ nostræ professionis tenemur obedire, absque dubio dependere dignoscitur. Quamobrem in Capitulis Generalibus . . . & in hoc Capitulo Generali prohibetur „ strictissime, ne divisionem Ordinis quocumque modo „ Fratres procurent. "

II. *Reformationis opus in Atestino Cœnobio inchoandum, Tarvisina Comitia decernunt.*

Hujusce *reformationis* ergo, seu reparatæ discipinæ regularis meliora charismata in nova *S. Dominici* Provincia plurimorum voto ardentius exoptabantur: adeoque *Atestinum* iis concedi Cœnobium, qui rigidiorem colere observantiam vellent, sanxere ejusdem Provinciæ Patres anno 1606. in Comitiis Tarvisinis. *Declaramus*, inquiunt, *in nostro Definitorio assignatum, & deputatum fuisse Conventum nostrum S. Mariæ Gratiarum de Este pro Patribus & Fratribus, qui petunt vivere secundum rigorem nostrarum Constitutionum*.

Eam scilicet instaurandæ disciplinæ-rationem tenuere Patres, quam plurima jam præscripserant Generalia Ordinis Comitia, quam aliæ magno emolumento amplexatæ fuerant Provinciæ, quam Raimundus a Vineis Magister Generalis Apostolica Bonifacii IX. auctoritate firmatam proposuit, excogitavitque primus Conradus Prussianus, in Provincia *Teutoniæ* Vir eximius, ac regularis vitæ morumque integerrimus. Rem bonis avibus natam,

quam

quam Raimundus narrat in Libello Apologetico ad Philippum Alenconium oblato, referre hoc loco placet: *Ego eundo per Ordinem*, ait ille, *& visitando ut moris est, inveni in multis Provinciis per gratiam Dei Fratres quamplures, Dei servitio perfecte deditos, & caritatis zelo accensos, qui desiderant toto corde Deo servire in observantia regulari ... Inter quos reperi quemdam Fratrem, nomine Conradum de Prussia, hominem nimis laudabilis vitæ, ac maxime famæ in tota Alemannia, qui majorem fructum animarum fecit solus, quam omnes alii Religiosi cujuscumque Religionis simul. Hic habens multos Fratres imitatores sui, petivit a me quod deberem assignare aliquem Conventum, in quo posset cum talibus habitare, ubi non impediretur ab aliquo tam in Dei servitio, quam in animarum fructu.*

Conradi votis annuit pro conscientia Raimundus, Cœnobio Columbariensi (*Colmar*) in Basileensi Diœcesi eidem ac sociis concesso, ut in litteris Bonifacii IX. legitur: idemque in aliis Ordinis Provinciis præstandum censuit ipse, decretumque est in Generalibus Comitiis aut *Viennæ* in Austria anno 1388. aut alio in loco anno 1390. celebratis: Consule Caput II. num. I. Magna quippe spes inde affulgebat, pauca grana sive semina multos magnosque fructus germinatura, paucorum exemplo ad frugem sine dubio trahendos quamplures, ac universum Ordinem ad primævam disciplinam sensim suaviterque revocandum.

III. *Infecta re in Astino Cœnobio, regularem adfert observantiam in Oppido S. Viti Georgius de Longis.*

Tam salubre institutum, instigatore potissimum Gergio de Longis, Comitiorum decreto adprobatum fuisse accepimus: at irritum votum ejus fecere apposita impedimenta. Is Patria, & professione *Utinensis* adolescentiam antiquis moribus excoluerat in Cœnobiis Aprutinis, quæ ad rigidiorem observantiam redacta Paulinus Berardinus, vulgo Bernardinus, in Congregationem cogenda curaverat sub titulo *S. Catharinæ de Senis* anno 1551. Quo de Viro probatissimo, ejusque Sanctitate, Sociorumque in prædictis Cœnobiis regulari disciplina, luculentissimum Baronius testimonium fert in Martyrologio Romano ad Diem ultimum Aprilis in Notis: *Extat Neapoli S. Severi Episcopi nomine vetus Ecclesia*, inquiens, *quæ annis præteritis* (anno 1575.) *concessa est Fratribus Prædicatoribus, qui ibidem sub piæ memoriæ, & spectatissimæ nostro-*

strorum temporum Sanctitatis Viro, Rev. M. Paulino Lucensi, restitutore pristinæ observantiæ regulæ S. Dominici, summa cum laude Sanctissimæ vitæ, sicut in aliis plerisque locis, in ea Urbe primum aggressi felicissime propagarunt.

Neque solum sanctissimis imbuendus moribus, hæsit in Aprutio Georgius noster, verum etiam ob severiorem vitæ normam delectus fuit, ut juvenum tirocinio præesset: rexitque Prior Cœnobia, *Sulmonense*, ac *Neapolitanum* S. Severi. Ischiade postmodum affectus, quam remedia nulla curare potuerant, patrium Cælum repetere coactus est, Medicorum consilio, maximeque disponente Deo, qui tanti Viri operam ad regularem erigendam in Cœnobiis Provinciæ *S. Dominici Venetiarum* disciplinam dirigebat. Sodales Utinenses, quorum utebatur consuetudine, verbis & exemplo ad Institutionum, quos voto Religionis professi fuerant, sanctissimam normam promovebat, decretique Comitiorum Provincialium superius citati auctor fuit. Hæc Georgii præclara gesta decerpere placuit ex Historia MS. Congregationis a Marco-Antonio Sterno Italice elucubrata, quem deinceps ultro sectabimur, aut a se visa, aut ab oculatis testibus accepta, posteris tradentem.

Atestina relicta domo, ad parvum Cœnobiolum sub nuncupatione *S. Laurentii* in Oppido *S. Viti* Diœceseos Concordiensis, mentem convertit Georgius rigidioris vitæ, quam hactenus coluerat, cupidissimus. Ad illud, facultate accepta a Jacobino Torso Præfecto Provinciæ, anno *1606*. secessit. Quatuor ipsi adjuncti ejusdem consilii sodales: Clericus unus e *Bondumeria* Patricia inter Venetos Familia; *Bernardinus Gosellinus*, qui schola quam Tarvisii in ædibus S. Nicolai regebat dimissa, Georgio suggerente, Vicarii titulo præfectus est; ac Fratres duo, quos Conversos vocamus.

Primæ ætatis Dominicanam gentem in Cœnobiolo videres. Die noctuque Deo laudes persolvebant statis horis, diuturnis ad septem Menses lege statutis macerabant carnem Jejuniis, nonnisi lactaria & pisces ac olera carnibus abdicatis pascebantur. Laneas, ac pannosas quas Regula præscribit, induebant vestes: vota emissa maxima religione servabant, ac paupertatem arctissimam æmulabantur: vitamque demum uno pacis & concordiæ spiritu

ritu actam, impatientem otii, facris addictam ftudiis, proximorum faluti deditam, morum fuavitate probatiffimam, totamque uno verbo ad Inftitutionum, quas Majores noftri fanxere, decreta compofitam, ducebant.

Inter hæc nihil cogitans Georgius, fuaque forte contentus, anno ineunte 1608. eligitur Prior ab alumnis Conventus *Forojulienfis*. Electorum fuffragia direxerat Jacobinus Torfus, Præfectus Provinciæ, ut iis latior pateret locus, quos jam delectabat reformatio; idemque Conventus, proventibus minutus, ac labefactatus in ædificiis alumnorum incuria, impigro & optimo præfide, inftaurationem & incrementa caperet.

Ægre nimium adduci poterat, ut onus præfecturæ adfumeret: fumpfitque demum firmato mentis propofito, viam terendi quam pergere cœperat, ne latum quidem unguem flexo calle. Socius quoque promiffus eidem Bernardinus Gofelinus, cujus confiliis plurimum fidebat: Decretique in Provinciæ Comitiis ferendi promiffio facta, quo Domus eadem *Forojulienfis* pro difciplina regulari adferenda, ac juvenum tirocinio deputaretur. Anno eodem Comitia in Civitate Utini ftato tempore celebrata funt: denunciatumque inter Declarationes *vivæ vocis Pauli V. oraculum*, quo prædicti Cœnobii deputatio ad opus Reformationis firmabatur. Verba funt: *Declaramus, quod Conventus S. Dominici de Civitato fuit deputatus auctoritate SS. D. N. Papæ Pauli V. pro iis, qui cupiunt vivere fecundum rigorem noftrarum Conftitutionum: & in eodem etiam Novitiatus deputatus fuit pro iis, qui fecundum tale propofitum optant ingredi Religionem.*

Neque vero jam inftauratam in Opido *S. Viti* regularis vitæ rationem neglexere Patres in eisdem Comitiis Congregati; quinimo difciplinam fervari in Cœnobiolo *S. Laurentii* voluerunt, quam Georgius ad inftitutionum normam erexerat, edita pariter Declaratione: *Conventum S. Laurentii de S. Vito auctoritate Reverendifs. Patris noftri Generalis defignatum effe pro iis, qui vivere volunt in puritate Regulæ, & Conftitutionum rigore.* Hæc optima vota fuere, minime fecundus fauftusque exitus.

V.

Idem Cœnobium Forojulienfe diverfimode appellatum legitur pro varia Civitatis nuncupatione.

Forojulienfe Cœnobium, quod appellavimus, dictum *de Civitato* legimus in allata Comitiorum Provinciæ Declaratione. Variam, multiplicemque pro Scriptorum genio appellationem fubiit, eoquod locus ipfe, in quo erectum

ctum est, diversimode contigit appellari. Varia nomina distinguere, ac patefacere pretium est operæ, ut ansa erroris omnis præcidatur.

Primævo nomine locus ille appellabatur *Forumjulii*. Nominis originem Paulus Diaconus, & ipse Civis, in Historia Langobardorum aperit: *quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat;* admonetque, post excisam Aquilejam, regionis *Caput extitisse*. Hinc aliæ fluxere consimiles appellationes aut *Civitatis Forojulianæ*, aut *Oppidi Forijulii*, aut *Castri Forojuliensis:* quas cuique legere præsto est in Scriptoribus octavi, & noni, ac decimi seculi: eademque per tempora *Forijulii* nomen habent Diplomata Patriarcharum, & Imperatorum, quæ sane quamplura in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis allegavimus.

Seculo undecimo, ac deinceps *Civitas Austria*, minusque recte *Civitas Austriæ* vocari cœpit: quod exhibent constantissime nomen innumera Documenta, sive jam typis edita, sive quæ nondum lucem viderunt, & in Chartulariis publicis privatisque adservantur. De nominis origine fabellæ plures vulgatæ sunt. Contendit Jo: Franciscus Palladius Parte I. Historiæ Forojuliensis Libro VI. prædictæ Civitati cognomen *Austriæ* eo accessisse tempore, quo Otocarus Rex Boëmiæ, atque Dux Austriæ sibi subjecit eamdem. Rem hanc ad annum 1272. refert Julianus in Chronico *Rerum Forojuliensium*, quod in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis vulgavimus. Hanc rejiciunt opinationem vetustiora, quæ indicavimus Documenta, in quibus *Austria Civitas* appellatur. Duo profero. Vetustam chartam servant Sanctimoniales, sub Regula S. Benedicti in eadem Civitate militantes, scriptam *anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Nonagesimo septimo, XII. die Maii Indictione quinta*, in quo hæc habentur: *Petimus nos Pecemanus, & Johannes una cum nostris heredibus a te, Hirmingarda Abbatissa de Monasterio S. Mariæ in Valle Civitatis Austriæ*. Exstat in Archivo Civitatis Liber MS. Variorum, a Marco-Antonio Nicoletto scriptus, ubi Documentum memoratur *anni M. LVII.* in quo *Izo pater, qui professus sum*, (verba Tabularum refero,) *ex natione mea lege vivere Romana, dono Præposito Civitatensi, quidquid visus sum habere in Comitatu Friulalensi*. Hæc duobus,

& amplius feculis epocham antevertunt a Palladio conftitutam.

Narrant alii plus æque indulgentes figmentis, Rofimundam, Liutprando Langobardorum Rege marito viduatam, eo in loco fedem elegiffe: ex progenie Principum Auftriacorum prognatam illam: Urbis adminiftrationem, Reginæ munificentia, Forojulianis Civibus conceffam: eofque in perenne grati animi monimentum Civitatem fuam, priore *Forijulii* nomine relicto, *Auftriam* vocaffe. Nempe uxorem Liutprandi, Rofimundam nomine, obtrudunt quam ignorant omnes Hiftoriæ Langobardicæ Scriptores. Quinam deinde fuerint Principes Auftriæ, de quorum fanguine fatam Rofimundam invehunt? Nemo intelligat *Habsburgo-Auftriacos*, ita nuncupatos poft Rodulphum I. qui Ottocaro Boëmiæ Regi anno 1278. eripuit Auftriam, quam ille occupaverat. Vetuftos recenfent Marchiones Auftriæ Jo: Georgius Eccardus in Præfatione Hiftoriæ Genealogicæ Principum Saxoniæ Superioris, & Hieronymus Pez Tomo I. Rerum Auftriacarum Differtatione II. eorumque fatorem conftituunt Leopoldum I. anno 994. denatum: quæ tempora longe pofteriora funt adferta Rofimundæ ætate. Ad hæc, laudatus Pezius luculentiffime demonftrat, Provinciam *Auftriam* unde fumunt nuncupationem Principes Auftriaci, feculo duntaxat undecimo ea voce appellatam effe, cum antea diceretur *Oriens*, *Bavaria Orientalis*, *Marcha orientalis*, *Ofterichum*, *Pannonia*, *Oftrogothia*, *Terra Avarorum*; unde neque Rofimundam Auftriacam fuiffe, neque Civitatem noftram inde appellari *Auftriam* potuiffe Liutprandi tempore, certiffime conficitur.

Tutiora nos, ac meliora damus, quæ Capite I. num. VII. indicavimus. Inter partes Italici Regni, quod cis Tiberim irruentes in Italiam Langobardi compararunt, aliam appellaverunt *Auftriam*, aliam *Neuftriam*: quæ voces in Legibus Langobardorum, & Pipini Regis Tomo II. Scriptorum Italiæ edit. Mediol. obviæ cuique funt. De origine Francica feu Teotifca proficifcuntur illæ, nimirum ex vocibus *Oefter*, & *Wefter*; quarum prima *Orientem*, altera *Occidentem* fignificat. Hinc vero duæ Franciæ partes, altera ad Orientem, ad Occidentem altera vergentes, dictæ funt *Auftrafia* & *Neuftrafia*, ac etiam contractiore vocabulo *Auftria* & *Neuftria*. Francos imitati Lan-

Langobardi, partem Italiæ, qua potiti sunt, *Austriam* appellarunt, partemque *Neustriam*. Voce priore nuncupandam voluere Forojuliensem regionem ac Venetiam, utpotequæ ad Orientem vergeret: partemque Occidentalem, quæ ad montes Galliæ conterminos protenditur, *Neustriam* dixerunt. Insigne prostat exemplum apud Paulum Diaconum Libro V. Capite XXXIX. & in vetusto Hymno S. Hermagoræ: *Sublimet Aquilegiam urbem, fovendo Austriam*, Provinciam scilicet seu regionem, in qua Aquileja.

Interim dum Provincia novo inducto vocabulo appellabatur *Austria*, primævo nomine prædicta Civitas dicebatur *Forumjulii*. Hæc amisit temporum decursu proprios Langobardicos Duces, propriosque Marchiones & Comites, qui sub Carolingis Regibus floruerunt, dicebanturque a loci nomine Marchiones Comitesque *Forojulienses*. In temporalem venit ipsa ex dono Imperatorum ditionem Patriarcharum: ipsique Patriarchæ, qui sedem in ea locaverant, refectam instauratamque incolere postea cœperunt Aquilejam. Tum vero Civitas Forijulii appellata *Civitas Austria*, habita scilicet ratione situs, quam in reliqua Provincia obtinet, ad Orientem vergentis: quæ omnia, allegata Documentorum Chartarumque fide, in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis uberiore sermone pertractavimus.

At simul etiam demum *Civitas* absolute & sine adjecto vocata est, ut frequentia quæ occurrunt Monumenta probant: eaque voce passim utitur laudatus Julianus in chronico, quod ab anno 1252. ducitur ad 1364. Hinc Civitatem corrupto nomine appellarunt incolæ *Civitat*, & *Cividat*, ac barbaro latino vocabulo *Civitatum*, & *Cividatum*, ac politiore Italicæ linguæ sono *Cividale*. Easdem quoque omnes appellationes accepit Cœnobium nostrum *S. Dominici*: quod vocatum legimus in vetustis, ac recentibus Tabulis *Conventum de Civitate Austria*, *de Civitate*, *de Civitato*, *de Cividato*, *Civitatensem*, *ac Forojuliensem*.

CAPUT VI.

Primordia Cœnobii Forojuliensis sub nuncupatione S. Dominici. Eruditionis variæ specimina.

1\. *Cœnobium in Civitate Forojulii a S. Dominico erectum, vulgaris traditio fert: quam ab aliis acceptam scripto mandavit Michaël Pius.*

TEmpus ante definire, quo Forojulienſe prædictum Cœnobium erectum eſt, ac vetuſta colligere & illuſtrare ejuſdem Monumenta, pretium operæ duco, quam cœptam texere pergo adſertæ a Georgio de Longis, ac Bernardino Goſellino *Reformationis* hiſtoriam. Mira ſunt, quæ de Conventus hujuſce origine, ac vetuſtate vulgo produntur. Fabellas (quod ſentio, jam liberius declaro) congerit omnes Michaël Pius in Progenie S. Dominici per Italiam Libro II. Capite XLII. plus nimio fidens incertis vulgi notitiis, quas Generali Ordinis Magiſtro Seraphino Sicco *Vincentius Sentinus* (Pontinus) Provinciæ S. Dominici Venetiarum Præfectus, ac ipſi Pio Bernardinus Goſellinus tranſmiſere.

Pontini verba apud Pium hæc ſunt, ex Italico idiomate latine reddita. " Cœnobium Civitatis Auſtriæ ab „ ipſo Divo Patriarcha Dominico fundatum eſſe, Ma„ jorum traditio fert, ac publicæ quædam Tabulæ pro„ dunt, quæ donationem alumnis Cœnobii factam a Ci„ vitatenſium Republica continent: quanquam verum „ eſt, Eccleſiam, ac Domum, quæ hodieque exſtant, „ nonniſi anno 1242. originem habuiſſe, ut colligitur „ ex Indulgentiæ quadraginta dierum Litteris eo anno „ datis ab *Octaviano* Cardinali & Legato a latere. " Paullo fuſiora ſunt, quæ Pio retulit Goſellinus. " Quod „ attinet, (inquit,) ad hujuſce Conventus primordia, „ vulgata traditio docet, *ſecundum* numerari, quem ere„ xerit Patriarcha Dominicus, juxta fidem cujuſdam In„ ſtrumenti *anno M. D. XIX.* conſignati. Quod atta„ men intelligendum reor de Eccleſia, Domibuſque ve„ tuſtis; cum illa intra breve tempus conciderit, ac „ iſtas everterint hoſtes, Provinciæ, & Civitatis depopu„ latores. Templum vero, ac Cœnobium, quæ modo „ viſuntur, non ante annum 1256. originem habuere, „ quo partem ſoli, & ambitus indepti ſunt Majores no-

„ ſtri,

„ ſtri, ut Inſtrumenta teſtantur in Archivo adſervata. “ Hinc ſibi colligere Pius poſſe videtur, ad hanc Forojulienſem Civitatem divertiſſe Patriarcham Dominicum, in eaque Cœnobium fundaſſe, aut *anno* 1217. cum Venetias venit in Siriam profecturus, aut *anno* 1220. cum Marchiæ Tarviſinæ Civitates peragraret. Ita ſcilicet calculos digerit ille.

II. *Tabulæ expenduntur, quæ allegantur in præſidium traditionis. Puellaris Benedictini Monaſterii, ac Cœnobii FF. Minorum primordia in eadem Civitate indicantur.*

Vulgaris prædictæ traditionis argumentum ſumptum habes ex Tabulis cujuſdam donationis, quas datas legimus *in Civitate Auſtria XIV. Kal. Septembris M. D. XIX. Indictione VII.* Inſcripti ſunt *Gaſtaldio*, *Proviſores*, *Conſilium*, *& Communitas Civitatis Auſtriæ:* deque *mandato* ſubſcribit *Jacobus Jacutius Cancellarius*. Nullum populari traditioni ex hoc documento accedere præſidium poſſe, quiſque colligat ex ipſa temporis nota, quæ tribus ipſum poſt ætatem Patriarchæ Dominici ſeculis ſcriptum oſtendit.

Fundi cujuſdam in agro, quem *Sterpet* vocant, donationem Tabulæ continent, Fratribus noſtris Forojulienſibus factam, ad eorum ſarcienda damna, quæ non modica in vineis prope Cœnobium decurſiones hoſtium per ea tempora intulerant. Hæc vero ſunt verba, quæ Conventus originem exhibent: *Noſcat igitur hujus Civitatis univerſitas, & ſubditorum noſtrorum multitudo, quod parte & nomine Ven. Conventus Prædicatorum, qui ſecundus per ipſummet D. Dominicum erectus extat in Civitate &c.* Quæ Goſellinus ita videtur intellexiſſe verba, ut Cœnobium iſtud Forojulienſe numerari *ſecundum* inter plura debeat, quæ Divus ipſe Patriarcha erexit.

Rem ſcilicet obtrudit nec veram, nec veriſimilem, ac ne levi quidem conjectura opinabilem. Pro certo habeo, ſcribere Cancellarium voluiſſe: Conventum Prædicatorum *ſecundum* eſſe, qui fuerit in Civitate Auſtria: eumdemque a S. Dominico erectum. Partim vera abſque dubio ſcribit ille. Jam exſtabat in Civitate Monaſterium Puellarum, quæ regulam S. Benedicti profitebantur, ſub nuncupatione *S. Mariæ in Valle*, ut ſeculorum præcedentium Monumenta teſtantur. Cœnobium vero, quod incolunt Franciſcani Patres, obtinuerunt ipſi in Civitate anno 1284. cum extra loci mœnia parvam domum ante poſſiderent. Sed pridem in eadem Civitate Conventum fundaverant Fratres noſtri, quem erectum poſt annum

1242.

1242. infra ostendemus: unde vere numerari a Cancellario potuit *secundus*, qui in Civitate exstaret, Prædicatorum Conventus.

Utriusque prædicti loci, *S. Mariæ in Valle*, ac *S. Francisci*, propositas epochas paucis liceat illustrare, ut dictis fidem conciliemus. Benedictini Gynæcei primordia latent: illud vero jam florebat ætate Maxentii Aquilejensis Patriarchæ, cujus juri ac potestati traditur a Ludovico, & Lothario Imperatoribus, edito diplomate *III. Idus Novembris, anno Christo propitio XVII. Domini Imperatoris Hludovici Serenissimi Imperatoris, & Hlotharii Augusti IX. Niumaga Palatio regio*. Annus æræ vulgaris 830. in cursu erat. Diploma, quod a Philippo a Turre acceperat, Mabillonius vulgavit Tomo II. Annal. Bened. in Appendice. Quæ sequuntur, verba refero: " Veniens „ in præsentia culminis nostri Maxentius, Ecclesiæ Aquilejensis Patriarcha, precibus quibus valuit, nostram „ imploravit clementiam, uti Monasterium Puellarum, „ quod dicitur *S. Mariæ*, quod est situm juxta Basilicam „ S. Johannis, constructum infra muros Civitatis Forojuliensis, in loco qui dicitur *Vallis*, prædictæ matri „ Ecclesiæ S. Marci Evangelistæ, & Hermacoræ Martyris atque Pontificis, ubi authore Deo ipse Patriarcha „ præest, traderemus: quod ita & nos fecisse, omnium „ vestrum cognoscit industria. " Sacri Gynæcei vetustas patet.

Loci alterius, quem in Civitate alumni Franciscani incolunt, primordia patefacit Julianus in Chronico: simulque memorat alia duo sacra loca extra Civitatem posita. Verba refero: " Anno Domini M.CC.LXXXIV. „ Indictione XII. die Jovis XIII. intrante Januario in „ Octava Epiphaniæ, quidam Fratres Minores circa sex „ vel plures convenerunt Civitatem, qui morabantur extra Civitatem apud Ecclesiam S. Francisci. Venerunt „ circa horam vespertinam, imo post, & ante crepusculum primo ad habitandum in domo, & Curia Domini Vodolrici Cadubrini Præpositi S. Petri de Carnea, „ quam emerant ab eo Priorissa Sandrina & Sorores „ S. Petri de Poloneto, habitantes apud S. Pantaleonem. „ Pro qua domo & Curia, & etiam non pauca pecunia „ per ipsas Sorores dictis Fratribus persolvenda, eædem „ Priorissa & Sorores emerunt pro se ad habitandum lo-

„ cum

„ cum dictorum Fratrum, ubi ipsi morabantur apud „ S. Franciscum juxta Civitatem, cum Ecclesia, Clau„ stro, ædificiis, viridario, & pertinentiis suis integre „ in eodem loco. Et hæc facta sunt consensu & aucto„ ritate Ven. Patris D. Raimundi Patriarchæ Aquilejen„ sis. " Sedem ergo ante annum 1284 & Ecclesiam D. Francisco sacram, habebant Fratres Minores prope Civitatem extra suburbium *Pontis*. In Codice MS. Variorum, qui adservatur in Archivo Civitatis, hæc leguntur verba: *Ex Instrumento Capitulari* 1253. *apparet*, *Ecclesiam Fratrum Minorum fuisse ad portam Pontis*.

Longe antea Minores Fratres exceptos fuisse in Ædibus prope Civitatem, scheda vetusta prodit, quæ adservatur in Tabulario Capituli Civitatensis: " Traditio fa„ cta Capitulo, & assignatio cum Tenuta per Adaley„ tam Conversam de uno agro, qui jacet ultra pontem „ juxta Natissam in Contrata Sancti Martini juxta viam, „ quæ ducit *ad Domum Fratrum*, juxta terram ipsorum „ *Fratrum*, & viam publicam: cum hoc quod Henricus „ ejus frater, & heredes ipsum habeant a Capitulo, sol„ vendo unum sextarium frumenti singulis annis. Manu „ Jacobii Notarii Sacri Palatii sub MCCXXXVIII. die „ ultimo Junii. Adaleytam *Conversam* intellige ex eo Mulierum virorumque *oblatorum* genere, qui se suaque omnia in alicujus Monasterii, aut Ecclesiæ, aut sacri loci usus conferebant, sibi bonorum suorum ususfructu reservato. Consule Mabillonium in Annalibus Benedictinis Tomo III. ad Annum 1060. pag. 607. itemque in Præfationibus ad secula Benedictina.

Novi Monasterii, quod in Civitate a Fratribus Minoribus construi cœptum est, epocham exhibent Tabulæ, quas ex eorum Archivo descripsimus. " Universis Chri„ stifidelibus, tam Prælatis, quam Clericis, & laicis præ„ sentes litteras, inspecturis, Marcus miseratione divina „ Cenetensis Episcopus, salutem in Domino sempiter„ nam. Cum per Fratres Ordinis Minorum in Civitate „ Austriæ quoddam Monasterium ad honorem dei Omni„ potentis, & B. Virginis Mariæ Matris Dei, ac Beatis„ simi Francisci Confessoris, ædificari de novo, & con„ strui proponatur: in quo quidem loco Venerab. Pater „ D. Raimundus, Sanctæ Sedis Aquilegiensis Patriarcha, „ ptimum lapidem ipsius ædificii die Dominico quarto in-

„ tran-

„ trante Februario proximo tunc venturo dare debeat &
„ conferre; Nos de omnipotentis, Dei misericordia &c.
„ (Indulgentiæ beneficium auxiliatricem porrecturis ma-
„ num conceditur.) Datum Coneglani, anno Domini
„ Milles. Ducentesimo Octuagesimoquinto, Indictione
„ XIII. die VI. exeunte Januario. " Datæ scilicet Tabu-
„ læ fuerunt die 26. ejusdem Januarii.

Priores itaque Fratrum ædes, extra Civitatem positas, anno 1284. emerant Sacræ Virgines *de Poloneto*, quæ paullo remotius ab eadem Civitate in agro morabantur: aliasque intra Civitatem coëmptas tradiderunt permutationis loco Fratribus Minoribus, qui tum primo in Civitate, Juliano teste, sedem posuere. Ædes illæ, ac Templum, priore *Sancti Francisci* relicta nuncupatione, aliam *Sanctæ Claræ* obtinuerunt: cujus regulam, & habitum Sacræ Virgines amplexatæ sunt. Audire præstat Julianum. " Anno Domini MCCLXXXIV. Indictione XII. die quar-
„ to intrante junio, in Octava Pentecostes: præsentibus
„ Venerabilibus Dominis, F. Fulchero de Zuccula Epi-
„ copo Concordiensi, D. Ulvino de Civitate Episcopo
„ Tergestino, & D.... Episcopo Petenensi, & aliis quam
„ pluribus. Rev. Pater & Dominus Raimundus Dei gra-
„ tia Patriarcha Aquilegiensis, dedit habitum regulæ
„ Sanctæ Claræ primo Priorissæ Sandrinæ, & aliis Soro-
„ ribus de Polonetto: & consecravit easdem, videlicet
„ Priorissam Sandrinam, Florentiam, Aldam, Saldam,
„ Reginam, Adaleytam, Catharinam, Agnetem... Ben-
„ venutam, Hilicuzam filiam Gliriffuti, Bernardinam,
„ & easdem primo inclusit ibi. " De *Fulchero*, quem & *Fulcherium*, ac *Fulzerium* in vetustis Monumentis scriptum legimus, Concordiensi Antistite, ex perillustri Dynastarum de Zuccula, & Spilimbergo in Provincia Forijulii gente prognato, & ex Ordine Fratrum Minorum ad infulas adsumpto, plura congerit scitu digna Hieronymus David apud Ughellum in Veneta Italiæ Sacræ editione. Patriam *Ulvini Tergestini Episcopi* addiscimus, *Civitatem* Austriam. Deest in Codice Juliani nomen *Petenensis* Præsulis, quod supplere licet ex Actis Concilii a Raimundo Patriarcha anno 1282. celebrati, queis inter alios legitur subscriptus *Bernardus Petenensis*.

Rem omnem confirmant ipsius Patriarchæ litteræ, quas in lucem profero ex Apographo. " Raimundus Dei gra-
„ tia

„ tia Sanctæ Sedis Ecclesiæ Aquilegiensis Patriarcha, di-
„ lectis in Christo filiabus, Abbatissæ & Sororibus Mona-
„ sterii Sancti Francisci in Civitate Austriæ, salutem &
„ benedictionem nostram. Gaudemus in Domino, quod
„ ad frugem melioris vitæ, anheletis ferventi desiderio
„ vos transferre & præcipue ad Ordinem Sanctæ Claræ,
„ qui in Ecclesia dei morum honestate, & omni sancti-
„ ctitate vitæ, maxime fulget: & quem totis viribus pro-
„ movere, & totis nisibus cupimus exaltare. Quare vo-
„ bis auctoritate præsentium consentiendo, omnem li-
„ centiam quam possumus impertimur, ut ad eumdem
„ ordinem transeatis. Quod cum feceritis, volentes vos
„ favore prosequi ampliori, vos, & Monasterium ve-
„ strum, & possessiones vestras, præsentes & futuras, ab
„ omni jurisdictione nostra & Aquilegiensis Ecclesiæ,
„ tam in spiritualibus, quam in temporalibus, quantum
„ ad nos pertinet, eximentes, utendi privilegiis Ordini
„ Sanctæ Claræ concessis, & imposterum concedendis,
„ ad conservandam vobis præsentem libertatem conces-
„ sam, plenam tenore præsentium concedimus potesta-
„ tem. In hujus autem rei testimonium, validumque ro-
„ bur, & ad perpetuam memoriam, atque inviolabilem
„ firmitatem, præsentes litteras nostri sigilli pendentis mu-
„ nimine fecimus roborari. Dat. apud Civitatem Austriæ
„ XVII. Kal. Novembris, anno Domini MCCLXXXVII. "
Exemptione concessa, regimini fortasse Fratrum Minorum subjectæ fuerunt Sacræ Virgines. Seculo quintodecimo labente, *Clarissarum* institutum eo in loco, laxata prius disciplina, ac minutis dissipatisque proventibus, finem habuit: relictasque Ædes compararunt Benedictinæ Sanctimoniales Aquilejenses, ut æstivo tempore, quo Aquilejam ob aeris intemperiem deserere coguntur, easdem incolerent.

Luculentissime hæc omnia probant, Cœnobium Sancti Dominici vere *secundum*, quod Forijulii, seu in Civitate Austria erectum fuerit, a Jacobo Jacutio Cancellario numerari. Addit ille, idem Cœnobium *per ipsummet Divum Dominicum erectum* fuisse. Vulgatam scilicet traditionem exhibet; quin ullum tamen ex ejusdem testimonio pro rei veritate præsidium arcessiri merito queat.

Vulgatam eam traditionem penitus evertit fides Chronici MS. quod in Archivo servant Virgines Benedictinæ S. Ma- III. *Nullum in Civitate Forijulii ante*

annum 1242. erectum fuerat Cænobium FF. Prædicatorum.

S. Mariæ in Valle. Ad Annum 1242. de Sanctorum exuviis agitur, quæ opera *Leonardi de Latisana* Ordinis Prædicatorum, in earum interiore facello detectæ fuerunt. Verba sunt: *Igitur anno Domini M. CC. XLII. pervenit in Civitatem Austriam F. Leonardus de Latissana Ordinis FF. Prædicatorum de Conventu Tarvisino: nondum enim erat Conventus Fratrum Prædicatorum in Civitate. Prædicante autem eo in Civitate, & commorante in hospitali, habebatur in magna reverentia & devotione tam a Clero, quam a populo. Quapropter & devotus Canonicus D. Woltissa ipsum F. Leonardum amovens ab hospitali, eum in domo sua devote tenebat*. Itaque Leonardus evocatus Tarvisio fuerat Forumjulium, aut in Civitatem Austriam, ut conciones haberet: in hospitali morabatur, ac hospitio postmodum a pio Canonico benevole excipitur: neque adhuc Fratres Prædicatores *Conventum in Civitate* habebant. Hæc vulgatam traditionem profligant.

De Sacris apud Virgines Benedictinas repertis exuviis instituit examen *Absalon* Episcopus Justinopolitanus in Istria: deditque Diploma, cujus partem refero ab exitio servatam in eodem Chronico. " Absalon Dei gratia " Episcopus Justinopolitanus universis Christifidelibus &c. " Anno Domini Millesimo ducentesimo quadragesimo secundo die quinta intrante Madio, in Monasterio Civitatensi Monialium S. Mariæ in Valle, non nostris " meritis exigentibus, sed sola Christi bonitate, F. Leonardo Ordinis FF. Prædicatorum de Latissana medianre, nobis & Christifidelibus multa Sanctorum Corpora " in præfato Monasterio a longis retroactis temporibus " occultata evidentissimis indiciis demonstravit. Nam " ibidem precibu & meritis Sanctorum cæci vident, " claudi ambulant, surdi audiunt, muti officium loquendi recipiunt, contracti eriguntur .... " Hæc addi possunt ad breve, quod legitur apud Ughellum, Absalonis elogium. Aquilejensem Ecclesiam eo tempore Bertoldus Andacensis moderabatur: a quo vicariam acceptam potestatem exercuisse in ejus Diœcesi videtur Absalon Justinopolitanus.

Hinc sponte cadunt Gosellini conjectationes de Fratrum Prædicatorum ædibus, & Ecclesia, quæ ante annum 1242. in Civitate erectæ fuerint. Priorem Ecclesiam dudum corruisse, primasque domos ab hostibus diru-

rutas, procuso figmento narrat ille. An lutea, vel ex paleis confecta Ecclesia fuerit, quæ intra breve quadraginta circiter annorum spatium concidisse dicitur, impellente nemine, aut devastante? Hostes quoque per ea tempora memorant nullos Forojulienses Historiæ, qui vetustum Cœnobium a divo Dominico positum everterint.

IV. *Ejusdem Cœnobii primordia ad annum circiter 1252. referenda sunt. Vetustæ emptionum, aut donationum Tabulæ. Aquilejensis monetæ notitia.*

Egisse tamen Leonardum, aliosque Fratres cum Civibus, quorum sibi conciliaverant exemplo, & verbi prædicatione benevolentiam, ut in Civitate sedem obtinerent, nullus dubito. Datas anno 1242. litteras Indulgentiæ ab *Octaviano Cardinali & Legato a latere*, quam illi lucrarentur qui manus adjutrices porrigerent, memorat Pontinus. Litteras easdem diligentius perquisitas invenire non licuit, neque inspicere. Non alius fuerit memoratus S. R. E. Cardinalis Legatusque, nisi *Octavianus Ubaldinus* de Florentia, primum Episcopus Bononiensis anno 1240. electus, tum Episcopatu abdicato Diaconus Cardinalis S. Mariæ novæ in Via lata anno 1244. ab Innocentio IV. renunciatus. Multis ipsum postea legationibus clarum pro Ecclesia gestis in Lombardia, Francia, & Apulia, narrat Carolus Sigonius de Episcopis Bononiensibus. Hinc prædictæ Indulgentiæ litteras datas anno 1242. errore deceptus narraverit Pontinus. Ad annum 1244. refert eas in Schedis MSs. Gosellinus.

Primum authenticum Cœnobii nostri Monumentum ad annum 1252. pertinet. Tabulæ sunt emptionis *anno M. CC. LII. Indictione X. die IX. exeunte* (idest 22.) *Septembris* confectæ, in quibus hæc habentur: " Jacomuscius de Rivo vendidit, & tradidit Ordini Fratrum " Prædicatorum, recipientibus Fratribus Arnoldo & Johanne de Forojulii pro ipso, qui ad hoc erant destinati a suo Provinciali, prout patebat ejus litteris sigillatis, totam Terram quam habebat, & videbatur " habere juxta viam, quæ ducit Zucculam ... ad habendum, tenendum, super ædificandum ... pro pretio " trecentarum librarum Veronensium parvulorum. Quod " totum dictus venditor fuit confessus ... se habuisse & " recepisse a dictis Fratribus tempore hujus contractus... " Actum in Civitate Austria in domo Dominæ Palmæ " de Portis. Ego Martinus del Gofs. Imperiali auctoritate Notarius prædictis interfui, & rogatus in publicam formam reducens scripsi ". Hisce Tabulis, ac se-

Q 2 quen-

quentibus mox allegandis emptiones continentur, ac donationes nonnullarum soli aut areæ partium, ubi Fratrum nostrorum Conventus in Civitate Forijulii erectus est. Prædicatorum Ordini, non Fratribus Civitatensibus venditur Terra, quæ juris erat Jacomutii de Rivo. Non apparent Fratres, qui domum vel Conventum habeant in eadem Civitate, sed Arnoldus & Joannes a Præfecto Provinciæ *Lombardiæ* missi ad ineundum contractum: isteque demum peragitur in Domo Dominæ *Palmæ de Portis*, quæ perillustris in Civitate Familia est. Quot scilicet verba, tot argumenta habes, quæ vulgatam antiquioris Cœnobii traditionem evertunt.

Fundo coëmpto, sedem in Civitate eodem anno 1252. Fratres Prædicatores constituisse, Cœnobium erecturos, Vetustum Necrologium diserte docet, in quo hæc habentur: *M.CCC.III. Obitus Oliverii de Civitato, qui servivit Fratribus 52. annis, & multas bonas eleemosynas fecit*. Duos & quinquaginta annos retro numera ipsumque habebis annum æræ Christianæ 1252. Quo etiam anno novam hanc acceptandi fundationem, facta facultas in Actis Capituli Generalis eodem anno Bononiæ celebrati num. 26. apud Martene Tomo IV. Thesauri Anecdotorum, ubi hæc habentur verba: *Item* (concedimus) *duas* (domos) *in Provincia Lombardiæ: unam in Patriarchatu Aquilegiensi apud Forclinum* (lege, *Forumjulium*,) *si Priori Provinciali, & definitoribus Capituli Provincialis visum fuerit expedire*.

Allegatas dimittere Tabulas nolim, quin pretium *trecentarum librarum Veronensium parvulorum* paucis exponam. Usu communi in Provincia, quæ Aquilejensi Patriarchæ suberat, adhibebantur tum *parvuli* nummi argentei, quos *Veronenses* appellabant, tum *denarii* parvulorum quatuordecim singuli. Julianus in Chronico ad Annum M. CC. LXXVII. denarios memorat, qui valebant *quatuordecim* nummis *parvulis*, aliosque valentes *sedecim*: at prior æstimatio in usu communi erat. *Solidorum* etiam frequens in vetustis Aquilejensibus chartis mentio: qui duodecim parvulis æstimari consueverant. Denarios quatuordecim parvulorum cudebat sine dubio Monetaria officina Patriarcharum: an etiam solidos parvulorum duodecim, negantem ego teneo sententiam; unde solidi in chartis enunciati, vel ideales erant apud Aqui-

Aquilejenses, vel in exteris officinis percussi. Melior fuerit, sive pejor *Denariorum*, *solidorumque* conditio, valor idem omni ætate, semperque constans fuit: scribebatque *Zanobius Monetarius de Giaceto* anno 1399. 14. *Aprilis Indictione* 7. ad Joannem de Rabatta, *Honorabilem Capitaneum Goritiæ Majorem*, ut Comitum Goritianorum subditi recipere deberent denarios novos Aquilejenses *pro quatuordecim parvulis*, & *solidum pro duodecim parvulis*. Integram Epistolam refert Fontaninus in Epistola, quam ipse anno 1698. typis edidit, *Delle Masnade*. Ideales nummi, sive non cusi, facilitatis causa in contractibus adhibebantur, *Marca*, *Ferto* seu *Forto*, & *Libra*. Duplex distinguebatur Marca, denariorum, & solidorum: illaque 160. denariis, ista 160. solidis constabat. Quarta pars Marcæ dicebatur *Ferto*: ac viginti denarios, aut solidos complectebatur Libra. In Tabulis allegatis libræ numerantur *Veronensium parvulorum*: quo loco solidos sub intellige *parvulorum* duodecim singulos. Rationum exempla quædam subjicio, quæ occurrunt in Codicibus MSS. dati & accepti seculo quartodecimo confectis. Puta *Libræ Veronen. ducentæ*, *quæ capiunt March. XXI. Frix. LXVIII. piz. VIII.* Voce compendiaria *Frix.* intellige *Frixachenses*: quo etiam nomine vocabantur ipsi *denarii*, quatuordecim parvulorum singuli. *Libræ parvorum centum quadraginta novem & soldi sex capiunt March. XV. minus piz. VIII.* Item *Marchæ soldorum octingentarum capiunt Marchas Frix.* (seu denariorum Aquilejensium) *VI^{c}. LXXX½ denar. XXXIV. piz. IV.* Denique *Ducati quinquaginta quatuor in ratione LXIV. denar. pro quolibet*; ubi Ducatos intellige, quos vulgo appellamus *Zecchini* apud Venetos: ac rursum animadverte, non eamdem semper fuisse denariorum æquationem cum Ducatis, pro meliori pejorique denariorum conditione.

In vetustis Chartis computatos lego anno 1360. *Ducatos in ratione sexaginta quatuor denariorum pro quolibet*: 1376. *in ratione sexaginta quinque denariorum*: 1381. *pro denariis septuaginta duobus pro quolibet ducato*: 1391. *in ratione denariorum septuaginta quinque*: 1397. *in ratione septuaginta sex denariorum pro singulo*: 1399. *in ratione denariorum Aquilejensium octoginta pro quolibet* Du-

Ducato. Hinc regula cuique præsto est, qua denarii Aquilejensis valorem, cum Ducato Veneto, sive *Zecchino*, aliisque cum Venetis monetis, earumque cum hodierno valore comparatum, pro varia temporum differentia, deprehendere valeat. Addere demum liceat, ævo illo, præter memoratas *denariorum*, & *solidorum* Marcas, in usu Marcam fuisse dictam *ad usum Curiæ*: quæ Venetis Ducatis duodecim cum dimidio æquivalebat. Viget adhuc in Provincia duplex *Marca*: altera *octo libras solidorum* monetæ Venetæ hodiernæ continens: altera *novem solidorum libras*, *solidos sex*, *& parvulos octo*. Cur ita? Illa nempe ex Marca *solidorum* profluit: ista ex Marca *denariorum*. Denarii valebant *quatuordecim* parvulos: *duodecim* duntaxat solidi. Hinc discrimen prodit in librarum numero. Duc enim denarios 160. (queis octo libræ denariorum constabant,) in 14. parvulos: productum habes 2240. parvulorum. Hanc divide summam per 12. (quot nempe parvulis conficitur solidus:) quotus est 186. solidorum, cum residuo parvulorum octo: qui *libras* conficiunt *novem*, *solidos sex*, *parvulos octo*. At solidis demum 160. conflantur *libræ octo*, absque ullo residuo. Consule, quæ ampliore sermone disseruimus in Monumentis Ecclesiæ Aquilejensis Capite LIV. num. V. & in prima Dissertatione *de Nummis Patriarcharum Aquilejensium* typis edita anno 1747. & in altera ejusdem argumenti anno 1749.

Tabulæ succedunt, quæ Fratrum Prædicatorum ædes, & Ecclesiam exhibent jam erectas in Civitate Forijulii. Partem refero, quæ sequitur: *Anno M.CC.LVI. Indictione XIV. die XII. intrante Madio apud Civitatem Austriam in Domo*, *ubi Fratres Prædicatores de S. Dominico morantur* ... " Dominus Bartholdinus, filius olim D. Ob-
" juradi de Puleseno, pretio & foro trium Marcharum
" denariorum Aquilejensis Monetæ ... quas confessus...
" fuit in se habuisse, & recepisse ad nomen Johannis
" Bononiensis, Prioris loci S. Dominici de Civitate,
" accipiente nomine & vice illus loci .... Fecit vendi-
" tionem de una sua pecia terræ ortaliva jacente apud
" Civitatem prædictam extra portam S. Silvestri ... Cu-
" jus hi sunt confines: ab una parte est terrenum dicti
" loci sui Conventus ... Ego Rambaldus S. Palatii No-
" tarius interfui rogatus & subscripsi ". Muratorii animad-

madversio est Tomo II. Antiquitatum Italicarum ævi medii col. 1066. Notarios *Sacri Imperii* ante Fridericum I. nullos haberi: eosque præcedentibus Seculis Notarios *Sacri Palatii* dictos: eamdemque formulam etiam seculo tertiodecimo usurpatam legi. Dominicanum Cœnobium hoc anno 1256. jam apparet: quod tum fuisse parvum & angustum, pro comperto haberi debet. Locus dicitur *S. Dominici*, quem fama miraculorum excitatus Gregorius IX. jam anno 1234. Cælitum fastis adscripserat. *Prioris* titulo Joannes Bononiensis regebat ipsum: ejusque nomine, ac vice contractum celebrat cum Bartholdino. Portio Terræ, quæ venditur, sita dicitur *apud Civitatem extra portam S. Silvestri*; hoc est in Suburbio, extra muros Civitatis interioris. Pretium denique constituitur *trium Marcharum denariorum Aquilejensis Monetæ*: qua de re jam satis egimus.

Sequentes tertio loco profero Tabulas. "Anno M.CC.LVI.
„ Indictione XIV. die secundo intrante Junio in Mo-
„ nasterio S. Stephani Aquilegiensis ... Dominus Johan-
„ nes, Dei gratia Præpositus S. Stephani Monasterii præ-
„ dicti, de consensu & voluntate DD. P. Osvaldi,
„ P. Martini, Dominici Christophori, Ottonis, necnon
„ & Radii Canonicorum Monasterii antedicti præsentium,
„ intuitu divinæ pietatis, & ob devotionem B. Domini-
„ ci Confessoris, pure, & libere, expedite, & irrevoca-
„ biliter inter vivos donavit, & tradidit, ac dedit Fra-
„ tribus, Johanni de Natemps, & Joanni de Brazzaco,
„ recipientibus nomine & vice Conventus Fratrum Præ-
„ dicatorum de Civitate Austria, proprietatem cujusdam
„ Peciæ terræ sitæ extra portam S. Silvestri ... Cujus
„ terræ hi sunt confines: a Meridie, & Occidente possi-
„ dent dicti Fratres Prædicatores ... Ego Crescimbenus
„ de Condino S. Palatii Notarius iis interfui rogatus,
„ & subscripsi." Confectæ Tabulæ dicuntur *in Monasterio S. Stephani Aquilegensis*. De loco in Aquilejensium Patriarcharum Chronico, quod in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis vulgavimus, hæc habentur: *Hic* (Goteboldus Patriarcha, qui post annum 1049. rexit Ecclesiam) *construxit Monasterium S. Stefani de Aquilegia, in quo erant Canonici Regulares*, idest vitam communem colentes. Missi ergo Joannes *de Natemps*, & Joannes *de Brazzaco* Aquilejam fuerint a Joanne Bononiensi

nienſi Priore ad ineundum contractum, recipiendumque dono datam terræ portionem.

Quartum donationis inſtrumentum deſcribere præſtat, nonnullis aliis, quæ ſimiles contractus exhibent, in Archivo relictis. " Anno M.CC.LVI. Indictione XIV. die „ tertio exeunte (ideſt 29.) Julio ... Dominus Lupoldus „ Vicedecanus, & Canonici Eccleſiæ S. Mariæ de Civi- „ tate, tunc ibidem more ſolito convocati, pro se & „ univerſo Capitulo ejuſdem Eccleſiæ, & eorum Succeſ- „ ſoribus dederunt, tradiderunt, & ceſſerunt F. Johanni „ Bononienſi, Priori Conventus Eccleſiæ S. Dominici „ de prope Civitatem Ordinis Prædicatorum, nomine „ Conventus & Ordinis ejuſdem, proprietatem ac omne „ jus & actionem, quod & quam habebant, ſeu vide- „ bantur habere in quadam Pecia terræ, quæ fuerat „ D. Maynardi de Portis: quodam Horto, quem habue- „ rat D. Bartholdinus: & quodam alio Horto, quem ha- „ buerat quædam Mulier nomine Talia de Civitate. „ Quarum terrarum hi ſunt confines: verſus Meridiem „ eſt terra dicti Conventus Prædicatorum ... Ego Julia- „ nus de Ruzzolio Imperiali auctoritate Notarius præ- „ dictis interſui rogatus, & ſubſcripſi. " Tum ædes, cum *Eccleſiam* diſerte expreſſam, Fratres noſtri erexerant *de prope Civitatem*, nimirum in Suburbio: quod *Suburbium S. Dominici* vulgo deinceps appellatum eſt. Hæc vero ſunt Cœnobii noſtri in ea Civitate *Forijulii* primordia, quæ revocari in dubium non ſinit inconcuſſa veterum Tabularum fides.

CAPUT VII.

Reliqua vetuſta Cœnobii Forojulienſis Monumenta. Illuſtres alumni. Veterum Præfectorum Cœnobio ſeries. Codices MSS.

I.
Forojulienſibus alumnis incerta debita in levamen egeſtatis auctoritate Pontificia applicantur. Emortualis epocha Hugonis de Sancto Caro, S.R.E. Cardinalis.

INdigentiæ, variiſque neceſſitatibus, quibus Forojulienſes alumni premebantur, conſueto illa ætate ſubſidio conſultum fuit. Facultatem facit eiſdem Hugo Presbyter Cardinalis Titulo S. Sabinæ, auctoritate Pontificia munitus, ut ſibi adplicare incerta bona, reſtitutioni obnoxia

xia valerent. Impetratas profero litteras. " F. Hugo Miseratione divina Tit. S. Sabinæ Presbyter Cardinalis „ Dilectis in Christo Priori & Conventui Civitaten. Ordinis Prædicatorum Salutem in Domino. Necessitatibus vestris benigno compatientes affectu, ut de usuris, rapinis, & aliis male aquisitis, si hi quibus ipsorum restitutio fieri debeat omnino sciri & inveniri „ non possint, usque ad summam Sexaginta Marcharum „ argenti .... valeatis auctoritate Domini Papæ, cujus „ Pœnitentiariæ curam gerimus, tenore præsentium vobis concedimus liberam facultatem. Si ... ita quod si „ aliquid de eisdem Sexaginta Marchis ...... vel restitueritis, aut dederitis illis, a quibus eas receperitis.... „ dimissum, vel restitutum, seu datum nihil ad libera .... eorum prosit: nec quantum ad illud, habeantur aliqualiter excusati. Dat. Viterbii IV. Nonas Julii „ Pontificatus D. Urbani Papæ Quarti anno primo. " Labebatur annus æræ vulgaris 1262. & ab incepto in Civitate Forijulii Cœnobio septem circiter anni fluxerant. Hugonem de S. Charo intellige ex Ordine Prædicatorum. Datæ ab ipso litteræ *die* 4. *Julii*, & *anno primo Pontificatus Urbani IV.* idest anno Christi 1262. eos refellunt, qui apud Ciaconium Hugonis obitum anno 1260. consignant. Salanhacus, probatissimus testis, quem refert Jacobus Echardus, annum emortualem designat 1262. diemque 19. Martii: Stylo veteri annos numerabat ille ab Incarnatione, seu a Paschate: unde annus 1262. apud Salanhacum est annus Julianus 1263.

Lacunæ plures patent in litteris Hugonis, temporis edacitate fere consumptis. Supplendas eas docent similis tenoris formulæ, quam Eruditissimus Bremondus in Bullario recenset in Alexandro IV. Lege itaque, *recipere valeatis:* itemque, *si pro similium receptione alias non sitis a nobis gratiam consecuti; ita quod si aliquid de dictis* (sexaginta Marchis argenti) *dimiseritis, aut restitueritis, seu dederitis illis, a quibus eas receperitis, hujusmodi dimissum, restitutum, vel datum, nihil ad liberationem eorum prosit: nec quantum ad illud, habeantur aliquatenus absoluti.*

II. *In Indulgentiarum Diplomata eisdem concessa: eademque illustrata. Mos in-*

Plura in Archivo adservantur Indulgentiarum diplomata, quas ii lucrari possent, qui Fratrum necessitatibus, & Ecclesiæ Conventusque fabricæ manus adjutrices præ-

R be-

ventus, Angelicam salutationem recitandi ad sonum campanæ.

berent. Illud in lucem profero, quod a Bertrando Aquilejensi Patriarcha, ejusque Suffraganeis Episcopis datum est, singulorum sigillis appensis munitum. " Sanctæ Sedis Aquilegen. Dei gratia Patriarcha Bertrandus, Idelbrandinus eadem gratia Paduan. Gorgias Feltren. & Bellunen. F. Benedictus Cuman. Guido Concordien. F. Blasius Vicentin. Petrus Tarvisin. Natalis Emon. Marcus Justinopolitan. & F. Johannes Parentin. Ecclesiarum Episcopi, Universis Christifidelibus præsentes litteras inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quoniam ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum, sive malum fuerit; oportet nos diem missionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu id seminare in terris quod, reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere valeamus in Cœlis: firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cupientes igitur, ut Ecclesia, & Conventus Ordinis Prædicatorum de Civitate Austria Aquilegen. Diocesis, dignis & congruis honoribus frequentetur, & frequentantes pro temporali labore perpetuæ quietis munere gratulentur; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui Ecclesiam & Conventum visitaverint in ipsius Festivitatibus, seu etiam Solemnitatibus B. Mariæ Virginis, Nativitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Dedicationis ejusdem Ecclesiæ, S. Crucis, B. Johannis Baptistæ, Omnium Apostolorum, SS. Martyrum Petri & Laurentii, ac SS. Nicolai, Martini, Augustini, & Thomæ de Aquino, necnon Beatarum Mariæ Magdalenæ, Agnetis, Luciæ, Katarinæ, Margaritæ, Claræ, & Ursulæ, & in Festo omnium Sanctorum, & per eorum Octavas .... & in singulis diebus Dominicis, ac qui in serotina pulsatione Campanæ ter Ave Maria devote dixerint, vel qui ad substentationem dicti Conventus & Fratrum, vel ad fabricam, luminaria, ornamenta, & alia dictæ Ecclesiæ necessaria manus porrexerint adjutrices; Nos de Omnipotentis Dei misericordia, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, & SS. Martyrum Hermacoræ & Fortunati, omniumque

" San-

„ Sanctorum meritis & intercessione confisi, Quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus. In cujus rei testimonium præsentes fieri Jussimus, nostrorum Sigillorum appensione munitas. Dat. Aquilegiæ in Patriarchali Palatio die vicesimoquinto Mensis Aprilis anno Dominicæ Nativitatis Millesimo Trecentesimo trigesimonono Indictione septima. " Eodem anno, eodemque Mense, ac die Synodum Provincialem celebrare Aquilejæ cum Suffraganeis Antistitibus cœperat Bertrandus Patriarcha.

Parem similemque omnino formulam refert Eusebius Amort in Historia Indulgentiarum, Parte I. Sectione IX. datam Romæ anno 1344. Sigillis octo Episcoporum munitam. Ex hac suppleri lacuna potest, quæ in Litteris nostris patet: unde lege, *& per eorum Octavas, & in die Animarum, & in singulis diebus Dominicis*. Ad ea, quæ sequuntur, verba, *Ac qui in serotina pulsatione Campanæ ter Ave Maria devote dixerint*, animadverte: jam anno Christi 1327. largitum esse Joannem XXII. *decem dies de Indulgentia* Angelicam recitantibus salutationem: quam ut Fideles ad sonum Campanæ in quolibet noctis crepusculo recitarent, *dudum* ipse Pontifex pie duxerat ordinandum. Litteras profert Rainaldus ad eumdem Annum num. 54. Hinc colligi posse videtur, nondum cum salutatione Angelica tum temporis ea verba, *Angelus Domini &c.* recitari consuevisse. Verum etiam salutifero Angeli verbo additamenta plura deinceps accessisse, adnotat Granaolas in Commentario Historico Breviarii Romani gallice edito Tomo I. Articulo XXII. Quadraginta denique dies de injunctis pœnitentiis Episcopi relaxantes, normam sequuntur in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. anno 1215. constitutam Canone 62. Verba sunt: *Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, claves Ecclesiæ contemnuntur; decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur: ac deinde in Anniversario Dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur; cum Romanus*

nus Pontifex , qui plenitudinem habet potestatis , hoc in talibus moderamen consueverit observare.

Inter Episcopos , qui datis Indulgentiæ litteris favent Forojuliensibus Prædicatoribus, *Gorgias* occurrit, qui *Feltrensis* Ecclesiæ simul & *Bellunensis* Episcopus dicitur . Utramque sedem unus idemque Antistes per ea tempora tenebat . Consule Pilonum in Historia Bellunensi , & Ughellum in Italia Sacra . In vetustis Monumentis vocatus legitur *Gorgias* , *Garzias*, & *Gorzo* . Distinguere *Guidum Concordiensem* oportet ab aliis ejusdem Ecclesiæ, ejusdemque nominis Episcopis . Hunc e Familia Dominicana adsumptum ad Insulas Polenses , ac deinde Concordienses, narrant Fontana, Cavalerius , Bremondus . Patriam ejus Forum-Sempronium, ac Institutum Camaldulense ex Codicibus MSS. ornatissimi Viri Apostoli Zeni eruit , ac patefacit Venetus Italiæ Sacræ Editor. *Petrum Tarvisinum* in aliis Indulgentiæ litteris eodem anno datis , quæ in Archivo Civitatis Forijulii adservantur, dictum legimus *Petrum-Paulum*: unde perperam apud Ughellum *Petrus-Paulus*, ac *Petrus* , veluti duo Tarvisinæ Ecclesiæ Antistites, recensentur. Quo *Natalis* tenuerit anno *Emonensis* Ecclesiæ regimen, silet idem Ughellus . Annum 1339. patefacit Diploma nostrum : itemque annum 1335. exhibent Acta Concilii primi Provincialis a Bertrando Utini celebrati, quæ tenebris erepta humanissime nobis communicavit Joseph Binius , in eruditione Rerum Forojuliensium versatissimus. Ecclesiæ demum *Justinopolitanæ* Antistes *Marcus* , dicitur *Marcus Simiteculus* in alio Indulgentiæ Diplomate, quod in Archivo Civitatis Forijulii adservatum memoravimus.

Cætera Indulgentiarum Diplomata vetusta , quæ olim servabant in Tabulario nostri Forojulienses, memorat in Notis, quas reliquit, Bernardinus Gosellinus. Clemens IV. largitus esse *anno 1264.* dicitur *centum annorum* Indulgentiam visitantibus *Forojuliensem S. Dominici* Ecclesiam, dedicationis ejus, ac S. Dominici, & Petri Martyris diebus . Electum Clementem consecratumque Mense Februario anni 1265. diligentiores adnotat Scriptores: adeoque notatus a Gosellino annus 1264. Si vacet errore , juxta veterem stylum intelligi debet , anni exordio ab Incarnatione computato . An vero *centum annos* minus accurate legerit Gosellinus pro *centum diebus*? Quanquam cen-

centum etiam annorum formulam per hæc tempora refert laudatus Eusebius Amort.

Unius anni & quadraginta dierum Indulgentia sequitur a F. *Latino* Cardinali Ostiensi, & Sedis Apostolicæ Legato concessa anno 1279. Ordinis Prædicatorum alumnus fuit Latinus *Malabranca*, qui & *de Frangipanis*, & *Ursinius* agnomine dictus est, filius Sororis Joannis Ursini, Diaconi Cardinalis Titulo S. Nicolai in Carcere, qui Sedem Apostolicam tenuit Nicolaus III. appellatus. Ab eodem ad sacram purpuram evectus est Latinus anno 1278. moribus, doctrina, agendi dexteritate, Legationibus Apostolicis clarus.

Sedem Aquilejensem moderatus est Raimundus Turrianus ab anno 1270. usque ad annum 1299. Simili Indulgentiæ *Quadraginta dierum* favore Ecclesiam nostram Forojuliensem certis quibusdam Festis diebus exornavit. *Unius anni* denique remissionem relaxavit eamdem statis diebus invisentibus Ecclesiam *Enchus Episcopus Friesacensis* anno 1290. Legendus est *Henricus*. Lavanti in Carinthia inferiore Sedes est Episcopalis: soletque Frisaci commorari Antistes.

III. *Civium, & Provinciæ Dynastarum iratos animos conciliant Forojulienses Fratres.*

Magna Forojulienses Fratres nostros valuisse apud Cives auctoritate, quam litterarum studia probatique mores ipsis conciliabant, colligimus ex gravi cruentoque dissidio, quod ipsi inter eosdem Cives composuere, aliosque Dynastas in Provincia potentes. Erant hi e Castellorum nomine, quæ jure Feudi possidebant, nuncupati Domini *de Zuccula*, *de Prampergo*, *de Cucanea*, *de Fagedis*, *de Butrio*, qui simultates cum Ottobono Patriarcha Aquilejensi exercebant, oderantque Civitatis Austriæ seu Forijulii ac Utini Cives, Antistiti fœderatos. Civitatem Austriam repente invadunt, tumultus cient, ad arma veniunt. Funestiores casus impediunt. Fratres Prædicatores iratos emolliunt animos, ac inter utramque partem inducias constituunt.

Rei memoriam sæpe citatum Juliani Chronicon, quod in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis vulgavimus, posteritati servavit his verbis. " Anno Domi-
" ni M.CCC.VIII. die XIII. intrante Majo, post pran-
" dium hora dormitionis, Nobiles Viri DD. Henricus
" de Prampergo, & Odolricus de Cucanea venerunt in
" subsidium DD. Valteripertoldi & Bernardi Fratrum,
" filio-

„ filiorum quondam D. Johannis de Zuccula: & cum „ apparatu satis magno intraverunt Civitatem hoc mo- „ do. Jacobus filius quondam D. Odolrici de Budrio, „ & Bertoldus de Fagedis cum quibusdam aliis eis fa- „ ventibus ceperunt hora prædicta portam S. Silvestri, „ (*quæ Suburbium S. Dominici dividit a Civitate*,) per- „ cussis custodibus, qui videntes quod futurum erat, vo- „ lebant serrare. Et statim ascenderunt Domum de Por- „ tis: & factis signis cum gladiis primo super portam „ S. Silvestri, intraverunt quidam, qui erant in Burgo „ S. Silvestri, (modo S. Dominici,) de Familia D. Pau- „ li Bojani, qui erat in inimicitiis illorum de Terra, & „ stabat Zucculæ. (*Castrum erat in Colle prope Civita-* „ *tem*.) Deinde desuper turrim de Portis: & videntibus „ illis de Zuccula, sicut antea tractatum erat, cum ma- „ gno impetu descenderunt & intraverunt Terram. Cum „ vero fuerunt in Terra, D. Valteropertoldus cum Pau- „ lo Bojano, & cum octo vel decem hominibus iverunt „ per infra muros apud Solarium: & ibi ballistatus fuit „ D. Candidus de Canussio, & cum nullus traheret se „ prope eos, ut forsan credebant, per eamdem viam re- „ dierunt ad suos. Apud domum D. Odolrici Longi fa- „ ctum erat quoddam obstaculum, & ibi nostri cum eis „ se ballistabant: & de domibus, & turri Philippi, & „ Luvisini fiebat magna defensio cum lapidibus; nec ul- „ terius fuerunt permissi transire, excepto D. Odolrico „ de Cucanea, qui cum Thomasuto ejus familiari de Cu- „ canea, qui banderam portabant, & forsan sex vel octo „ aliis cum impetu venerunt ad Forum; & ibidem Tho- „ masutus prædictus fuit occisus, dimissa bandera. Et „ D. Odolricus rediit cum aliis ad suos per Præposituram „ (*S. Stefani*.) Fratres Prædicatores composuerunt inter „ partes, facientes trevuas, ad hoc ut recederent. "

IV. *Ejusdem Forojuliensis Cœnobii Alumni, pietate ac litteris illustres.*

Nonnullorum Fratrum nomina exhibent vetusta Necrologia in Archivo Cœnobii adservata: eosdemque fortasse fuisse, qui pro dissidio componendo studia sua interposuere, non inepte conjici potest. Ad Diem XXX. Januarii hæc habentur: *M. CCC. XXVIII. Ob. F. Jacobi Bojani Ordinis Prædicatorum, qui fuit frater B. Benvenutæ*. Ad Diem III. Junii: *M. CCC. XLVII. Ob. F. Johannis de Atems bonæ memoriæ Ordinis FF. Prædicatorum*. Ex perillustribus Familiis, quæ hodieque florent, ambo prognati. Ad Diem

Diem V. Maii : *M. CCC. IL. Ob. F. Juani* (Johannis) *de Ordine Prædicatorum*, *qui fuit Vir magnæ ſanctitatis*, *& exempli*. Ad Diem III. Novembris: *M. CCC. LVI. Ob. Devoti F. Canciani de Civitato Ordinis noſtri*.

Pietate, ac litteris præſtantes citata Necrologia alios Forojulienſes alumnos recenſent. Ad Diem XXVII. Julii: *M. CCC. XCV. Ob. R. P. M. Nicolai de Muymaco*, *Provincialis iſtius Provinciæ Ordinis Prædicatorum*. *Hic Pater fuit doctiſſimus in Artibus & Sacra Theologia*, *cujus lauream in publico*, *eodemque florentiſſimo Pariſienſi Gymnaſio*, *maximo omnium applauſu ſuſcepit*. Muimacus pagus eſt in agro Civitatis Forijulii. Eodem anno emortuali gerebat Nicolaus Provinciæ Lombardiæ inferioris præfecturam, ut colligitur ex Epiſtola Bartholomæi Provinciæ Romanæ Præfecti ad ipſum, quam refert Thomas Antonii de Senis in Codice MS. jam citato. *In Chriſto ſibi Kariſſimis*, *F. Nicolao de Civitato S. Theologiæ Magiſtro*, *Provinciali Lombardiæ inferioris Ordinis FF. Prædicatorum*, *cæteriſque Fratribus univerſis dictæ Provinciæ*, *F. Bartholomæus Romanæ Provinciæ ejuſdem Ordinis Prior Provincialis indignus*, *ac Reverendiſs. P. Magiſtri Ordinis noviter Generalis Vicarius inſtitutus*, *ſalutem & ſinceram in Domino charitatem*. *Epiſtolam prædicti Reverendiſs. Magiſtri me noviter ſuſcepiſſe die* 28. *Menſis Aprilis*, *quarum tenor ſequitur in hæc verba : In Dei Filio ſibi Kariſſimis &c. Urget neceſſitas &c.* Quæ litteræ apud Fontanam integræ habentur in Conſtitutionibus Titulo de *Reformatione* pag. 564. Datæ apud eumdem leguntur, *Panormi anno Domini M. CCC. XCV. die XVI. Menſis Martii:* dies vero *XXVI. Martii* habetur in Codice Thomæ Senenſis. Sequuntur verba Bartholomæi : *Volens ergo*, *ſicut & teneor*, *mandatis ipſius Reverendiſs. Magiſtri mihi per litteram de manu ſua propria ſcriptam obedire ; prædictam Epiſtolam tranſmitto ſub Sigillo officii mei*, *legendam in veſtro Provinciali Capitulo Fratribus capitulariter congregatis: charitatem veſtram exhortans in Domino*, *ut attendentes ad ſalutaria monita Patris noſtri*, *illa executioni mandare curetis pro viribus*. *Valete in Domino*, *& orate pro me*. *Dat. Romæ die VIII. Madii anno Domini M. CCC. LXXXXV.* Tertio poſt menſe Nicolaum Muimacenſem e vita migraſſe, Necrologium prodit.

Ad Diem IX. Aprilis: *M. D. XXI. F. Joannes Cucuſſius*

Ci-

Civitatensis Ord. Præd. Sacræ Theologiæ Professor eximius, veritatisque prædicator egregius, necnon hujus almæ Civitatis universalis Confessor, hora XII. suum emisit spiritum, qui in pace semper requiescat. Denique ad Diem XIX. Junii: sine anno, *Ob. F. Henrici de Pisino Ordinis Prædicatorum, qui fuit sanctus homo.* Seculo quintodecimo floruisse probatissimum Virum, conjicit Gosellinus in Schedis MSS. quæ in Archivo Cœnobii servantur. *Pisinum* in Istria Castrum est, & caput *Comitatus* ejusdem nominis.

Illustre denique haud prætereo nomen *Bertholdi Forojuliensis* qui seculo desinente decimotertio florebat, rexitque Provinciam, ac Provinciæ Cœnobia. Apud Valerium Moschetam bis *Prior Patavinus* recensetur anno 1284. & 1286. ac Provinciæ Lombardiæ præfectus anno 1289. quo tamen loco *professione Patavinus* appellatur: itemque anno 1303. Vide Caput I. num. II.

V.
Series Præfectorum Cœnobio usque ad Georgium de Longis, primum Disciplinæ instauratorem.

Non pauci innotescunt alii Clarissimi Viri, qui Cœnobium Forojuliense honestarunt, ex serie Præfectorum Cœnobio, quam subjicio. Eruit ipsam, quam accuratius potuit, ex vetustis Chartis Gosellinus: eamdemque nos exhibemus emendatam, suppletam, illustratam.

M. CC. LVI. *Joannes Bononiensis*. Hujus mentio in vetustis Tabulis habetur, quas protulimus in lucem Capite superiore num. IV.

M. CC. LVII. *Rufinus*.

M. CC. LXXIV. *Petrus*. Hunc vocatum legimus testem in Tabulis eodem anno 1274. confectis, quæ petitiones nonnullas, ab *Ottocbero* Boëmiæ Rege factas Raimundo Patriarchæ Aquilejensi, complectuntur. Verba sunt: *Fratribus, Petro Priore, & Galvano Lectore Fratrum Prædicatorum de Civitate &c.*

M. CC. LXXIX. *Marinus*. In Codice MS. Variorum jam citato hæc adnotata a Marco-Antonio Nicoletto legimus: *M. CC. LXXIX. apparet, Conventum Prædicatorum multo antea fuisse fabricatum: cujus tunc erat Prior F. Marinus.*

.... *Conradus*, qui confessiones excepit B. Benvenutæ Bojanæ. Ex hujus actis, de quibus Capite sequente agendum, colligitur Cœnobio nostro præfuisse per hæc tempora Conradum.

M. CC. XC. *Girardus de Barbarano*.

M. CCC. VIII. *Nicolaus de Savorniano*. De nobilissima

ma gente inter Dynaftas Forojulienfes agunt Scriptores Rerum Forojulienfium, & Francifcus Carus in fua de Savornianis Hiftoria, & Sanfovinus de origine, & Geftis illuftrium Italiæ Familiarum.

M. CCC. XI. *Peregrinus* Bononienfis.

M. CCC. XIV. *Joannes a Canipa*: a loco fcilicet Provinciæ Forojulienfis cognominatus.

M. CCC. LIV. *Ulvinus*.

M. CCC. LXIX. *Fulco* Ferrarienfis.

M. CCC. LXXVI. *Hermolaus* Venetus.

M. CCC. LXXIX. *Marinus* Venetus. Infequente anno *Dalmatinæ* Provinciæ, ab *Hungarica* fejunctæ, addicitur Forojulienfe Cœnobium, re tamen infecta.

M. CCC. LXXXIV. *Albertus* Goritienfis.

M. CCC. LXXXVII. *Joannes de Soch*.

M. CCC. LXXXIX. *Jacobus* Tarvifinus.

M. CCC. XCIX. *Andriolus* Venetus.

M. CCCC. VII. *Matthæus* Venetus.

M. CCCC. XVIII. *Bernardinus* Firmenfis.

M. CCCC. XXV. *Laurentius* Mediolanenfis.

M. CCCC. XXVIII. *Victor* Venetus.

M. CCCC. XLI. *Hector* Utinenfis. *Antiphonas de Sanctis* cum cantu fcripfit ad ufum chori, ut Nota patefacit, quæ legitur in eodem *Antiphonario*.

M. CCCC. XLVI. *Petrus* Anconitanus.

M. CCCC. LVII. *Andreas* Ferrarienfis.

M. CCCC. LVIII. *Ambrofius* Perufinus.

M. CCCC. LX. *Marcus-Antonius*.

M. CCCC. LXI. *Joannes* Ravennas.

M. CCCC. LXIII. *Daniel Boninus*.

M. CCCC. LXIV. *Gafpar* Ferrarienfis.

M. CCCC. LXVI. *Joannes Cacillanus*.

M. CCCC. LXXIV. *Galeatius* Utinenfis.

M. CCCC. LXXIX. *Chriftophorus* Utinenfis.

M. CCCC. LXXXIV. *Galaffius* Utinenfis. Idem ac *Galeatius*.

M. CCCC. LXXXV. *Bartholomæus de Cuferes*.

M. CCCC. LXXXVII. *Bartholomæus* Civitatenfis.

M. CCCC. XC. *Leonardus de Frumentinis* Civitatenfis. Floret nobilis Frumentinorum gens, in familias plures divifa.

M. CCCC. XCI. *Clemens* Ferrarienfis.

M. CCCC. XCIII. *Joannes Cucussius* Civitatensis. Praeclari viri mentio facta inter Illustres alumnos num. superiore.
M. CCCC. XCVI. *Vincentius* Civitatensis.
M. D. I. *Joannes de Alemannia*.
M. D. II. *Simeon* Dertonensis.
M. D. III. *Stephanus* Aquilejensis.
M. D. IV. *Vincentius* Civitatensis iterum.
M. D. V. *Onufrius de Caramanico*.
M. D. VIII. *Romanus* Civitatensis.
M. D. X. *Thomas* Tulmetinus.
M. D. XI. *Joannes* Maranensis.
M. D. XII. *Leonardus de Frumentinis* iterum.
M. D. XV. *Romanus* Civitatensis iterum.
M. D. XVII. *Thomas* Tulmetinus iterum.
M. D. XVIII. *Nicolaus* Tarvisinus.
M. D. XXI. *Antonius* Utinensis.
M. D. XXV. *Jo: Baptista* Patavinus.
M. D. XXVI. *Isidorus Leopardus*. Vicariam *Congregationis Venetae*, post solutam *Lombardiae inferioris* Provinciam, anno 1533. gessit Praefecturam.
M. D. XXVIII. *Andreas* Liniacensis.
M. D. XXIX. *Nicolaus* Civitatensis.
M. D. XXX. *Romanus* Civitatensis tertium.
M. D. XXXI. *Nicolaus Mestruccius*. Hactenus ad Lombardiae inferioris Provinciam pertinuit *Forojuliense* Coenobium. Nova erecta Reformata *utriusque Lombardiae* Provincia, emersit *Congregatio Veneta*: eidemque Coenobium nostrum adhaesit.
M. D. XXXIII. *Galeatius* Tarvisinus.
M. D. XXXV. *Vincentius Capallus* Liniacensis.
M. D. XXXVII. *Dominicus* Civitatensis.
M. D. XL. *Aurelius* Soncinas.
M. D. XLI. *Vincentius Michelutus* Civitatensis.
M. D. XLIII. *Alexander* Liniacensis.
M. D. XLVI. *Isidorus Leopardus* iterum.
M. D. XLVII. *Nicolaus de Sartorucciis*.
M. D. XLVIII. *Vincentius* Maranensis.
M. D. L. *Jacobus Agresta* Justinopolitanus.
M. D. LII. *Joannes Savornianus* Utinensis.
M. D. LV. *Guillelmus Ronconus* Civitatensis.
M. D. LVII. *Philippus Stracciolinus* Civitatensis.

M. D. LVIII.

M. D. LVIII. *Vincentius Megaluccius* Civitatensis. Perillustris est in Civitate familia.

M. D. LX. *Petrus* Justinopolitanus.

M. D. LXII. *Octavianus*.

M. D. LXIII. *Jo: Franciscus Guidonus* Tarvisinus.

M. D. LXVII. *Guillelmus Ronconus* iterum.

M. D. LXIX. *Petrus Martyr* Liniacensis.

M. D. LXX. *Angelus Casarinus*, seu *Casullinus* Tarvisinus. Ad Infulas *Caprularum* in æstuariis Adriacis a Clemente VIII. postea evectus. De Viro litteris, ac moribus præstantissimo agunt Ughellus, Burchelatus, Fontana, Echardus, aliique.

M. D. LXXI. *Jo: Franciscus Guidonus* iterum.

M. D. LXXIII. *Vincentius Michelutus* iterum. An idem, ac Vincentius cognominatus *Megaluccius*, non constat. Hæc etiam inter nobiles in Civitate familias accensebatur.

M. D. LXXV. *Jacobus Agresta* iterum.

M. D. LXXVI. *Hieronymus Bigarella*. Congregationem Venetam postremus *Vicarius*, novamque *S. Dominici* Provinciam primus administravit *Prior Provincialis*.

M. D. LXXVIII. *Guillelmus Ronconus* tertium.

M. D. LXXX. *Dominicus Riccius* Utinensis. Hoc anno Congregatio Veneta in novam erigitur *S. Dominici* Provinciam.

M. D. LXXXII. *Augustinus Bozza* Tarvisinus.

M. D. LXXXIV. *Stephanus Locatellus* Civitatensis.

M. D. LXXXVI. *Benedictus Giojosus* Utinensis.

M. D. LXXXVII. *Octavianus Vadus* Patavinus: idem fortasse cum *Octaviano*, qui anno 1562. præfuit Cœnobio.

M. D. LXXXVIII. *Jacobinus Torsus*. Regimen Provinciæ anno 1606. tenuit.

M. D. LXXXIX. *Albertus Clarius* Civitatensis.

M. D. XCII. *Michaël Angelus Bonatus* Patavinus.

M. D. XCIII. *Dominicus Bernardus* Tarvisinus.

M. D. XCVI. *Petrus Franchinus* Tarvisinus. Provinciam anno 1586. administraverat. Mentionem ejus inter Scriptores Tarvisinos ingerit Burchelatus, ac inter Scriptores Ordinis Prædicatorum Echardus.

M. D. XCVIII. *Sebastianus Venerius* Tarvisinus.

M. DC. *Dominicus Bernardus iterum*.

M. DC. I. *Nicolaus Conradinus* Justinopolitanus.
M. DC. III. *Ludovicus Porcharius* Utinensis.
M. DC. V. *Stephanus Scarabatoccius* Venetus.
M. DC. VIII. *Georgius de Longis*. Collapsam in Cœnobio regularem disciplinam erigit, operam quoque suam præstante Egregio Viro *Bernardino Gosellino*.

VI. *Vetusti Codices in Cœnobio asservati recensentur.*

Vetustos postremo loco Codices nonnullos, qui in eodem Cœnobio adservantur, pretium operæ est recensere, ut Illustribus Viris, qui eosdem compararunt, gratia perennis habeatur.

Primus Codex in forma *Quarti* membranaceus Historiam complectitur, quam *de gestis Langobardorum* concinnavit Paulus Diaconus, Civitatis Austriæ, seu veteris Forijulii & ipse Civis. Specimina veterum characterum, quæ protulerunt in lucem Mabillonius de Re diplomatica, & Abbas Gotwicensis in Prodromo Chronici ejusdem Abbatiæ, aliique periti Viri, attentiore oculo perlustrantes, facile pronunciabunt, nono seculo scriptum fuisse Codicem. *Variantes* lectiones omnes desumpsi, habeoque in Adversariis.

Secundo Codice chartaceo in fol. continentur *Lactantii Firmiani Institutiones*, ac Libri duo *de Ira Dei*, deque *Opificio hominis*. Codicem Forojuliensibus dono dedit *Leonardus Senior* de Utino Ordinis Prædicatorum. Insignis habetur Libro II. Institutionum Capite IX. locus adversus Filii Dei consubstantialitatem. Verba sunt: *De Matre natus est, qui ante eam fuit: de Patre, qui aliquando non fuit*. Quæ verba Natalis Alexander Seculo IV. Dissertatione XLII. & recentissimus operum Lactantii editor Nicolaus Lenglet Dufresnoy in Notis, animadvertunt, ab aliquo Ariano inserta fuisse: eademque ab octo Vaticanis, Codicibus MSS. aliisque plurimis, & antiquioribus, & melioris notæ abesse. Eadem in Codice nostro leguntur emendata, catholicæ fidei omnino consona: nimirum, *De Matre natus est, qui ante eam fuit: de Patre, qui aliquando non defuit*. Hæc eadem lectio, adnotante Lengletto, prostat in vetustis editionibus anni 1475. & 1490. itemque in Codicibus MSS. Rohannensi, & Sancti Germani.

Tertius Codex in fol. *Symbolum* exhibet, & *Epistolas S. Hieronymi*. Symbolum, aut Symboli explanationem, ab Hieronymo Eruditorum natio abjudicat.

Quar-

Quarto, & quinto Codice habentur vetusta *Necrologia*, quæ paucis annis post erectum Cœnobium scribi cœperunt. Utrumque membranaceum, alterum in folio majori, in folio minori alterum. In illo dies *Calendarum*, *Nonarum*, & *Iduum* notantur, ac insuper *litteræ Dominicales*, quæ singulis diebus respondent: in isto litteræ duntaxat Dominicales habentur. Nomina affiguntur cum anno emortuali Fratrum, Benefactorum, aliorumque qui in Ecclesia, Claustro, ac Cœmeterio nostro sepulturæ traditi sunt.

Sextus Codex in fol. continet. *Postillas F. Petri de Tarantasia super Matthæum*, *Sacræ Pagine Professoris Ordinis FF. Præd. qui Papa creatus* (anno 1276.) *dictus est Innocentius V.* Solas Postillas *super Lucam* memorat, ac recenset Echardus in Scriptoribus Ordinis Prædicatorum.

Septimo Codice in fol. continentur *Epistolæ Apostoli Pauli secundum F. Petrum de Tarantasia*. Petro nostro Postillas in Epistolas Pauli adtribuit Echardus, quæ typis prodierunt sub nomine nostri Nicolai de Gorran, ac incipiunt, *Dedi te in lucem gentium*. De vero Auctore plura differit laudatus Echardus in utroque, *Petro de Tarentasia*, & *Nicolao de Gorran*: qua de re nostram consule Admonitionem præviam, ad Commentarios S. Thomæ in Epistolas Divi Pauli, vel Dissertationem sextam inter Triginta dissertationes *De gestis*, *& Scriptis*, *ac Doctrina S. Thomæ Aquinatis*, Venetis Jo: Baptistæ Pasquali typis editas anno 1750.

Octavus Codex in forma *Quarti* plura complectitur Opuscula. I. *Portio Legendæ Ven. Ambrosii de Senis Fratrum Ord. Præd.* Tum vero, *Incipit Epistola Aldebrandrini Senensis de Paparonis Ord. FF. Præd. ad notitiam præsentium*, *& memoriam futurorum*, *scripta de novo S. Ambrosio stylo veridico in hunc modum &c.* denique, *Incipit prologus ejusdem P. F. Aldebrandini in Legendam B. Ambrosii de Senis*. Mentionem ingerit Aldobrandini Echardus in Elogio B. Ambrosii Sansedonii: prædictumque ab eo elucubratum Opus prætermittit.

2. *Incipit prologus in Legenda B. F. Venturini Ord. Præd.* Post ipsam legendam, seu Vitam notæ chronicæ leguntur: *Anno Domini* 1347. *die* 7. *Mensis Junii*. Mortem obiit B. Venturinus anno præcedente 1346. die 28. Martii; unde chronicæ illæ notæ aut Vitæ ejus a Synchro-

no

no Auctore completæ, aut certe transcriptæ tempus indicant.

3. *Qualiter haberi potest, quod Indulgentia sit in S. Marco de Venetiis in Festo Ascensionis Domini*. Item, *Concordia Imperatoris, & Domini Papæ Alexandri de Senis* (Soanensis in Tuscia) *in Civitate Venetiarum*. Notula in fine legitur: *Habita est, & transcripta dicta Historia de quodam Libro apud Justinopolim: qui Liber est Episcopi præfatæ Civitatis de domo Lauretano* 1402. *die* 17. *Mensis Aprilis*. Laudatus Antistes vocabantur *Joannes*. Alia nota subjicitur: *Habetur similis* (Historia) *in Armario Trivisini Conventus Ord. Præd. in ingressu ad sinistram circa medium*.

4. " Incipit quædam Epistola B. F. Venturini de Bergamo Ord. Præd. quam direxit cuidam suæ in Christo " filiæ spirituali sub hac forma: videlicet, *Suæ in Christo Carissimæ filiæ Margaritæ ancillæ dulcissimi Crucifixi F. Venturinus peccator salutem*. " Eadem Epistola inscribitur *Ad Monialem Margaretam* apud Echardum.

5. *Incipit prologus super Vitam B. Sitæ* (Zitæ Lucensis.) 6. *Legenda B. Helenæ de Ungaria Sanctimonialis Ord. Præd. quæ ut narratur in hac Legenda, stigmata habuit mirabili modo*.

7. *Incipit Historia quædam de Sanguine Christi: qui sanguis dicitur esse in Civitate Mantuana*. 8. *Incipit Vita S. Petri de Morono, quondam Cælestini Papæ V. cujus Festum celebratur* 19. *intrantis Madii*. 9. *Incipit Historia de inventione, & translatione Coronæ spineæ Domini nostri Jesu Christi*. 10. *De S. Servatio Episcopo & Confessore*. 11. *Legenda brevis SS. Alexandri, Theodori* (Theoduli,) *Eventii, & Juvenalis MM*. 12. *Miraculum valde pulcrum Corporis Christi*. 13. *Privilegium Canonizationis S. Petri de Morono*.

14. *Hæc est quædam brevis abstractio de Vita S. Raymundi, tertii Magistri Generalis in Ordine FF. Prædicatorum: quam ego F. Thebaldus feci in Barchinone*. Hic auctor adjungendus Scriptoribus Ordinis Prædicatorum apud Quetisum, & Echardum. Hispanus natione videtur.

15. *Incipit Sermo in Translatione Sacri Corporis S. Thomæ de Aquino Ord. Præd. in novem lectiones distinctus*. Raimundum Hugonis Aquitanum, Cœnobii Brageriacensis alumnum, censet auctorem Echardus.

Duo,

Duo, quæ sequuntur Opuscula, confecta ab ipso fuere.

16. *Quædam pertinentia ad Translationem Corporis S. Thomæ de Aquino Doctoris eximii FF. Ord. Præd.* Incipit: *Ad sciendum qualiter*. Auctorem produnt sequentia verba: *secundum quod ego F. Raymundus Hugonis, prædicti Conventus Bragiaci filius, qui indignus servitor prædicti Rev. P. M. Eliæ* (Generalis) *fui ante Magisterium, & in Magisterio sibi continuo astiti, colligere posui.*

17. *Miracula facta in Translatione Sacri Corporis S. Thomæ Doctoris eximii FF. Ord. Præd.* Post miraculum XXV. sequens nota appingitur. *Ista 25. miracula, quæ præcedunt, dictavit & compilavit M. Bernardus Tholosanus:* tum alia plura narrantur. Hæc desunt verba in collectione Miraculorum, quam Bollandi Continuatores typis vulgarunt, laudatoque Raimundo Hugonis adscribunt.

18. *Quædam Legenda B. Symonis Conversi de Arimino Ord. Præd.* Incipit: *Anno D. M. CC. LXXI. fuit in Civitate &c.* Definit: *Et ibi cum solemnitate nimia fuit collocatus anno 1319. die 3. Mensis Novembris*. Simon a S. Archangelo vocabatur.

19. *Tenor cujusdam litteræ, sive Epistolæ transmissæ Magistro Raimundo Generali Ord. Præd. existenti tunc versus Coloniam per F. Joannem Dominici de Florentia ejusdem Ord. existentem tunc Venetiis: & hoc, cum rediisset de Forlivio F. Nicolaus Magistri Joannis de Venetiis ejusdem Ord. & perbibuisset testimonium sanctitati & miraculis B. Marcolini, scripsit dictus F. Joannes* (Dominici Florentinus) *dictam litteram die 1. sive secunda Mensis Martii 1396.* Hanc epistolam integram refert Thomas Antonii Senensis in Tractatu MS. de quo egimus Capite II. num. III. Epistolam in lucem protulimus Capite III. num. V.

20. *Tenor, sive copia litterarum, quas transmisit F. Joannes Dominici supradicti Ord. Præd. F. Antonio Bona Vicario Conventus Civitatis Castelli, ac cæteris Fratribus ejusdem Conventus & Ordinis, super transitu B. F. Nicolai Magistri Joannis Medici Physici, Prioris tunc temporis Conventus S. Dominici de Venetiis dicti Ordinis: & hoc anno Domini 1398. die 16. Novembris, cujus die 3. migraverat dictus B. F. Nicolaus ad Dominum.* Integram recitat Epistolam laudatus Thomas loco citato: ipseque Thomas ibidem latiore sermone præclara Nicolai gesta nar-

narrat. Quo demum Thoma teste, *scripsit inter alia* Nicolaus *Tractatum unum devotum, qui dicitur spiritualium nuptiarum*: eoque tempore servabatur *in Libraria Conventus* S. Dominici. Hæc Joannis Dominici Epistola prostat Capite III. num. V.

21. *Quædam brevis compilatio de Vita, & obitu Beati Papæ Benedicti XI. de Ordine Prædicatorum.*

22. *Incipit Vita B. Margaritæ de Ungaria Ord. Præd.* In calce nota sequens appingitur: *Explicit Legenda supradicta, licet alia plenior & completior inveniatur, quæ est in Libraria Conventus SS. Joannis & Pauli in quodam Volumine, cum una alia Legenda B. Agnetis de Monte Politiano Sanctimonialis Ord. Præd.* Sequitur *Epistola Inquisitorum ad Papam circa sanctitatem B. Margaritæ de Ungaria Ord. Præd.* Inscriptio est. *Sanctiss. Patri Domino Johanni* (XX. alias XXI.) *Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ supremo Pontifici, Ubertus Blancus ejus devotissimus Capellanus licet indignus, & Magister de la Corra Decretorum doctor SS. Apostolorum Veronensis Canonicus pedum oscula beatorum*. Hinc Sigismundum Ferrarium corrige, qui Parte II. Libro II. de Rebus Hungaricis Capite XXVII. *Umbertum, & Blancum* veluti duas personas obtrudit. Litteras prædictas vulgatæ sunt apud Bollandistas ad Diem XXVIII. Januarii. His aliæ sunt insertæ litteræ Innocentii V. Prædecessoris, quæ pariter Ferrarii lapsum castigant. *Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Magistro Uberto Blanco Capellano nostro Placentino, & de la Corre Doctori Decretorum SS. Apostolorum Veronensium Ecclesiarum Canonicis &c.*

23. *Incipit prologus in Legendam cujusdam Beatæ Mariæ de Venetiis Sororis Ordinis de Pœnitentia B. Dominici institutoris & Patris Ord. Præd.* Auctor est Thomas Antonii de Senis, ad cujus ignitos sermones ita fuit animo commota *Maria*, ut spretis hujus seculi illecebris, abdicatisque deliciis & opibus, quibus abundabat, in consortium Sororum *de Pœnitentia S. Dominici* recipi postulaverit, & obtinuerit; ac inter Beatas post mortem meruerit annumerari. Interim quo loco Vita B. Mariæ adservetur, nosse poterunt Bollandi Continuatores, qui eam nanciscendi desiderium exprimunt Tomo III. Aprilis pag. 962. Adnot. a. Ejusdem Vitæ auctorem se prodit

dit Thomas in *Tractatu*, de quo egimus Capite II. num. III. his verbis: *Per me Fr. Thomam supradictum, de dictæ Sororis vitæ processu, & transitu specialiter informatum, quædam licet compendiosa, composita fuit Legenda.*

24. *Legenda B. Margaritæ de Castello*. Apud Echardum Thomæ Senensi tribuuntur *Vitæ Virginum*, *B. Joannæ Sororis de Pœnitentia B. Dominici*, *B. Margaritæ de Castello*, & *B. Catharinæ de Senis*.

Nono Codice in 4. hæc habentur. 1. *Incipit Prologus in Libellum sive Tractatum de origine, sive ortu, atque processu status Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici in Civitate Venetiarum*. Quo de opere egimus Capite II. num. III. ubi sæpelaudatum Thomam Senensem Operis, quod Echardus prætermittit, auctorem ostendimus.

2. *Incipit Prologus in Legendam pro Prædicatoribus abbreviatam B. Catharinæ de Senis, Sororis Ordinis de Pœnitentia S. Dominici Ord. Præd.* Idem Thomas auctor est. Fusiorem vitam scripserat Raimundus a Vineis Capuanus. Quæ Thomas habet in Opere superius recensito, hoc loco proferre præstat. *Circa Nativitatem Domini* (anno 1395. cadente) *contigit, supradictum Magistrum Ordinis* (Raimundum) *de Sicilia advenire Venetias ad Conventum SS. Joannis & Pauli ... Cum autem portasset secum de Sicilia Legendam prolixam hujus Virginis* (Catharinæ Senensis) *per ipsum compositam & completam, de mandato suo feci copiare illam: & tandem copiata posita est in Libraria dicti Conventus SS. Joannis & Pauli. Et consequenter datus est ordo, ut etiam copiarentur de aliis in reverentiam Virginis, & pro dilatatione Sanctæ vitæ & doctrinæ ejusdem ad diversas hinc inde Provincias, & ad loca diversa.*

Decimus Codex in fol. complectitur *Conciones Quadragesimales*. In fine sequens nota legitur *Explicit hoc opus subtile, completum Ven.* 1437. *per F. Jo.... de Nureberga, Teutonicorum Evangelistam die 8. Mensis Aprilis in Conventu SS. Joannis & Pauli*. Alia habetur nota: *R. M. Ja. Petri fecit*. Nempe Concionum Quadragesimilium auctor indicatur. Florebat adhuc anno 1470. apud Echardum. Brixiensis erat patria, dicebaturque *Jacobus Petri*, & *de Petris*. Eidem attribuit Rovetta *Sermones de tempore, & de Sanctis per annum*.

In eodem Codice Opusculum habetur *Bernardi Abbatis Clarevall. super contemplatione Passionis Domini nostri Jesu Christi:* itemque *Expositio super Missus est.*

Undecimus Codex in 4.° parvo. *Incipit scriptum, sive Expositio F. Armandi Ord. Præd. super Libellum de Ente & essentia compositum per B. Thomam de Aquino Angelicum Doctorem.* Is est Armandus Gallus de Bellovisu anno 1334. denatus. Consule Echardum. In calce Codicis hæc scripta leguntur: *Iste liber est mei F. Benedicti de Utino Ord. Præd. quem emi a Conventu Paduano de bonis olim. b. m. Magistri Zachariæ de Padua, tempore Prioratus Mag. Francisci de Venetiis, anno Domini* 1472. *de Mense Junii.*

Codex decimus secundus in forma duodecimi. 1. *Incomincia il Prolagho del libro chiamato specchio della penitentia.* Notissimus auctor est Jacobus Passavante. 2. *Incomincia Evangelii per tutto l'anno, in prima la Domenica prima dell'Advento secondo Luca Cap.* 21. 3. *Incipiunt aliqua exempla: & primo quod paupertas voluntaria suavis est ei, qui eam veraciter amplectitur.*

Tertiodecimo Codice in 4.° hæc continentur. 1. *Vita de Messer S. Francesco.* 2. *Istoria de S. Marta de Bertagna, Sorella de Lazaro, & de S. Maria Maddalena.* 3. *Legenda de S. Silvestro Papa, Pastore della Giesia Santa.* 4. *Legenda de S. Dorotea Vergine e Martire de Cristo.* 5. *Legenda del B. Nofrio Eremita.* 6. *de S. Dionisio Areopagita gran Filosofo, e Martire de Gesu Christo.* Nota in calce appingitur his verbis: *Libro chiamato Vita di Santo Francesco, la qual fò composta per il dottissimo homo M. Pasquale Scaliger dell'anno* 1401. *di nostro Signore.* Evanescentes characteres ita licuit interpretari.

Quartusdecimus Codex in 4.° *Incipit liber, qui dicitur Supplementum Supplementi per Ven. P. F. Nicolaum de Auximo Ord. Min.* In fine: *Expletum prope Mediolanum in loco nostro, S. Mariæ de Angelis nuncupato, & vulgariter S. Angeli, anno* 1444. *Novembris* 28. *die Sabbati proximi ante Adventum, hora, quasi sexta.*

Decimusquintus Codex in 4.° *Aristotelis Ethicorum liber ex Leonardo Aretino traductus primus feliciter incipit.* Sunt decem libri. In fine hæc scripta habentur: *Decimus & ultimus Aristotelis liber feliciter finis: quem quidem Antonius Laurus, Sacerdos Venetus, 6. Idus Janua-*

nuarii 1491. *finivit : primaque vigilia noctis Cometa est visa, apparente Sereno Cælo, spectantibus omnibus*. Paucos licet, recensere tamen Superiores Codices, pretium operæ fuit, ut aliquantulum lucis, quod inde elicitur, rerum nostrarum historiæ accederet.

CAPUT VIII.

Monasterium Sororum a Cella prope Civitatem Forijulii regimini Fratrum nostrorum subjectum. Benvenuta Bojana, Soror Ordinis de Pœnitentia, sanctitate illustris.

I. *Monasterium Sororum a Cella erigitur prope Civitatem Forijulii. Ejus primordia.*

INter vetusta Monumenta, quæ Cœnobio *Forojuliensi* splendorem afferunt, jure ac merito Monasterium Sororum *a Cella* annumeratur, quod ejusdem Cœnobii alumni diutius moderati sunt. Situm illud est prope Civitatem Forijulii, extra suburbium quod *S. Dominici* appellatur. Typis vulgatus exstat *Numerus Monasteriorum Monialium Ordinis Fratrum Prædicatorum* Tomo VI. amplissimæ Collectionis, quam Ascetæ Benedictini Martene, & Durand, adornarunt: legiturque *in Provincia Lombardiæ inferioris* inter alia Sacra Gynæcea *Monasterium S. Mariæ de Cella in Civitate*. Opusculi auctor videtur Bernardus Guidonis. Hinc vero corrigendus Echardus, qui Tomo I. Scriptorum Ordinis, in Notitia Provinciæ Lombardiæ pag. VII. collocat *Utini* Monasterium *S. Mariæ de Cella*.

Primam Sacri loci originem patefacit Julianus in Chronico jam citato. Verba refero: *Impositus fuit primus lapis Monasterii Dominarum Cellarum apud Civitatem Austriam*, (eadem est ac Civitas Forijulii,) *per Venerabiles Patres, Albertum Concordiensem, & .... Petenensem Episcopos anno Domini M. CC. LXVII. die decimotertio intrante Aprili*. In Epitome ejusdem Chronici, quam pariter vulgavimus in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis, *annus* effertur *M. CC. LVII.* ubi Amanuensis oscitantia numeralem notam X. post L. prætermissam, nullus dubito. Dolendum vero, Episcopi Petenensis in Istria nomen excidisse. Is forte fuerit *Acardus*, cujus habetur mentio in Sententia

per Gregorium de Montelongo, Aquilejensem Patriarcham, lata *anno M. CC. LXIII. die XV. Decembris* apud Ughelli Italiam Sacram Juxta Venetam editionem. Integras habeo fundationis Tabulas, ex apographo desumptas, quas in lucem profero: " MCCLXVII. X. Indi„ ctione, apud Civitatem Austriam in Camera Patriar„ chali, die XII. intrante Mensis Decembris: præsenti„ bus Viris Religiosis Fratribus Old..... de Regio, Ar„ noldo de Civitate, Oberto de Pedemonte, & ..... de „ Straffoy Ordinis Prædicatorum; Mag. Peregrino Archi„ diacono Marchiæ & Carniolæ, & Dominis Henrico, „ Tafotto, Galengano, & Gratiano Civibus Civitatensi„ bus, testibus ad hoc vocatis & rogatis & aliis. Mulie„ res Religiosæ Sorores Guerempurch, Elisabeth, Blafet„ ta, & Adeleyta de Rivarotta, Domino (cui servire re„ gnare est) cupientes offerre, ipsi elegerunt sub S. Au„ gustini regula famulari. Propterquod Sorores eædem „ Rev. Patris & Domini Gregorii dei gratia S. Aquile„ giensis Sedis Patriarchæ præsentiam adeuntes, petierunt „ suppliciter, ut votis ipsarum benevolum & benignum „ præstans favorem pariter & assensum, id dignaretur de „ speciali gratia confirmare. Quarum petitionibus beni„ gne annuens idem Dominus Patriarcha, tanquam Pa„ triarcha & Ordinarius, instituit, ac etiam confirmavit, „ ut dictæ Sorores, & aliæ, quas ipsæ recipiendas duxe„ rint de cætero in Monasterio, quod ad honorem Beatæ „ & gloriosæ Virginis Mariæ cœperunt ædificare extra „ Civitatem versus viam, per quam itur ad Castrum „ Zucculæ, sub ejusdem Beati Augustini regula Domino „ famulentur; curam dictarum Sororum, & aliarum de„ gentium in dicto Monastero, memoratæ Sorori Valem„ purch committens, ut ipsa secundum eamdem regulam, „ prout Dominus sibi concesserit, curam prædictam de „ Sororibus ipsis gerat, donec de Priorissa dante Domino „ Monasterio provideatur eidem. Et ut Sorores eædem, „ & aliæ, quæ pro tempore fuerint in ipso Monasterio, „ liberius assequi valeant in Domino vota sua; Monaste„ rium ipsum, & Sorores prædictas, ac locum eorum „ cum ejus adjacentiis & pertinentiis, de mera & gratia „ speciali per se, suosque Successores, nomine dictæ Aqui„ legiensis Ecclesiæ, ab omnibus collectis, exactionibus „ & oneribus quibuslibet, quæ ad ipsum Dominum Pa-

„ triar-

„ triarcham, dictosque successores suos, & dictam Ecclesiam Aquilegiensem spectare videntur, reservato tamen sibi & dictis suis successoribus & eidem Aquilegiensi Ecclesiæ Jure Cathedratico, exemit perpetuo & absolvit. Ad majorem autem hujus rei evidentiam, & robur perpetuo valiturum, sæpesatus Dominus Gregorius Patriarcha. Instrumentum præsens fecit sui sigilli pendentis munimine roborari. Ego Joannes de Lupico Sacri Imperii publicus Notarius his præsens interfui, & rogatus scripsi, in formam publicam reducendo.

„ Eodem die, & loco, præsentibus testibus supradictis, Ven. Pater Dominus Gregorius, Sanctæ Aquilegiensis Sedis Patriarcha, præcepit Conrado dicto Boyano de Civitate, ut tanquam Procurator, & domesticus Sororum Monasterii Sanctæ Mariæ, quod nuper eædem Sorores ædificare inceperunt extra Civitatem versus viam, per quam itur ad Zucculam, commodum ipsius Monasterii & Sororum procurare debeat, prout in omnibus melius poterit, ac se exercere. " Institutum, confirmatumque hoc loco habes *Conradum Boyanum* ex perillustri in Civitate familia, recentis Monasterii *Procuratorem*, cujus erat bona ejusdem administrare, ac tueri, ejusque commodis & incrementis consulere: quo etiam sensu *Domesticus* appellatur, idest ipsius loci curam gerens. Ducangium in Glossario consule. Monasterii ædificium inchoatum erat mense Decembri anni 1267. cujus nempe primus lapis mense Aprili ejusdem anni positus fuerat, teste Juliano. Arbitrio suo obnoxium locum declarat Gregorius Patriarcha.

Paucos post annos devotas deo virgines, earumque Gynæceum, ut ipsarum votis faceret satis, regimini Fratrum nostrorum subjecit Honorius IV. Diplomatis verba sunt. II. *Fratribus nostris regendum traditur.*

" Honorius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Magistro, & Priori Provinciali Lombardiæ Ordinis FF. Prædicatorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Apostolicæ Sedis benignitas pia humilium desideria personarum, quæ mundanis illecebris libello dato repudii se divinis obsequiis dedicarunt, tanto propensiori prosequitur suffragio caritatis, quanto majori propter fragilitatem sexus indigere suffragio noscuntur. Ex parte siquidem dilectarum in Christo Filiarum, Priorissæ & Conventus Monasterii, quod dicitur Cella, apud

„ Ci-

„ Civitatem, Ordinis S. Augustini Diœcesis Aquilejensis, „ fuit propositum coram nobis: quod ipsæ inclusæ cor„ pore carceribus (*al.* Castris) claustralibus, mente ta„ men libera devote Deo famulantes, de Institutionibus „ Fratrum Ordinis vestri illas, quæ ipsis competunt, „ laudabiliter observarunt. Cum autem vobis, Magister „ & Prior, Priorissa & Conventus prædictus, prout as„ ferunt, affectent (*committi*;) Nos pium ipsarum in „ Domino propositum commendantes, devotionis earum „ precibus inclinati, ipsas & Monasterium prædictum, „ authoritate litterarum nostrarum, vobis Magistro & „ Priori duximus committendum, dummodo ad hoc Ven. „ Fratris nostri Patriarchæ Aquilejensis Diœcesis Metro„ politani accedat assensus. Et eadem authoritate nihi„ lominus statuimus, ut sub magisterio & doctrina Ma„ gistri, & Prioris Lombardiæ qui pro tempore fuerit, „ de cætero maneant: illisque gaudeant privilegiis, quæ „ prædicto Ordini sunt concessa, vel imposterum conce„ dentur. (Vosque, contraria consuetudine prædicti Or„ dinis, vel indulgentia ab Apostolica Sede obtenta vel „ etiam obtinenda nequaquam obstantibus,) animarum „ Priorissæ, & Conventus ipsarum sollicitudinem geren„ tes & curam; (ac ipsis) de Constitutionibus ejusdem „ Ordinis illas, quæ illis competunt, sine difficultate ex„ hibentes, eidem Monasterio per vos, vel alios Fratres „ vestri Ordinis, quos ad hoc idoneos videritis, (quo„ ties expedierit, visitationis officium impendatis corri„ gendo & reformando ibidem, tam in Capite quam in „ membris, quæ correctionis seu reformationis officio „ noveritis indigere: & nihilominus instituatis, & desti„ tuatis,) mutetis, & ordinetis, prout in aliis Mona„ steriis Monialium ejusdem Ordinis fieri consuevit. „ (Electio tamen Priorissæ libere pertineat ad Conven„ tum.) Confessiones earum audiatis, ministrantes eis „ Ecclesiastica Sacramenta. Et ne, pro eoquod in Mo„ nasterio ipso Fratres ejusdem Ordinis continue reside„ re non teneantur, pro defectu Sacerdotis possit peri„ culum imminere, vos ad confessiones in necessitatis „ articulo audiendas, & ministranda Sacramenta prædi„ cta eis deputetis) aliquem discretum & providum Ca„ pellanum. Ad hæc liceat eisdem (redditus &) posses„ siones recipere, & libere retinere, non obstante con„ tra-

„ traria consuetudine, vel Statutis ipsius Ordinis, confir-
„ matione Sedis Apostolicæ, aut quacumque alia robo-
„ ratis. Quocirca (discretioni vestræ) per Apostolica scri-
„ pta mandamus, quatenus omnia præmissa, quæ Mini-
„ sterium vestrum spectare valent, curetis diligenter &
„ sollicite juxta commissionis nostræ tenorem (sublato)
„ cujuslibet difficultatis dispendio adimplere. Dat. Ti-
„ bure VI. Kal. Septembris, Pontificatus nostri anno se-
„ cundo. " Æræ vulgaris annus 1276. in cursu erat.

Lacerum apographum, quod servant Sanctimoniales *a Cella*, suppletum est, facta collatione cum alio ipsius Honorii IV. Diplomate apud Bremondum in Bullario, quod eodem pariter Christi anno *datum* legitur pro Valentino *S. Mariæ Magdalenæ* Gynæceo in Hispania, *Tibure VIII. Kal. Septembris Pontificatus anno secundo*. Floret adhuc hoc Sororum Ordinis nostri Forojuliense Monasterium regulari disciplina, Virginum nobilitate, bonorum abundantia: jamque plurimis abhinc annis in jus rediit Aquilejensis Patriarchæ, cujus dominio Honorius IV. illud allegato diploma ademerat.

III. *Cur idem Monasterium enuncictur Ordinis S. Augustini? Antonii Scoti dubia expenduntur Monasteria, quæ dicebantur duplicia.*

Digna videntur animadversione verba illa, quæ initio Bullæ habentur: *Priorissæ, & Conventus Monasterii, quod dicitur Cella apud Civitatem, Ordinis, S. Augustini*. An Sacræ Virgines ab origine sua cooptatæ fuerint in aliquem ex Ordinibus Augustinianis, qui florebant! Jam enim decem annis antequam *Forojuliense* Monasterium *a Cella* erigeretur, idest anno Christi 1256. multas Eremitarum Congregationes in unum Ordinem sub regula, & nuncupatione *S. Augustini* redegerat Alexander IV. Verum etiam ævo illo Sanctimoniales *Canonicæ* vigebant, quæ regulam S. Augustini, aliasque institutiones, Episcoporum Synodorumque auctoritate firmatas, profitebantur. An ergo Virgines *a Cella* libellos supplices Romano Pontifici porrexerint, ut eis liceret, Ordine Augustiniano quem professæ fuerant relicto, in Sacrum Ordinem Fratrum Prædicatorum cooptari?

Id ego pernegaverim. Animadverte, *Priorissam*, & Sorores *a Cella*, quæ *Ordinis S. Augustini* enunciantur, illas esse quæ in Libello supplici exposuerant Romano Pontifici: *laudabiliter* hactenus se *observasse* institutiones Fratrum Prædicatorum, *quæ ipsis competebant*. Atqui vero ad annum 1276. hæc ipsarum petitio pertinet: sed

ante

ante decennium, ideſt anno 1267. primus impoſitus fuit Monaſterii lapis, quod incolebant: hoc igitur ſpatium temporis eſt, quo ipſæ dicuntur inſtitutiones *Fratrum Prædicatorum* jam laudabiliter obſervaſſe, quin ad alium *S. Auguſtini* Ordinem intra paucos annos pertinuerint.

Verumenimvero notum eſt, compertumque, Sorores Dominicanas hoc ævo in Bullis Romanorum Pontificum frequentius dictas fuiſſe *de Ordine S. Auguſtini*. Bullæ proſtant *Gregorii IX.* anno 1241. die 25. Maii, *Innocentii IV.* anno 1248. die 18. Auguſti, & anno 1250. die 15. Octobris, *Alexadri IV.* annò 1257. die 13. Junii, & die 10. Decembris, & anno 1258. die 8. Januarii, quæ diriguntur *Dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſæ, & Conventui Monaſterii de Pruliano* (dubio procul omni Dominicanis) *Ordinis S. Auguſtini*. Paria quamplura proſtant exempla in Bullario, quod Bremondus doctiſſimus, jam Magiſter Generalis, diligentiſſime congeſſit, eruditiſque notis exornavit. Data legitur *Innocentii IV.* Conſtitutio anno 1252. die 11. Maii *Prioriſſæ & Conventui Monaſterii S. Dominici de Imola* (Dominicanæ profeſſioni) *Ordinis S. Auguſtini*: noſtriſque demum privilegiis, ac Indulgentiarum beneficiis exornat Sorores *Monaſterii de Majorica Ordinis S. Auguſtini* Alexander IV. anno 1258. die 13. Junii, eodemque anno die 3. Auguſti Moniales *S. Jacobi de Ripodis Florent. Diœceſis Ordinis S. Auguſtini*. Ita nempe enunciabantur Sororum noſtrarum Monaſteria, propterea quod in eiſdem Sancti Auguſtini Regula ſervabatur, cum adjunctis Sororum Conſtitutionibus.

Negotium faceſſat nullum, Forojulienſe Monaſterium *a Cella*, aliaque plura ex *Ordinis Sancti Auguſtini* appellari: eademque poſtea *Fratrum Prædicatorum* a Romanis Pontificibus regimini, & curæ committi. Nec enim ita intelligi hæc verba licet, acſi ab uno Ordine eadem translata Monaſteria fuerint in alium Ordinem. Res ita ſe habuit. Fratres Prædicatores in Comitiis Generalibus Bononiæ anno 1235. celebratis, ut diligentius Verbi prædicationi navarent, fanciendum duxere: *ne Fratres curam deinceps haberent Mulierum*. Votis eorum annuentes, Ordinem noſtrum Monialium cura ac regimine, exceptis Monaſteriis *S. Sixti* de Urbe, & *S. Mariæ* de Pruliano, exemerunt Romani Pontifices, *Gregorius* IX. anno 1239. die 25. Octobris *Innocentius IV.* anno 1243. die

die 3. Septembris, & anno 1252. die 26. Septembris, *Alexander IV.* anno 1257. die 16. Novembris. Hinc Monasteria, quæ jam erecta fuerant, pertinuerantque ad Ordinem regimenque Fratrum, jurisdictionem subiere Episcoporum: quæve de novo erigebantur, Episcopi Diœcesani arbitrio parebant. Hinc rursus frequentes Libelli supplices, a Monialibus oblati Romanis Pontificibus, ut vel ipsis liceret sub cura Fratrum perseverare, vel certe in Ordinem Fratrum Prædicatorum cooptatæ, ab ipsis Fratribus regerentur. Monialium precibus, votisque factum satis: dataque Pontificiæ quamplures Constitutiones, *Honorianæ* pro Virginibus *Forojuliensibus a Cella* similes, quibus ipsarum Monasteria, non ab uno in alium Ordinem, sed a jurisdictione Diœcesani Episcopi ad curam, regimenque Fratrum transferuntur.

Dubia quædam innectit Cl. Antonius Scotus, Canonicus Tarvisinus, in Vita *Benedicti XI.* quæ Monasterium Sororum *S. Pauli* in eadem Tarvisina Civitate positum spectant. Bullam affert Bonifacii VIII. anno 1297. datam die 15. Martii, qua Sacræ illæ Virgines, quæ dicuntur *de Institutionibus Ordinis Fratrum Prædicatorum* illas *hactenus laudabiliter observasse* quæ ipsarum statui *competebant*, eorumdem Fratrum curæ subjiciuntur ac regimini. Hac ætate, & ante annum 1297. professionis, & Ordinis Dominicani fuisse probatissimas Virgines illas, non abnuit Scotus. Aliam profert Constitutionem *Clementis IV.* datam anno 1265. die 9. Novembris, qua privilegiis exornantur Tarvisinæ *S. Pauli* Sanctimoniales. Hæc ibi leguntur verba: *Statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini regulam in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur . . . inviolabiliter observetur:* itemque. *Benedictiones Canonicarum a Diœcesano Episcopo suscipietis;* quæ de Sanctimonialibus Canonicis, deque Ordine S. Augustini, ab Ordine Prædicatorum distincto, intelligi debere conjicit Scotus. Conjecturam elidunt non paucæ Pontificum Bullæ, quibus Ordo Prædicatorum dicitur *Canonicus*, ac Dominicanæ Sorores appellantur *Canonicæ*. Bullas nempe ediderunt *Honorius* III. anno 1218. die 30. Martii pro Monasterio *S. Mariæ de Pruliano*, & *Innocentius IV.* anno 1244. die 1. Martii pro Monasterio *S. Sixti de Urbe*, & *Alexander IV.* anno 1258. die 12. Aprilis pro Monasterio *S. Mariæ in Staynach*,

nach, & *Gregorius X.* anno 1274. die 7. Martii pro Monasterio *S. Agnetis de Burgo S. Laurentii de Mugello*; in quibus eadem habentur verba: *statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini regulam in eodem Monasterio institutus esse dinoscitur &c.* Idemque *Gregorius X.* Dominicanas *de Pruliano* Sorores, edita Constitutione anno 1275. die 23. Martii privilegiis exornans, annuit ut *benedictiones Canonicarum a Diœcesano suscipiantur Episcopo*. Nullo sunt igitur hæc verba impedimento, quominus ætate *Clementis IV.* Dominicanæ fuerint Tarvisinæ Sanctimoniales sub nuncupatione *S. Pauli*.

Primæ demum originis Tabulas affert Scotus *anno* 1224. *die Veneris XIII. intrante Decembri* confectas, quibus donatio quædam a *Petro Bono* fieri dicitur *Fratri Vivaldo, & Fratri Conrado, & Sororibus Domine Henrigete & Domine Girarde:* ipsique *recipientes* inducuntur *pro se, & omnibus Fratribus, & Sororibus, & Conversis eorum Congregationis & Collegii*, ut *valeant edificare unam Ecclesiam, & Monasterium, & Claustrum, & Cemeterium, & domos ad honorem B. Pauli Apostoli*. An vero Dominicani fuerint Fratres *Vivaldus*, & *Conradus*? An Dominicanæ Sorores Dominæ, *Henricheta*, & *Girarda*? Quid illa sibi velit Fratrum conjunctio cum Sororibus? Quidve titulus *Dominarum*, Sororibus adtributus? Nihil esse, haud inepte reponi posset, quod professioni Dominicanæ Sororum, ac Fratrum, qui memorantur in Tabulis, repugnet. Primam *Innocentii III.* profero Constitutionem, anno 1215. datam die Octava Octobris, quæ directa legitur *Priori, Fratribus, & Monialibus Domus S. Mariæ de Pruliano:* adnotatque Bremondus, ab ipso Monasterio condito ad hanc usque diem non *Moniales* tantum, sed etiam *Fratres* ibi domicilium habuisse. Quidni res eadem Tarvisii accidere potuit? Idemque locus *Fratribus* simul, ac *Sororibus* dono dari, in Monasterium, Cœnobiumque erigendus? Ac sane eodem circiter anno, quo prædictæ Tabulæ confectæ sunt, anno scilicet 1223. exceptos in Civitate Tarvisina Fratres Prædicatores, narrat Joannes Bonifacius. Dici vero *Dominas* potuisse Tarvisinas Sorores, alio comprobatur Sororum *Forojuliensium* exemplo, quarum Gynæceum Julianus in Chronico ad Annum 1267. vocat *Monasterium Dominarum Cellarum*. Hinc Monasterium istud *Tarvisinum*, ab ini-

initio erectionis, fuerit ex illorum genere, quæ *duplicia* vocantur. Consule hac de re differentem Theophilum Rainaudum Tomo XII. in opere *de sobria frequentatione mulierum per sacros homines* Capite VIII. pag. 302. ubi duplicis generis *duplicia* Monasteria distinguit: alia, in quibus indiscriminatim degebant *Monachi*, & *Monachæ*: alia, in quibus discretæ virorum, & mulierum partes erant eadem in magna domo.

Neque tamen huic pertinacius adhæserim sententiæ. Fratribus nostris Gregorius IX. edita anno 1237. die 12. Maii Constitutione, munus demandaverat, Cœnobia Virorum, ac Monialium Monasteria, & Canonicos Regulares cujuscumque professionis, vel Ordinis reformandi in *Lombardia*, *Romaniola*, *Marchia Tarvisina*, *& Anconitana*, *ac Diœcesibus Venetiarum*, *& Januensi*, facta simul facultate, *ut si aliqua prædictorum locorum inventa fuerint adeo deformata*, *quod in Ordine suo nequeant reformari*, *in illa unus de approbatis Ordinibus ... introducatur*. Hac data occasione, aliisque de causis non pauca potuisse Sacrarum Virginum Monasteria, priore relicto sive *D. Benedicti*, sive *D. Augustini* Ordine, in Ordinem Fratrum Prædicatorum cooptari, inficias iverit nemo: certumque trahi argumentum potest ex Pontificiis Bullis, quas Clarissimus Bremondus recenset. Ab Ordine Benedictino Venetas *Corporis Domini* Sorores ad Ordinem nostrum transiisse, narravimus Capite III. num. III. Num simile quidpiam Tarvisinis *S. Pauli* Monialibus acciderit? Non abnuo, nec ajo.

IV. *Synopsis Vitæ B. Benvenutæ Bojanæ, Sororis tertii Ordinis de Pœnitentia.*

Diverticulo finis esto. Recolenda *B. Benvenutæ* memoria venit, inter Sorores tertii, ut ajunt, Ordinis *de Pœnitentia S. Dominici* Virginis eximiæ, quæ Fratres nostros Forojulienses duces habuit in stadio virtutis percurrendo, ac Magistros. In vetusto Cœnobii Necrologio, in quo Mensium dies litteris duntaxat Dominicalibus designantur, ad ultimam litteram B. diem scilicet 30. Mensis Octobris hæc legimus verba: *M. CC. LXXXXII. Ob. Benvenutæ*, *filiæ quondam Domini Bojani*. *Vixit devote in tertio Ordine nostro*. Inter Beatas Germaniæ perperam eam annumerat Michaël Pius Tomo I. Virorum Illustrium Ordinis Prædicatorum. Patriæ, quam habuit Benvenuta, nomen ingessit errorem Pio, scilicet *Civitas Austria*.

Sanctissimæ vitæ, quam ipsa duxit, præclara gesta habemus lato calamo scripta a Conrado Ordinis Prædicatorum, qui Virginis confessiones excipiebat; tametsi cum incidat Auctoris mentio, nunquam ipse Conradus appelletur, verum suppresso nomine *Frater qui hoc scripsit*. Originale, quod olim inspeximus, nescio quo fato jam periit. Eadem acta in Italicam linguam a Mutio Sforza translata, bis in lucem prodierunt, Venetiis, ac Utini apud Schirattum anno 1681. Hinc Scriptoribus Ordinis, quos recensuere Quetifus, & Echardus, adnumerari *Conradus* debet. Ex actis colligimus, ipsum fuisse Virum eruditum, Sacris addictum concionibus, non semel Cœnobiis præfectum, *Forojuliensi*, *Tridentino*, *Tarvisino*, *Veronensi*, aliisque.

Ex *Bojanorum* familia perillustri orta est Forijulii, seu in Civitate Austria anno 1254. die 4. Maii *Benvenuta*: quo eam nomine, ne tristis pro nata filia videretur, vocari voluit *Bojanus* pater. In Libro MS. Variorum jam citato Nota legitur hoc modo: *M. CC. LXVIII. vivunt Corradus, dictus Bojan, & Volricus*. An ergo Conradus fuerit *Bojanus* ille, qui pater Benvenutæ dicitur? A teneris unguiculis futuræ specimen Sanctitatis dedit: sibique ad imitandum, dirigente Confessario, Sanctum Dominicum proposuit. Habitum Sororum *tertii Ordinis* adolescentula amplexa est: suæque professionis memor, vitam egit moribus integram, virginitate niveam, pœnitentiæ operibus austeram. Morbos gravissimos, quibus frequenter affligtabatur, incredibili patientia pertulit, vicit ac elusit insidias Dæmonum, Cælitumque conversatione fruebatur. Sororum *a Cella* multos annos consuetudine usa est, reliquum agens vitæ tempus in propria parentum domo. Annos triginta & octo nata, menses quinque, ac dies sex & viginti, pie in Domino obiit, gratiis & miraculis ante, & post obitum clara.

Antiqua pictura in assere, quæ in Cœnobio servatur, Virginem repræsentat radiis cinctam, ante Crucifixi imaginem genuflexam, seque ferrea catena verberantem. Ævo recentiore pictam in Ecclesia super aram posuere Tabulam Majores nostri, in qua eadem visitur Virgo in genua proluta, morboque siderationis a S. Patre Dominico curata. Mappam oblongam lineam ostendunt Fratres, quam cælitus adjuta fertur una nocte acu insignivisse:

visse: in eaque figuras plures, Jesum Christum e Cruce pendentem, Deiparam, Apostolos, aliosque Divos opere phrygio elaborasse. Sacræ Supellectilis catalogus vetustus adservatur, manu propria Leonardi de Utino anno 1490. scriptus, in quo hæc habentur: *Item Tobaliam cum Crucifixo in medio, & cum multis Sanctis ad acum laboratam per manus B. Benvenutæ de Bojanis*. Laudatus *Leonardus de Utino* alius est ab egregio Theologo, & Ecclesiaste ejusdem nominis ac patriæ, quem vita migrasse circa annum 1470. conjicit Echardus. Alius etiam fuerit, ut puto, a *Leonardo de Utino*, cujus doctrinam de Prædestinatione, Utini e suggestu annunciatam anno 1549. adseruit vindicavitque Joannes Grimanus Patriarcha Aquilejensis. Hac de re nos egimus in Monumentis ejusdem Ecclesiæ Aquilejensis.

Sanctitatis opinio, qua floruit *Benvenuta*, longe lateque se diffudit. Monimentum positum fuit Romæ in vetusto *S. Sixti* Cœnobio. Inter picturas, quæ claustrum exornant, Tabulam esse ferunt, quæ Beatum Dominicum, ipsamque Virginem, mediumque Jesum Cruci affixum exhibet. Sinistra manu coronulam precatoriam tenet ancilla Dei, dextera sudariolum sanguineis guttis aspersum: habetque corona redimitum caput. Angelus adest, qui phialam vitream gestat: legiturque subjecta sequens Epigraphe. *Benenata de Austria, Virgo nobilitate insignis, sed Sanctitate præclarior, nunquam carne & vino usa est, ter qualibet nocte ferrea catena se affligebat, fere semper ab Angelo Gabriele cælestibus epulis cibata fuit, a Virgine Maria puerum Jesum nocte Nativitatis Domini habuit, sæpissime in raptu vidit arcana Dei, in die Pentecostes flammam igneam supra singulos Fratres vidit, Christi dolores meditans sanguinis lacrymas fudit, quas Angelus in vase excepit*. Præclariora gesta perstringuntur, quæ latiore sermone in Vita *Benvenutæ* descripta habentur. Cave igitur ne *Benenatam* distinguas ab ipsa *Benvenuta*. Dicitur *de Austria*, idest de Civitate Austria, seu vetere Forojulio. Fuit etiam *nobilitate insignis*, ex illustri videlicet *Bojanorum* genere prognata: at cur in capite coronam ferat, causa me latet.

Ubi reconditum jaceat Corpus ejus, ignorant omnes. In MS. Vitæ Codice, quem ex vetusto originali transcriptum servant Fratres, nota legitur, quam propria manu appin-

pinxit *Leonardus de Utino* Senior, dictus *Matthæi*, clarus ætate sua Scriptor, ac Verbi divini præco. " Anno
" Domini M. CCCC. VII. die XXVII. Maii, apertum
" fuit sepulchrum, quod est immediate ante fores Eccle-
" siæ B. Dominici, in quo dicebatur esse sepulta devo-
" tissima Benvenuta, & non est inventum Corpus ejus:
" sed in eo erant sex Capita, & omnia corpora erant
" resoluta in pulveres, & cineres. Intersuerunt autem
" prædictæ apertioni Sr. Franciscus de Virgiliis Provisor
" Communitatis Civitatensis, Sr. Conradus de Bojanis,
" Sr. Nicolaus de Portis, Sr. Martinus de S. Daniele,
" Magister Leonardus de Utino Ordinis Prædicatorum,
" F. Bartholomæus de Firmo Lector Conventus Civita-
" tensis ... & alii Fratres prædicti Conventus. Ego Mag.
" Leonardus prædictus manu propria scripsi. "

Diligentiore cura post duo secula probatissimæ Virginis perquisitæ exuviæ: neque tamen inventæ. Rei memoriam posteris reliquit Bernardinus Gosellinus in Necrologio, quod num. 3. signatum est. " M. DC. IX. XVI.
" Febr. Anno a partu Virgineo nono supra Millesimum
" & sexcentesimum, quartodecimo Kal. Martii. Cum
" multis nobis constaret argumentis, Sanctissimam Vir-
" ginem Sororem Benvenutam Boyanam Forojuliensem
" ex Ordine tertio S. P. Dominici positam fuisse in tu-
" mulo parentum qui extra portam majorem Ecclesiæ
" est, (*intra Ecclesiam novum prope januam fieri postea*
" *fecerunt Bajani*,) fusis prius per octiduum ad Deum
" ingentissimis precibus, recitato etiam Davidis psalte-
" rio, quod ad impetrandum a Divina Majestate postu-
" lata accommodatissimum esse memoriæ prodidit Beatis-
" simus F. Constantius Fabrianensis ex nostra Familia
" Prædicatorum, recitato quoque novies Cantico Magni-
" ficat, quo remedio ad invenienda deperdita sæpius non
" absque divinis miraculis usum fuisse legimus B. illum
" Fratrem Aloysium Bertrandum Valentinum, quem re-
" latum propediem in Sanctorum numerum veneraturos
" speramus, implorata præterea Sanctissimæ Virginis Ma-
" riæ ope, ut ageret apud Filium, quo faciliorem no-
" bis aperiremus aditum ejus præcibus & interventu,
" hunc pretiosissimum thesaurum Reliquiarum Benvenu-
" tæ inveniendi; hoc tantum nobis proposito ante ocu-
" los, honore scilicet & gloria Dei Optimi Maximi, &
" An-

„ Ancillæ fuæ Benvenutæ: effodiendum curavimus ante „ valvas majores, apertoque fepulcro lapideo, quod fa- „ xis fuperioribus remotis afpicitur, nihil aliud reperi- „ mus nifi feptem vel octo Capita mortuorum, & quam- „ plurima offa, duas etiam fafciolas aureas, totidemque „ fericas: quæ denique repofita fuere omnia, & collau- „ datus Deus benedictus, cujus voluntatem effe puta- „ mus, ut delitefcant offa Benvenutæ ad diem fupre- „ mam judicii. Interfuere aperitioni Sepulcri ad. Reve- „ rendus P. F. Georgius de Longis Utinenfis benemeri- „ tus Prior Conventus, F. Georgius Bovius Feltrenfis „ & F. Dominicus Venetus Novitii Profeffi, & qui fcri- „ pfit hæc F. Bernardinus Gauslinus Lector, aliis etiam „ quamplurimis quos ne multus fim omitto. “

Vulgo creditur, Bononiam ab antiquis temporibus *Benvenutæ* corpus translatum fuiffe. *Perilluftris D. Federicus Boyanus cenfet*, (pergit ibidem adnotare Gofellinus,) *Benvenutæ Corpus Bononiæ fitum effe: quod noctu a quodam Fratre noftri Ordinis acceptum afferit, paullo poft quam in tumulo conditum fuiffet, in eamque Urbem, & Cœnobium delatum.*

CAPUT IX.

Bernardini Gofellini ftudia, laborefque pro difciplinæ regularis inftauratione in Cœnobio Forijulii. Decreta Seraphini Sicci, Generalis Ordinis Magiftri. Eadem regularis obfervantia adferitur in Domo Rofacienfi.

I. *Georgio de Longis focius additur Bernardinus Gofellinus ad inftaurandam regularem Difciplinam in Cœnobio Forojulienfi.*

HÆc funt, quæ colligere potuimus, vetufta Cœnobii noftri *Forojulienfis* monumenta. Ad illud jam pervenerat novus Prior *Georgius de Longis* anno 1608. incepto, die fcilicet 13. Februarii. Secum tirones duos adduxerat, *Georgium Bovium*, & *Dominicum Alenum*, quos in Oppido S. Viti legitimis inftitutionibus imbuerat, ac *Dominicum* Fratrem Converfum. Hos confecuti funt paucos poft dies *Hyacinthus de Monte Scilicis*, *Joachimus Venetus*, *Raimundus Marofticenfis*, aliufque Sacerdos, quem legimus in Hiftoria MS. Marci-Antonii Sterni nuncupatum! *a Porrecta*, Tufciæ feu Romanæ Provinciæ alum-

alumnum, ac illustrem Concionatorem, atque demum *Hyacinthus* Conversus. Postremo excepto, non steterunt alii in proposito: abieruntque in alias Provinciarum domos, ubi severa vivendi ratio non colebatur, quam invexerat ad normam legis novus Prior.

Validissimas suppetias tulit socius jam promissus ad instaurandam in eo Cœnobio collapsam disciplinam, *Bernardinus Gosellinus*. Juvenum tirocinio præfectus est, atque Lector institutus ad litteras tradendas. Fovit ipse, quam Georgius induxerat, verbo & exemplo Sanctissimam disciplinam, auxit etiam, sustinuit, vindicavitque: eidemque probatissimo Viro sua debet primordia Congregatio *B. Jacobii Salomonii*, quam in Provincia *S. Dominici* Majores nostri erexere. Præclara ejus gesta laudatus Sternus congessit omnia tum in fusiore Vita, quam MS. servant Forojulienses Fratres, tum in ejusdem Vitæ Synopsi cum Historia Congregationis in Archivo *Vicarii Generalis* adservata. Legitur etiam prolixum Elogium apud Echardum Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum.

II.
Ejusdem Gosellini natales, patria, Dominicana professio, studium regularis observantiæ.

Natus est anno 1575. die 5. Julii Veronæ, ubi *Judicis munere ad maleficia*, ut ajunt, sub Veneto Prætore defungebatur pater. Hic *Bernardinus Gosellinus*, & Mater appellabatur *Creusa Villabruna*, ambo Feltriæ cives, quæ urbs est Episcopalis in Marchia Tarvisina, ac genere nobiles. Nomen *Victoris* in sacris undis Filius habuit. Ordinis habitum induit, inter alumnos *Tarvisini* Cœnobii cooptatus: denatique Patris nomine adsumpto, *Bernardinus* vocatus est. *Gosellinum*, & *Gauslinum* cognominatum legimus, ac frequentius *Tarvisinum* ex professionis loco, non ex urbe *Feltria in Marchia Tarvisina*, ut conjiciebat Echardus. In ejus Elogio idem cl. Auctor refert ex litteris a Cherubino Tornio ad Jacobum Quetifum datis, Advocati, seu causarum patroni munus in seculo Bernardinum egisse: quod ipse adversum putat litteris, quæ de obitu ejus in Comitiis Generalibus Romæ anno 1644. celebratis lectæ fuerunt; in quibus, inquit, *anno ætatis quartodecimo Ordinem intrasse* dicitur. Minus accurate Litterarum verba legit Echardus, quæ sunt hujusmodi. *Strictiorem observantiam, quartodecimo a sua professione anno, adeo complexus est, ut totius religiositatis exemplar extiterit*. Annus a professione,

ne, seu post ipsam quartusdecimus numeratur, non annus *quartusdecimus ætatis*, quo seculo valedixerit. At falsus, deceptusque dicendus etiam est cherubinus Ternius, aut ejus Epistolæ ad Quetisum datæ perperam certe intellectæ fuerunt: cum munus *Advocati*, causarumque patroni, *Bernardinus* Pater egerit, non Bernardinus filius.

Nomen Ordini ipsum dedisse anno ætatis sextodecimo, scribit in Breviore ejus Vita Sternus. Annum expletum intellige, simulque inceptum decimum septimum, quem etiam notat ille in Vita fusiore. Eadem colligitur epocha ex anno 1592. quo Bernardinum, in Seculo *Victorem*, intrasse in Ordinem, narrat Hieronymus Bertondellus in Historia Feltriæ, teste advocato Nicolao Vanto, patria & professione Tarvisino Ordinis Prædicatorum, in Notitia, quam anno 1643. edidisse dicitur, Cœnobii *S. Nicolai* in Civitate Tarvisio, ac illustrium Alumnorum. Sacra studia sedulo, magnoque profectu excoluit Bernardinus: neque nuncium misit litteris humanioribus, quibus data occasione indulgebat. Theologiæ Scholam Tarvisii regebat anno 1606. cum ad meliora charismata vocatus, ad Cœnobiolum *S. Laurentii* in Oppido *S. Viti* secessit, *anno* scilicet *quartodecimo a sua professione*, disciplinam regularem cum Georgio de Longis erecturus in Provincia *S. Dominici*.

Tantam molem totis viribus, erectoque animo adgressus est, sustinuitque in Domo *Forojuliensi*, ad quam missus anno 1608. accesserat. In Actis Capituli Romani, *Definitorum* primi, in quo Magister Ordinis electus est Augustinus Galaminius, anno 1608. celebratis, *Magistrum Studii* in sequentem annum 1609. designatum legimus Gosellinum; promotumque pariter *ad Baccalaureatum* anno 1611. in Comitiis Generalibus Parisinis, eodem Galaminio præside, quæ fuerunt *Definitorum* secunda. Honorum titulis, gradibusque in Studio Generali *Patavino* percurrendis ultro cessit ille, commissam sibi disciplinæ regularis instaurandæ provinciam expleturus. Jam Deo digna visebatur in Ecclesia sacri cultus ratio: severiora officia diligentissime implebant Fratres, litterarum studia pridem neglecta refloruerant, ædes ipsæ cadentes in meliorem formam redactæ sunt: recuperata quamplura Conventus bona, quæ aliorum incuria perierant.

III. *Cœnobio Forojuliensi præficitur. Decreta in Comitiis Generalibus, & a Magistro Ordinis edita, in præsidium regularis observantiæ.*

Cœnobio præficitur anno 1612. tenuitque regimen tres annos. Reformationis opus, quod incrementa in dies capiebat, satis firmum non erat solo Comitiorum *Provinciæ* decreto. Validiora præsidia opus erant, ut ipsum servaretur ab exitio. Hæc facile obtinuit in Comitiis Generalibus, *Definitorum* primis, præside Seraphino Sicco, Bononiæ anno 1615. celebratis, quæ declarationem in Comitiis Provinciæ anno 1608. latam edito decreto firmarunt his verbis: *Approbamus declarationem factam a Capitulo Provinciali dictæ nostræ Provinciæ S. Dominici: videlicet, quod Conventus S. Dominici de Cividato deputatus fuit auctoritate Sanctissimi D. N. Pauli Papæ V. pro iis, qui secundum rigorem nostrarum Constitutionum vivere cupiunt: & quod dicto Conventui licebit recipere ad habitum Ordinis, & educare Novitios.*

Iterum auctoritate Apostolica, ipsorumque Comitiorum Institutione, præfectus Cœnobio Gosellinus, ut instaurata disciplina validiores sub tanto plantatore radices figeret. Pœna etiam, quam vocamus *absolutionem ab officio*, in eos lata, qui reformationem inceptam nimio ausu perturbarent. Decreti verba sunt: *Auctoritate Apostolica, qua in hac parte fungimur, pro conservanda reformatione in præfato nostro Conventu de Cividato, ad sequens triennium instituimus & damus in Priorem ejusdem Conventus P. F. Bernardinum de Tarvisio: & præcipimus, ne quis imposterum, sive Prior illius Conventus, sive Provincialis exstiterit, in Conventu prædicto de Cividato inceptam septem abhinc annis reformationem sub pœna absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda perturbare audeat.*

Ampliora privilegia volvebat animo Vir probatissimus, a Seraphino Sicco impetranda: quibus munita, non ita facile disciplina regularis erecta, imposterum collaberetur. Satis congruum videbatur, ut *Forojuliensi* Præfecto facultas concederetur, eos excipiendi Fratres, qui primævam legum observantiam æmulantes, ad Cœnobium *Forijulii* ex alienis Provinciis migrarent, Præfectorum Provinciis præhabito consensu; eosque pariter excipiendi ipsius Provinciæ *S. Dominici* alumnos, qui eodem animi proposito ducti, repugnantem Prioris Provincialis voluntatem experirentur. Accidere poterat, ut electione Prioris instante, quæ post singula biennia aut triennia recurrit, numerus Electorum lege constitutus deesset in Cœno-

nobio: quo casu ad Provinciæ Præfectum electionem devolvi, res aleæ plena foret. Idcirco expetebatur, ut Fratres reformationis cultores idoneum sibi Caput ab ipso Magistro Generali Ordinis, aut ejus Vicario exposcerent. Magni quoque intererat, si alumni prædicti Cœnobii, quos *Filios* appellamus, instauratam disciplinam ferre nolentes, & in alias Provinciæ domos abeuntes, neque revertentes intra spatium duorum Mensium, priore *adfiliatione* amissa, inter Fratres *Conventuales* iis adsignati locis computarentur, ad quæ perrexerint. Præfectorum Provinciæ auctoritas *in adsignationibus Fratrum*, ut vocamus, remotionibusque cohibenda erat: honorum ambitus tollendi citra Patrum a Consilio petitionem, & assensum: eorumque ausus comprimendi, qui turbarent Fratres, arctioris paupertatis rationem profitentes, quam Deo religionis voto emisso nuncupaverant. Ad ipsius demum regularis disciplinæ propagationem nimis apta videbatur Domus *Rosaciensis*, quæ *Vicariatus* titulo Præfecturæ Conventus *S. Dominici* subjiceretur.

Solutis Generalibus Bononiensibus Comitiis, invisere ac lustrare Italiæ Cœnobia anno eodem 1615. cœpit Seraphinus Siccus. Ad Patavinum *S. Augustini* mense Augusto accesserat: ipsumque Gosellinus convenit, quem noverat Reformationis operi addictissimum. Quæ conceperat animo privilegia, exposuit Magistro Ordinis, nulloque negotio obtinuit. Datæ litteræ sunt his verbis.
" Cum ex fideli & digna relatione apprime certificati fue-
" rimus, nonnullos Fratres nostros in Conventu nostro
" *S. Dominici de Civitato* nostræ Provinciæ *S. Dominici*
" *Venetiarum* reperiri, qui fervore reformationis accensi,
" regularem observantiam per B. Dominicum Patrem no-
" strum, nostrosque antiquos Patres ordinatam constanti
" proposito susceperunt; proinde pro ea, qua erga Reli-
" gionem ampliandam & promovendam tenemur sollici-
" tudine, tam laudabile dictorum Patrum desiderium spe-
" ciali aliquo favore prosequi cupientes, nonnulla in ipso-
" rum consolationem, quæ pro majori Dei gloria ac fir-
" miori præfatæ reformationis stabilimento provide judi-
" cavimus expedire, decernenda duximus. Præsentium
" igitur tenore, nostrique auctoritate officii, primo qui-
" dem Locum & Ecclesiam *S. Petri de Rosaccio* eidem
" Reformationi & Conventui nostro *S. Dominici de Ci-*

 " *vi-*

„ *vitato* incorporamus, taliter tamen, ut modernus Vi- „ carius P. F. Jacominus Torsi in officio Vicarii per- „ maneat: volentes, ut tam Vicarius, quam Fratres di- „ ctæ Domus seu loci de Rosaccio ibidem pro tempore „ existentes R. P. Priori pro tempore dicti nostri Con- „ ventus *de Civitato* obediant, & sint subjecti. Decerni- „ mus, ut Frater seu Fratres nostri Ordinis, si qui ex „ aliis Provinciis ad prædictam Reformationem S. Domi- „ nici *de Civitato* cum litteris suorum Provincialium ac- „ cesserint, & in eadem Reformatione secundum rigo- „ rem nostrarum Constitutionum vivere proposuerint, a „ P. Priore pro tempore ejusdem reformati Conventus „ possint recipi, itaut a nullo nobis inferiori talis ut „ præfertur acceptio impediri possit. Si quis Frater, aut „ Fratres ejusdem nostræ Provinciæ *S. Dominici*, inspi- „ rante Domino, ad eam Reformationem accedere, & „ in ea vivere voluerint, & a P. Provinciali seu Provin- „ ciæ Præsidente licentiam obtinere nequiverint; statim „ atque a Priore dicti Conventus pro tempore recepti „ fuerint, in eodem Conventu ipso facto sint assignati, „ quemadmodum nos ex nunc pro tunc eumdem, sive „ eosdem ibidem assignatum & assignatos esse, ac fore „ decernimus & declaramus. Prohibemus sub pœna ab- „ solutionis ab officio, ne ullus nobis inferior aliquem, „ sive aliquos Fratres dictæ reformationis in observantia „ voluntariæ paupertatis impediat: sed eam, quam pro- „ fessi sunt paupertatem, libere sectari permittant. Si „ quando accidat, ut in eodem nostro Conventu ob pau- „ citatem Vocalium Prior eligi non possit, tenebuntur „ statim Fratres ejusdem Reformationis ad Nos, vel ad „ Vicarium nostrum Generalem, si extra Italiam fueri- „ mus, ut sibi de Capite & Pastore provideat, confuge- „ re: ac proinde facultatem auferimus a quocumque no- „ stro inferiori, dandi sive instituendi sub quocumque „ prætextu Priorem dicti Conventus. Quam facultatem, „ gravissimis de causis animum nostrum moventibus, „ præsertim ad augendam reformationem & propagan- „ dam, nobis solis reservamus: irritum & inane decer- „ nentes, quidquid in contrarium a quocumque nostro „ inferiori factum, vel attentatum fuerit. Interim autem „ dum responsum, & opportunam provisionem a Nobis „ faciendam expectari contigerit, illum qui novissime

„ Prio-

„ Prioratum dicti nostri Conventus finierit, eumdem Con-
„ ventum sub titulo Vicarii nostri regere & gubernare
„ volumus, quousque novus Prior a nobis institutus,
„ presens in ipso Conventu extiterit, & possessionem sui
„ Prioratus acceperit. Filii ejusdem nostri Conventus
„ S. Dominici *de Civitato*, qui relicta reformatione ad
„ alios diverterint, nisi ad eumdem infra duos Menses
„ redierint, ad eos Conventus in quibus recepti fuerint,
„ assignati censebuntur. Nullus nobis inferior poterit assi-
„ gnare, aut removere Fratres a prædicto nostro Con-
„ ventu contra Patrum ejusdem Conventus consensum,
„ Nobis inconsultis. Nullus ejusdem Conventus Filius
„ gradum aliquem sine Patrum ejusdem Conventus peti-
„ tione, & assensu poterit obtinere. Ut autem prædicta
„ omnia serventur, præcipimus in virtute Spiritus San-
„ cti & Sanctæ obedientiæ sub formali præcepto tam Pro-
„ vinciali seu Præsidenti ejusdem Provinciæ *S. Dominici*
„ pro tempore, quam Priori seu Præsidenti pro tempore
„ dicti nostri Conventus *S. Dominici de Civitato*, ut præ-
„ dicta omnia observent, & observari faciant. In nomine
„ Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem
„ his Officii nostri Sigillo munitis manu propria subscripsi-
„ mus. Dat. Patav. in Conventu S. Augustini die 22. Augu-
„ sti 1615. F. Seraphinus qui supra. Reg. fol. 211. F. Tho-
„ mas Marinus Magister Provincialis Terræ Sanctæ. "

IV. *Florentem in Cœnobio Forojuliensi disciplinam Gosellinus adserit in Domo Rosaciensi.*

Domum *Rosaciensem*, cujus originem ac vices Capite IV. num. VII. exposuimus, anno 1615. regebat *Vicarii* titulo Jacobinus Torsus, quem regulari observantiæ addictissimum, adnotavimus. Hanc facile subjici Præfecturæ Cœnobii *Forojuliensis* posse cogitaverat ille, ut florens inibi disciplina propagaretur, incolis Fratribus Abbatiæ datis, qui legitimis institutis in eodem Cœnobio imbuti fuissent.

Ravennam, Torsi consilio ductus, perrexit Gosellinus, ut negotium gereret cum *Petro Aldobrandino* S. R. E. Cardinali, Abbate Commendatario. Rem dimisit Abbas, litteris hoc anno datis *die* 10. *Januarii*, arbitrio & prudentiæ Seraphini Sicci, Magistri Ordinis. Is lubentissime votis favit, ac indulsit, decreto lato quod in ejusdem litteris jam allegatis primo loco legitur. Aldobrandini litteras ad Jacobinum Torsum Italice scriptas proferre liceat. *Reverendo in Cristo Patre. L' elettione*

delli

delli Padri Riformati di S. Domenico, che V. P. desidera chiamare a Rosaccio per servitio di quella Chiesa, è di mia molta soddisfazione. Ne scriva perciò al P. Generale, che io non solo me ne contento, ma giudico espediente per l' edificatione, che si darà in quel luogo col loro mezzo. Se occorrerà fare qui altro uffizio in conformità, avvisi che io farò eseguire, quanto ella ricorderà in questo particolare. E per fine le prego ogni contento. Li X. Gennaro 1615. Al piacer suo il Cardinal Aldobrandrino. P. Torsi. Optimæ Abbatis menti, latoque a Magistro Ordinis decreto paruerunt alumni Provinciæ. Facta vero in Comitiis Provincialibus Tarvisinis, anno 1618. denunciatio per hæc verba: *Denunciamus, Locum Rosaciensem fuisse a Reverendiss. Patre Generali unitum & incorporatum, tanquam membrum suo capiti, Conventui Civitatensi.*

Contra Fratres locum incolentes litigia moverunt homines ad jurgia proni anno 1635. & anno 1662. *Antonio Grimano* Abbati ingerebatur, ut ipse quem vellet Fratribus *Rosaciensibus* Vicarium præficeret; nullaque Conversorum habita ratione, quatuor duntaxat Sacerdotibus stipendia daret. Tum *Victorium*, ex eadem nobilissima Grimanorum gente successorem Abbatem, decipere valuit quidam *Thomas Cicero de Grottola*, Apulæ Provinciæ alumnus Ordinis nostri: impetravitque, ut abire jussis *Forojuliensibus* Fratribus, ipse cum sociis pro genio adscitis Domum *Rosaciensem* regeret. Loco cesserunt nostrates, dissidia vitantes: iidemque Senatus Veneti consulto in locum redire jussi. Servantur in Archivo Ducales *Francisci Ericii litteræ die 31. Januarii Indictione 5. 1636.* more Veneto, & *Dominici Contareni datæ die 19. Junii anno 1666.* Remoto jurgio, omnique præcisa dissidiorum ansa, pergunt Fratres, ex Cœnobio *Forojuliensi* missi, locum incolere, Deoque famulari, ac saluti consulere proximorum: eorumque operam pro summa humanitate sibi gratam acceptamque habuerunt Successores Abbates, *Joannes* S. R. E. Cardinalis, & *Dionysius* e gente Delphinorum Patriarchæ Aquilejenses, & *Leander de Purliliis* S. R. E. Cardinalis: acceptamque habet *Angelus Maria Quirinus*, & ipse Purpuratis Patribus annumeratus, Episcopus Brixiensis.

C A-

CAPUT X.

Alia præclara gesta, Gosellini, & Opera typis edita. Præsidia, & incrementa regularis observantiæ. Obitus ejus in Cœnobio Utinensi.

I. *Gosellinus præficitur Provinciæ S. Dominici. Cultum promovet B. Jacobi Salomonii.*

GEsta narrare pergo *Gosellini* præclarissima, ac regularis observantiæ ab eodem probatissimo Viro instauratæ felicissima incrementa. Plura tulerat Seraphinus Siccus, dum Cœnobia Provinciæ *S. Dominici* lustraret, saluberrima statuta: quorum impletionem pro virili curandam eidem Gosellino commiserat. Patavii Comitia Provincialia anno *1616.* celebrata sunt: in quibus *Livius Leonius*, patria ac professione Patavinus, renunciatus est Præfectus Provinciæ. De Viro clarissimo scribit Jacobus Philippus Thomasinus in Gymnasio Patavino: ipsum *anno 1593. die 3. Februarii electum esse* Metaphysices Professorem, *summo ingenio, ac doctrina ornatum:* atque *anno 1617. die 3. Martii obiisse*. Iterum meminit ejus inter Elogia Illustrium Virorum idem Thomasinus.

Minus gratam habuit *Leonii* electionem, rejecitque *Siccus*, Magister Ordinis: Sedisque Apostolicæ litteris impetratis, Gosellinum qui Cœnobium *Forojuliense* regebat, Præfectum Provinciæ instituit, quadraginta & unum annos natum. Impositi muneris, quod ægerrimo animo adsumpsit, egregia sollicitudine partes omnes explevit. Nihil non prætermisit, ut proprium abdicaretur a Fratribus peculium, quod malorum omnium, quæ Regulares Ordines misere devastant, originem censebat. Hinc necessaria quæque ad victum vestesque, aliosque usus attinentia prompte cuique suppeditari indixerat, quo facilius ad vitam communem, totius regularis disciplinæ fundamentum, cuncti allicerentur. Paupertatem ipse summo studio colebat: ejusque amore ductus, compositusque ad aliorum exemplum, pannosas vestes induebat, superflua quæque abdicabat, pedesque conficiebat itinera, sive quæ adgredi lustrandæ Provinciæ causa, sive quæ bis ac tertio usque Romam instituere debuerat, gravissima acturus in Romana Curia negotia. Cœnobiorum commo-

modis curandis totis viribus invigilabat : ac ipse Archiva propriis manibus excutiebat, oculisque lustrabat, ut bona quæ perierant agnosceret, repeteret, ac rursus compararet.

Romam proficiscitur, Provinciæ bono, ac disciplinæ incrementis consulturus. Data occasione, extensionem cultus *B. Jacobii Salomonii* ex Patricia Venetorum gente promovit : idemque licere obtinuit Venetis Fratribus ac Sororibus Ordinis, quod ex placito Clementis VII. anno 1526. & Julii III. anno 1554. præstabant *Forolivienses*, apud quos ornatissimam ille vitam consummaverat, ejusque Sacræ exuviæ adservantur. Favit Sacra Rituum Congregatio, annuitque Paulus Papa V. edito Decreto *anno M. DC. XVIII. die XXIII. Octobris*, ut ejusdem Beati Festum, Officium, Missarumque Solemnia celebrarentur.

Integrum legitur Pontificium Decretum Tomo V. Bullarii Ordinis Prædicatorum. Hanc adhibitam a Gosellino in majorem B. Jacobi cultum diligentiam, & operam commemorat, ac laudat *Joannes Theupolus*, Ducalis Ecclesiæ Marcianæ Primicerius, in ejusdem Beati Vita, quam ipse Italice scripsit, protulitque in lucem Venetiis anno 1618. Consule Caput LXIV. ubi Italice hæc habentur : *Essendosi in ciò particolarmente adoperato il Padre Fra Bernardino Gossellino, hora Provinciale di detta Provincia, con il suo molto valore, pietà, & diligenza, andato personalmente a Roma per la conclusione, & effettuazione di così santo e pio negozio.* Idem Theupolus evasit Patriarcha Venetiarum anno 1619. die 20. Novembris.

II. *In unum locum Sorores tertii Ordinis adunat Venetiis. Earum origo in urbe Venetiarum.*

Sorores tertii Ordinis, seu de Pœnitentia S. Dominici, dispersæ degebant in urbe Venetiarum, in Parœcia *SS. Apostolorum* aliquæ, aliæque *ad S. Martini*, & in propriis domibus. Piissimum Institutum quod longe lateque in Orbe Christiano florebat, adhuc desiderabatur seculo quartodecimo in eadem amplissima Civitate. *Thomas Antonii de Senis*, cujus præclara merita Capite III. commemoravimus, auctor fuit ut ipsum amplecterentur probatissimæ fœminæ, virgines, viduæque. Incœpti operis *Tractatum* composuit, quem inscripsit *De Origine, seu ortu, atque processu status Fratrum, & Sororum Ordinis de Pœnitentia S. Dominici in Civitate Venetiarum*. De Sici-

Sicilia anno 1395. desinente adventaverat Venetias, Ordinis Cœnobia lustraturus, Raimundus a Vineis Magister Ordinis: detuleratque secum Vitam *S. Catharinæ Senensis*, quæ prædicti Ordinis *de Pœnitentia S. Dominici* maximum fuit ornamentum. *Postea vero* (verba sunt Thomæ) *cum aliquando intervenisset sermo, præsente supradicto Magistro, de fructu animarum qui fiebat in Venetiis, mediantibus prædicationibus & observantia regulari, & quomodo propter diversitatem personarum utriusque sexus, licet non omnes essent aptæ ad relinquendum mundum ex toto, multæ tamen possent habiliter assumere statum & habitum de Pœnitentia S. Dominici: de quo statu, ratione supradictæ B. Catharinæ de Senis, quæ fuit Soror dicti Status & Ordinis, jam erat per me aliqualiter prædicatum, placuit præfato Reverendiss. Magistro Ordinis mihi negotium de introductione dicti Status in Venetiis committere, una cum R. P. F. Johanne Dominici. Unde mihi super id suas litteras, antequam discederet de Venetiis, de Mense Julii ordinavit.*

Litteras ipsas, quas Capite III. num. VI. gesta Thomæ Senensis enarrans descripsi, iterum integras in lucem profero. " In Dei Filio sibi charissimo F. Thomæ „ Antonii de Senis Ordinis FF. Præd. F. Raimundus „ ejusdem Ordinis Magister & servus Salutem, & Christum Dominum efficaciter imitari. Cupiens & affectans, nostrum Ordinem non solum quantum ad Fratres & Sorores Sanctimoniales, sed etiam quantum ad „ Fratres & Sorores de Pœnitentia B. Dominici, non „ tantum quoad meritum & numerum, sed etiam ad „ quæque mundi loca ad hoc disposita, & signanter in „ Civitate famosa Venetiarum, ad Dei gloriam & animarum salutem, ad quam Ordo noster noscitur principaliter institutus, continue de bono in melius crescere & dilatari; idcirco vobis de cujus ad cuncta præfata bono zelo & affectione plene confido, concedo „ auctoritatem meam plenariam, quatenus possitis supradictam Religionem seu Congregationem, singulariter „ Sororum de Pœnitentia B. Dominici, inchoare, inchoatam dirigere, & gubernare Dominas quasque juxta discretionem vestram: ad habitum dictarum Sororum recipiendo, Priorissas & Subpriorissas eis instituendo, Capitula eisdem tenendo, necnon & in absentia vestra

„ Vicarium instituendo, & omnia circa ipsas quæ ego facere possem si præsens essem faciendo. Significando „ omnibus præsentes litteras inspecturis, qualiter ultra „ omnia supradicta, etiam singulari intuitu, B. Catharinæ de Senis Matris & Magistræ meæ, quæ fuit de „ dictis Sororibus de Pœnitentia B. Dominici, ego peroptarem, ubique & signanter in Civitate præfata, ut „ præfertur, Congregationem ipsarum adesse, & tam merito quam numero augeri. Quapropter confidens ad „ plenum super hoc de F. Thoma prælibato suprascriptam auctoritatem ei plene concedo: nolens, quod aliquis me inferior eum in aliquo impedire præsumat, „ seu quovis modo de supradicta materia (se ingerere) „ valeat, nisi quantum & quomodo dictus F. Thomas „ una cum F. Johanne Dominici duxerit attentandum. „ In quorum testimonium sigilla nostra duxi præsentibus apponenda. Anno Domini M. CCC. LXXXXVI. „ die XII. Mensis Julii. “

Pro demandato sibi munere, Thomas adgredi cœpit opus. Coram palamque privilegia, ac ornamenta Ordinis *de Pœnitentia S. Dominici* vulgabat: vitamque B. Catharinæ Senensis proponebat ad exemplum. Fratres initiavit plures, pluresque Sorores. Inter illos memorat ipse in Tractatu citato, *D. Antonium de superancio nobilem, & parentelæ non parvæ, qui cum prius fuisset homo quasi totaliter mundo & ejus vanitatibus ac vitiis deditus, prædicationibus*, (quas ipse Thomas frequentius habebat,) *conversus est taliter ad Dominum, ut dictum habitum de pœnitentia B. Dominici finaliter sumeret*. Itemque *quidam alius*, (ait,) *dictus Limettus de Venetiis, cum tenuisset uxorem alterius non parvo tempore, conversus ad Dominum petiit habitum præfatum: & consimiliter quidam alter, dictus Grandens, de Bononia & uxoratus, per bonum tempus continentiam servans, & servare affectans, impósterum habitum pluries petiit, & tandem accepit*.

Diu non stetit Venetiis *Fratrum de Pœnitentia* institutum. Ad Sorores quod attinet, primam ipsarum receptionem ad habitum solemni ritu peractam fuisse, narrat Thomas, *in Ecclesia S. Mariæ de Caritate, quæ Ecclesiæ S. Agnetis est propinqua*. Majora deinceps incrementa sumpsit Ordo: duæque vigebant ætate Gotellini in Parœciis *SS. Apostolorum*, & *S. Martini* Sororum Congre-

gregationes. Ipsarum decori, honestati, emolumenti, consulens ipse pro ea, qua Prioris Provincialis pollebat facultate in Monasteriolo, quod posteriore in loco erectum est, conclusit omnes anno 1616. ubi hodieque manent sub Præfectura Cœnobii *SS. Joannis & Pauli*, morum probitate florentes, ac Principis patrocinio ornatæ.

III. *Cœnobiorum emolumentis consulit. Opusculum typis edit pro regulari observantia.*

Provinciæ bono, Cœnobiorumque commodis diligentiore opera consulebat Gosellinus. Domum *Civitatis-Novæ* in Istria ultro abdicavit, quæ ad miseram sortem tum Cæli intemperie, tum proventuum tenuitate, redacta erat: proventusque domus, in loco *Salvaterræ* positæ, adsignavit tradiditque Fratribus *Castribaldi*, ut reditibus adjunctis decentiorem vitam agerent.

Vitam communem verbo, & exemplo Fratribus commendabat, quos regebat. Typis opusculum dedit *Venetiis apud Petrum Dusinellum* 1618. inscriptum: *Miscellanea pro communi Religiosorum omnium, sed præsertim ex Familia Divi Dominici utilitate collecta*. Opus nuncupat *RR. Patribus, & Charissimis in Christo Fratribus ex Provincia S. Dominici Ordinis Prædicatorum sibi subditis*: dataeqne litteræ nuncupatoriæ sunt *ex Conventu S. Dominici Civitatis Forijulii Idibus Aprilis* eodem anno 1618. Quæ congesserat ad regularis observantiæ instaurationem Opuscula, in eisdem litteris numerat: *Decreta sunt*, inquiens, *Pontificum varia, Constitutionum nostrarum loca præcipua, Sanctiones Sacræ Congregationis Purpuratorum Patrum Sanctissimæ, Tractatus de Reformatione trium ex Familia nostra*, (Raimundi de Vineis a Capua, Joannis Escuriæ, & Joannis Nyder,) *perillustrium Virorum pulcherrimi, aureum Opus S. Vincentii de Vita spirituali, quamplura alia tam jucunda, quam necessaria scitu*. Consilium, quod animo conceperat, pergit his verbis exponere. *Mea fuit mens, cum præsim, ut prosim, prodesse multis & modo quo possum*. Verissima sunt, Fratrum cordibus inscribenda, quæ subjungit: *Tirocinio Religionis peracto, multa promisimus Deo, quia placebant cuncta. Displicent ea modo. Unde hoc? Credo ego ex oblivione factum: ex oblivione, inquam, quæ causam habet incuriam, negligentiam, segnitiem. Hæc enim, quam primum Adami malum nuncupat Angelicus noster Doctor, Dæmonis arte subdola, in Religiosorum memoriam irrepit, aut obliterans, aut obscurans, aut impediens re-*

cordationem propriæ professionis. Tanto malo adhiberi medelam posse censuit Gosellinus, edito Volumine Constitutiones, Decreta, Tractatus complectente, in quibus sacrati Deo Viri, *quasi in quodam speculo, vitam suam inspiciant, componant, ornent ... Oblivioni enim medebitur*, inquit, *memoriam subinde renovando*.

I V.
Iterum præficitur Cœnobio Forojuliensi. Pro extensione cultus, Beati Ambrosii Sansedonii, laborat.

Iterum præfecturam Cœnobii *Forojuliensis* anno 1620. suscepit, quam ad annum usque 1625. obtenta confirmatione, retinuit. Romam petit anno 1622. qua in urbe, pia ductus observantia erga Beatos *Jacobum Salomonium*, & *Ambrosium Sansedonium*, majorem cultus eorum extensionem procurat. Festam *B. Jacobi* diem ubique terrarum celebrari, postulabat Serenissima Venetorum Respublica: ipsoque agente Gosellino, ut Marcus-Antonius Sternus testatur in ejus Vita MS. latum a S. Congregatione Decretum est eodem *anno* 1622. *die* 22. *Septembris*.

Simile Decretum pro ampliore *B. Ambrosii Sansedonii* cultu, eodem Gosellino urgente negotium, latum anno prædicto 1622. *die 6. Octobris* legitur, promulgatumque *die* 8. Qua data occasione Compendium Vitæ, ac Miraculorum vulgavit Gosellinus *Braciani* typis *Andreæ Fei*, cui titulus: *Sommario della Vita, e Miracoli del B. Ambrosio de' Sansedonj, Nobile Senese, dell' Ordine de' Predicatori, discepolo del B. Alberto Magno, e Condiscepolo di S. Tommaso d' Aquino: la cui Festa si celebra con gran pompa nella Città di Siena per concessione di Eugenio IV. fino dal M. CCCC. XLIII. il Venerdì avvanti la Domenica di Passione: & ora per nuova concessione di N. S. Gregorio XV. viene ampliata per tutto il detto Ordine, come appare dall' Oracolo fatto dall' Illustrissimo Signor Cardinal Borghese Protettore dell' Ordine suddetto sotto il dì VI. Ottobre M. DC. XXII. e spedito sotto li VIII. dell' istesso Mese*.

Memorata Sacræ Congregationis Decreta duo recensentur Tomo VI. Bullarii. Primum, quod *B. Jacobi Veneti* cultum spectat, ad annum 1621. refertur. Anno insequente datum, testatur Marcus-Antonius Sternus in Vita MS. Gosellini: ipsumque eodem anno 1622. consignatum exhibent Continuatores Bollandi ad Diem XXXI. Maii, in Commentario prævio ad Vitam ejusdem B. Jacobi num. IV. Chronicam notam diligentius alii expendant.

Regu-

V. *Litteras Gregorii XV. impetrat in præsidium regularis instauratæ disciplinæ.*

Regulari disciplinæ in Cœnobio *Forojuliensi* florenti consulturus, validiores conatus exerere debuit, ut eidem ab exitii casibus qui accidere possent, valido promptoque remedio præcaveret. Contigerat namque, & imposterum contigere poterat, Alumnos ejusdem Cœnobii, professionis immemores, plusque nimio libertati indulgentes, rigidioris vitæ pertæsos, molliorem quærere in aliis Provinciæ locis vitæ rationem. Ne quid inde instauratæ disciplinæ accideret detrimenti, necessaria facultas videbatur, quæ Apostolica Romani Pontificis auctoritate conferretur Præfecto, Patribusque a Consilio, Fratres alios, quos ipsi addictos reformationi agnoscerent, commode subrogandi, eosque recensendi inter Cœnobii alumnos, jure *adfiliationis* cadentibus iis, qui discesserant, aut imposterum discederent. Nihil non movit ille, ut validissimum obtineret a benevolo Pontifice præsidium. Pro votis res Gosellino cessit.

Pontificium diploma datum accipe. " Gregorius Papa „ XV. Ad futuram rei memoriam. Piis Christifidelium „ sub suavis Religionis jugo Altissimo famulantium vo„ tis, per quæ regularis Disciplinæ conservationi consu„ litur, libenter annuimus, eaque favoribus prosequimur „ opportunis. Cum itaque, sicut Dilectus Filius Prior „ Domus Fratrum Prædicatorum Terræ Forijulii Aqui„ lejensis Diœcesis Nobis nuper exponi fecit, alias de „ anno 1390. tunc existens Magister Generalis dicti Or„ dinis per quoddam suum Decretum, a fel. rec. Bonifa„ cio Papa IX. Prædecessore nostro, ac in diversis Capi„ tulis Generalibus ejusdem Ordinis confirmatum, ordi„ naverit ut in qualibet Provincia dicti Ordinis una illius „ Domus regularis deputaretur, in qua ipsius Ordinis ri„ gor ac Constitutiones ad uguem observari deberent, ea „ tamen conditione ut nemo invitus ibi detineretur: & „ de anno 1608. juxta præscriptum Decreti hujusmodi „ primo dicta Domus regularis hujusmodi ad effectum „ prædictum deputata fuerit. Nos regularis Observantiæ „ conservationi & augmento quantum cum Domino pos„ sumus consulere, dictumque Priorem specialibus favo„ ribus & gratiis prosequi volentes, eum a quibusvis ex„ communicationis, suspensionis, interdicti, aliisque Ec„ clesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel „ ab homine, quavis occasione vel causa latis, si qui-

„ bus

„ bus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum dun-
„ taxat præſentium conſequendum, harum ſerie abſol-
„ ventes & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus
„ ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis in-
„ clinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E.
„ Cardinalium, negotiis Regularium præpoſitorum con-
„ ſilio: quod Fratres Domus regularis dictæ Terræ, qui
„ ex eadem Domo diſceſſerunt, & pro tempore diſce-
„ dent, filiationem dictæ Domus amittant, & alii eorum
„ loco ſubrogari valeant: quodve abſque alterius Con-
„ ventus conſenſu Profeſſores, qui e Conventibus dicti
„ Ordinis non reformatis ad primo dictam Domum re-
„ gularem tranſire voluerint, poſtquam rigoris hujuſmo-
„ di obſervantiſſimi realiter eſſe reperti fuerint, a De-
„ putatis ejuſdem primo dictæ Domus in illam in Filios
„ recipi poſſint; Apoſtolica auctoritate tenore præſen-
„ tium ſtatuimus, & ordinamus; necnon Decretum di-
„ cti Bonifacii Predeceſſoris noſtri, in quo omnibus &
„ ſingulis, aliquem a propoſito regularis Obſervantiæ hu-
„ juſmodi abſtrahere conantibus, excommunicationis la-
„ tæ ſententiæ pœna imponitur, auctoritate & tenore
„ præſentium approbamus, & confirmamus, illique in-
„ violabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus. De-
„ cernentes, præſentes litteras validas, firmas, & effica-
„ ces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios & integros ef-
„ fectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus ad quos ſpe-
„ ctat inviolabiliter obſervari debere: necnon irritum &
„ inane, ſi ſecus ſuper his a quoque, quavis auctorita-
„ te ſcienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non
„ obſtantibus Conſtitutionibus, vel Ordinationibus Apo-
„ ſtolicis, ac quatenus opus ſit Ordinis prædicti, & ju-
„ ramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmi-
„ tate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus: cæte-
„ riſque contrariis quibuſcumque &c. Datum Romæ apud
„ S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXVII.
„ Septembris M. DC. XXII. Pontificatus noſtri anno ſe-
„ cundo. S. Car. S. Suſannæ, Hen. de la Plume. “

VI. *Vicarius Generalis Provinciæ inſtituitur. Litterarum Gregorii XV. revocationem tentat Redoanus eidem Provinciæ Præfectus.*

Placebant ſummopere Seraphino Sicco, Magiſtro Ordinis, hæc Viri probatiſſimi ſtudia pro vindicanda, tuendaque diſciplina regulari, quam & ipſe in votis habebat, nitebaturque totis viribus promovere. Non in uno *Forijulii* Cœnobio eam florere, ſed in aliis Provinciæ locis col-

collapſam erigi optabat : operamque Goſellini adhibendam cenſuit . Ipſum anno *1625.* inſtituit *Generalem* in tota Provincia *Vicarium*, veluti ſtrenuum regiminis ſocium, pro more jam obtinente, Præfecto Provinciæ adjunctum . Nec votis tamen Magiſtri Ordinis , nec diligentiæ Goſellini conſenſit eventus.

Graviorem ſuſtinere molem is debuit anno *1627.* quo litem movit *Guillelmus Redoanus* contra litteras Gregorii XV. Eodem anno Præfectus Provinciæ renunciatus fuerat in Comitiis, quæ Patres habuere in Cœnobio *Forojulienſi* . Inter ſuſcepti muneris partes cenſuit , privilegiis adverſari debere a Goſellino obtentis. Urebant oculos Gregorii XV. litteræ , quas revocari facile poſſe ſibi perſuaſerat, veluti ſubreptionis vitio infectas , ac ſponte cadentes. Romam petit: erigebatque animos indoles novi Pontificis Urbani VIII. Supplicem obtulit libellum , quo enixe inſtabat, ut litteræ Gregorii revocarentur, ac redigi deberent *ad terminos juris communis* , *& Conſtitutionum Apoſtolicarum* , *& Conſtitutionum Ordinis Prædicatorum* .

Certior factus de Redoani conatibus Goſellinus per litteras Seraphini Sicci , eodem anno *die 13. Julii* datas , neceſſaria, quæ videbantur, documenta Romam tranſmiſit: ipſeque Magiſter Ordinis patrocinium cauſæ ſuſcepit. Ex ejuſdem litteris ad Goſellinum *die 2. Octobris* ſcriptis fauſtum exitum addiſcimus. Verba refero latine reddita: *Libello Redoani pro meritis reſponſum . Quæ abs te collecta , & propoſita fuere , optimæ reſponſionis loco habita ſunt . Nihil novi hactenus emerſit . Age pro virili , ut eorum frangas improbitatem , qui conatus intendere audent in perniciem Sanctæ Reformationis .*

Itaque violari cum ſenſerit Præfectus Provinciæ, Pontificium Diploma non poſſe; conſtantiam Seraphini Sicci tentare voluit . Immunitates in Obſervantiæ tutelam anno *1615.* ab ipſo conceſſas, aut omnes, aut pleraſque, revocatas optabat. Levem duntaxat *Articuli ſecundi* moderationem fieri, annuit Magiſter Ordinis.

VII. *Rodulfium Magiſtrum Ordinis benevolum experitur. Romæ vindicias agit ſtigmatum S. Catharinæ Cultum promovet B. Alberti Magni.*

Romam jam tertio proficiſcitur Goſellinus anno *1629.* quo in ſupremam Ordinis dignitatem , & præfecturam Seraphino Sicco ſuffectus eſt *Nicolaus Rodulfius* , habitis ea in urbe Comitiis, *Definitorum* ſecundis . Tum Ordinis totius decori , tum regularis Obſervantiæ bono promo-

movendo, augendoque utilem in Curia locare operam potuit. Ac primum privilegia a Sicco Præcessore concessa *Rodulfius* rata, firmaque habuit.

Dubium etiam, quod ex voce quadam in Diplomate Gregorii XV. adhibita oriebatur, submovit omne idem Magister Ordinis: mentemque Pontificis, conlata sibi facultate, interpretatur. Dubium subjicio, simulque litteras declarationis. " Cum alias de anno 1622. supplex „ Libellus Sanctissimo D. N. Gregorio XV. fel. rec. exhibitus fuerit parte & nomine R. Prioris Conventus „ nostri S. Dominici arctioris observantiæ Civitatis Forijulii, & inter alia fuerit obtentum ad confirmandam „ observantiam, ut ab assignatis in dicto Conventu possint recipi in Filios ii qui reperti fuerint observantissimi: loco tamen verbi, *ab assignatis*, fuerit positum, „ *a deputatis*, quod apud nonnullos occasio fuerit turbationis, & commotionis. Nos F. Nicolaus Rodulphius S. Theologiæ Magister, & totius Ordinis Præd. „ humilis Generalis, summopere cupientes, observantiæ „ antedicti Conventus quantum in nobis est favere, eamque pro posse augere & conservare, ad tollendum omnem scrupulum omnemque difficultatem, quæ imposterum posset oriri, auctoritate nobis attributa ex „ Brevi seu Privilegio Julii II. fel. rec. facta etiam relatione a Patribus fide dignissimis de veritate supplicationis & Concessionis; declaramus, dictum verbum, „ *a deputatis*, perinde se habere in dicto Brevi Pontificio, atque *ab assignatis*: sicque intelligendum fore & „ esse declaramus. In quorum fidem &c. Dat. Romæ XII. „ Septembris M. DC. XXIX. F. Nicolaus Rodulphius „ Generalis Ordinis manu propria. "

Ita pro votis cedebant omnia Gosellino. Vir erat summa prudentia ornatus, maximaque pollebat dexteritate in agendis negotiis: eique promptum conciliabant patrocinium præclaræ virtutes, ac doctrina. Favebant ipsi S. R. E. Cardinales, *Laudivius Zacchias*, & *Berlingerius Gypsius*: quos etiam benevolos expertus Venetiis fuerat, apud Serenissimam Rempublicam, hunc sub Paulo V. illum sub Gregorio XV. Apostolicos Legatos. *Augustino Galaminio* ex Ordine Prædicatorum adsumpto carissimus fuit, ac *Petro-Paulo Crescentio*. Magna denique ipsum in æstimatione habuit *Rodulphius*, Magister Ordinis: eum

que

que adhibuit consultorem in arduis negotiis, ac *Visitatorem* instituit Congregationis, quæ ætate illa in *Stiria*, & *Carinthia* vigebat. Ortum illa ex Ungaricæ Provinciæ reliquiis habuit: ad eamque Cœnobia spectabant, *Frisacense*, *Græcense*, *Petoviense*, *Leobiense*, *& Novo-claustrense*. His jam nova coalescit Provincia Ungarica; seu Austriaco-Ungarica.

Lis agebatur in Curia anno *1629.* Franciscanos inter, & Dominicanos, quæ frequentius excitata componi nondum poterat, de *stigmatibus* divinitus Catharinæ Senensi impressis. Causæ patrocinium suscepit Gosellinus, edita lucubratione validissimis argumentis referta, quam cæteris prælatam Purpuratorum Patrum cœtui obtulit Orator Senensis. Litem pro Dominicanis Urbanus VIII. Pontifex Maximus finivit, qui tertiam Lectionem Officii Romano Breviario, suis curis & auctoritate emendato, anno *1631.* inferendam propria manu scripsit, in qua hæc habentur luculentissima verba: *Hanc gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum, & tamen cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei Famula Confessario suo Raimundo retulisset, ut oculis etiam repræsentaretur, radios in Imaginibus B. Catharinæ ad dicta quinque loca pertingentes pia Fidelium cura pictis coloribus expressit.*

Egit etiam pro ea, qua in *B. Albertum* ferebatur observantia, ut cultus ejus, quem festa die, Officio, ac Missarum Solemniis celebrabant Colonienses, & Ratisponenses, magis ampliaretur. Dati jam fuerant hac de re Libelli ab Imperatore, Duce Bavarensi, Episcopo Ratisponæ, ac Generali Magistro Ordinis. Indulgendum Oratoribus censuit Sacra Congregatio *anno 1629. die 11. Junii*: dilatum vero, summo Pontifice jubente Decretum ad *annum 1635.* diemque *6. Martii*, quod recensitum legitur Tomo VI. Bullarii. Dum vero Beati cultum provehebat Gosellinus, Opusculum concinnavit, in quo sequens Elogium illustrandum suscepit. *B. Albertum demonstrant revera Magnum, revera Inclitum, revera Polyphemum, Sapientia, Lucubrationes, Excellentium Virorum testimonia, Sanctitas, Miracula, seu Prodigia, Facta insignia, Honores a Pontificibus collati ante, & post obitum.* Insequente anno 1630. typis prodiit Opus Vene-

tiis apud Georgium Valentinum, ſub hoc titulo: *B. Albertus Magnus, gente Teutonicus, natione Suevus, patria Lavingenſis, Epiſcopus Ratiſponæ, ex Familia Prædicatorum, recens laudibus illuſtratus ab Religioſo ejuſdem Familiæ, ſummæ erga ipſum venerationis teſtificandæ gratia.*

VIII.

Alia ſcribit Opuſcula. Brevem Thomæ de Lemos texit Vitam. Laurentium Vallam refellit.

Romæ aderat, cum vitam mortalem exuit Thomas de Lemos, in nota controverſia *de auxiliis Divinæ gratiæ* diſceptator Clariſſimus. Geſtorum, ac Vitæ ejus Synopſim ex mandato Rodulfii digeſſit, cujus Exemplar in Archivo Congregationis noſtræ adſervatur. Nonnulla decerpo animadverſione digna, quæ Chronographiam ejuſdem ac ſtirpem illuſtrant.

Auctor Vitæ, quæ Actis Congregationum *De auxiliis* Lovanii anno 1702. editis præmiſſa eſt, Thomam ſcribit natum Ribadaviæ, ſeu Ripadaviæ, vernacule *Rivadavia*, in Oppido Galleciæ, anno 1545. Deſignat *annum* 1550. vel 1560. Jacobus Echardus Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum. Annum habet Goſellinus 1559. Natum inſuper narrat prædictæ Vitæ Auctor *ex antiqua, & nobili, belliquе & pacis artibus in Hiſpania perilluſtri, Lemoſiorum Familia:* ipſumque pariter *ex illuſtri Comitum ſtirpe oriundum* facit Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon Tomo VIII. Hiſt. Eccl. Parte II. Familiæ conditionem ſilet prudentior Echardus. Honeſtos parentes ejus, (*onorati parenti*,) appellat Goſellinus: aliamque Familiam ejus indicare videtur ab antiqua & nobili Lemoſiorum ſtirpe, dum ſcribit: Thomam noſtrum, antequam ex Hiſpania diſcederet, Romam profecturus, inviſere voluiſſe *Lemoſium Comitem* ſibi addictiſſimum, (*ſuo parzialiſſimo amico*,) & uxorem ejus.

Parentum nomina patefacit Goſellinus: vocatumque patrem ait *Antonium*, matremque nuncupatam *Mariam*: ac denique *Thomam* appellatum in Ordine prodit, cum ſacris in undis nomen *Franciſci* impoſitum ei fuerit. Annum ejus emortualem definiunt nonnulli 1624. quos errore deceptos probant Acta Capituli Generalis *Valentini*, & Necrologium Cœnobii *S. Mariæ ſuper Minervam* apud Echardum, ac noſtri denique Goſellini teſtimonium, quibus *annus obitus* ejus exhibetur 1629. ac *dies* 23. Menſis *Auguſti*: additque Goſellinus *horam circiter viceſimam*. Synchrono Goſellino, ac Romæ ſcribenti, credendum eſt.

Per otium, cum licuit, grande elucubravit aliud opus, quod

quod MS. adfervatur in Cœnobio Forojulienfi, *Petro Paulo Crefcentio* nuncupatum, *De vera donatione Conftantini*. Pro dubio, aut falfo argumento erudite bellavit contra Laurentium Vallam, aliofque.

IX. *Sororum a Cella emolumentis confulit. Regularem obfervantiam inftaurare nititur in Cœnobio Utinenfi.*

Viri noftri præclariffimi poftrema gefta recenfenda funt. Præfectus quintum Cœnobio *Forojulienfi* anno 1633. eligitur. Eamdem Præfecturam fextum, & feptimum oblatam conftantiffime recufavit. Regularis vitæ rationem, quam invexerat ad legis normam, multifque præfidiis jam tutam fecerat, colebat ipfe diligentiffime: ac fervandam cæteris ejufdem confilii Sociis verbo, & exemplo indicebat. Sororibus quoque *a Cella* noftri Ordinis prodeffe voluit: nec inutili conatu ad vitam communem eas revocavit, earumque bona, aut peffumdata refecit, aut recuperavit amiffa, curavitque majora, & meliora. Vivit adhuc, nec deficiet unquam apud Virgines pientiffimas erga Gofellinum bene merentem grata memoria.

Mentem, operamque fuam extremis vitæ annis adhibuit omnem, ut Regularem labefactatam in Cœnobio *Utinenfi* difciplinam erigeret. Loci *Vicarius* a *Remigio Scrova*, qui Prioris Provincialis vices agebat, inftitutus Gofellinus, faluberrima edidit præfcripta, ut cito evellerentur mala, quæ invalefcebant. Temporum calamitates doleo, dum fimilia frequentius in hoc Opere contingit referri: abfit vero, ut infultare ullo modo perfonas velim. Litterarum infcriptio eft: *Nos F. Bernardinus Gauflinus Feltrenfis, Prior Conventus S. Dominici Civitatis Forijulii, & Vicarius ac Vifitator hujus Conventus S. Petri Martyris de Utino*. Vifitationis finem, ac fcopum prima Litterarum verba aperiunt. " Volentes, (inquit „ ille,) prout muneris noftri ratio poftulat, & Conven„ tus exigit neceffitas, ipfo præfertim admodum Reve„ rendo P. Vicario Provinciali nobis hoc demandante ad „ reparandam regularem Obfervantiam, providere mul„ tis inconvenientibus, quæ hactenus irrepferunt in hoc „ Conventu, ne malum latius ferpat, & remedium red„ datur impoffibile, aut inutile, infrafcripta duximus fta„ tuere, & ordinare &c. " Datæ litteræ funt *Utini die XXIII. Octobris M. DC. XXXIV.*

Eodem confilio litteras dederat Rodulfius Magifter Ordinis præcedente Menfe *Septembre die II.* queis Gofellino committebatur, ut in prædicta Domo *Utinenfi* novi

Prioris electionem ipse dirigeret: ipsumque propterea instituerat *Vicarium*, ut ajunt, *electionis*. Verba Rodulfii sunt. " Cum noster Conventus Utinensis Provinciæ S. Dominici maximum his diebus, astutia communis hostis, regularis Observantiæ detrimentum passus sit; cupientes, ut nostri muneris exigunt partes, providere ne malum latius serpat, sed quantocius Deo auspice reparetur: id imprimis esse Nobis curandum cognoscimus, ut de bono illi Priore, & religiosæ Disciplinæ Zelatore provideatur &c. " Votis respondit Gosellini diligentia: eoque negotium dirigente, Cœnobio præficitur *Petrus Martyr Russonus*, patria & professione Veronensis, regularis disciplinæ in Cœnobio *Forijulii* eximius cultor, ac promotor meritissimus.

Reparandam quidem in eodem Utinensi Cœnobio collapsam disciplinam, tria Provincialia Comitia sanxerant paullo post erectionem novæ Provinciæ *S. Dominici*. Optima statuta tulerat, Litteris *Utini* datis *in* eodem *Conventu S. Petri Martyris die XXI. Aprilis M.D.LXXXVIII.* Petrus Franchinus, Præfectus Provinciæ. Litterarum initium profero, quæ *Franchinum* regulari Observantiæ addictum exhibent. " Cupientes nos F. Petrus Franchinus Tarvisinus Ordinis Prædicatorum, Generalis Prædicator, Provinciæ S. Dominici indignus Prior Provincialis, Conventum nostrum Utinensem a tribus nostris Capitulis Provincialibus successive celebratis pro iis, qui arctiorem vitæ rationem aggredi cupiunt, assignatum, quoad ejus fieri potest non nostra modo authoritate, sed etiam Reverendiss. Patris Generalis (*Sixti Fabri*,) & admodum Rev. Patris Procuratoris & Vicarii Generalis totius Ordinis nostri; imo accedente consensu & authoritate Illustriss. Cardinalis Alexandrini (*Michaëlis Bonelli*, *Pronepotis Pii V.*) Protectoris nostri, qui non modo præsenti huic piæ, dignissimæ, deoque gratissimæ, quam nos intendimus, provinciæ summopere favet opemque fert; sed etiam anno superiore, cum primum ejus Illustrissimam Dominationem Romæ personaliter visitaremus, apertissimis verbis, præsente & hæc audiente Rev. Magistro P. F. Benedicto Giojoso Utineo, significavit nobis suæ Sanctitatis (*Sixti V.*) propositum esse, ut quælibet Religio, nostra præsertim Dominicana, reformaretur omnino:

" & ob

„ & ob id ajebat sua Dominatio Illustrissima, D. N. „ Sixtum V. Visitatores Apostolicos in brevi destinatu- „ rum, vel directurum. Ideo cohortati fuimus, ut supra- „ dictum est, ad hujusmodi Reformationem inchoandam, „ & pro viribus perficiendam &c. “

Hæc Provincialium Comitiorum Decreta, mentemque Romani Pontificis, Cardinalis, Protectoris, ac Ordinis Magistri memorabant alumnis *Utinensibus* Ruffonus, & Gosellinus, ut eos ad implenda jam olim lata saluberrima statuta allicerent, impellerentque. Eadem pariter in Comitiis Tarvisinis Provincialibus anno 1637. rata, firmaque habuerunt Patres, his verbis: *Confirmamus Ordinationem factam a tribus Capitulis Provincialibus successive celebratis, ut patet ex Litteris quondam Rev. P. F. Petri Franchini, Prædicatoris Generalis, & nostræ Provinciæ Provincialis, datis sub die XXI. Aprilis M. D. LXXXVIII. ut Conventus noster S. Petri Martyris de Utino deputaretur pro iis, qui vivere volunt secundum rigorem nostrarum Constitutionum*. Simile Decretum instauratum, latumque fuit anno 1641. in Comitiis Provinciæ. Malo fato inchoari *Reformationis* opus eo in Cœnobio nunquam potuit.

X. *Eidem Utinensi Cœnobio præfectus mortem obit Gosellinus. In Ædem S. Dominici Forojuliensem transfertur. Elogium ipsius in Generalibus Comitiis Romanis.*

Præfecturam ejusdem Cœnobii anno 1643. gerebat Gosellinus. Diem supremum, quem prævidisse pie creditur, obiit ille viribus fractus, febri correptus, enecatusque catarrho die 4. Aprilis, Sabbato Sancto. Annos ætatis natus erat septem supra sexaginta, ac novem insuper Menses, una die dempta. Amantissimum Patrem luxerunt mæstissimi Filii *Utinenses*, ac *Forojulienses*, totiusque Provinciæ consodales. Cives etiam *Utini*, ac *Forijulii*, quos virtutum præstantia, ac beneficiis devinxerat, de morte ipsius indoluerunt: eamque lacrymis excepisse *Marcum Gradonicum*, Patriarcham Aquilejæ, coram ipse palamque fassus est.

Corpus ejus *Forumjulium*, in Ædem *S. Dominici* delatum, jacet in Bemate ad Altare Majus. Hanc scribit Jacobus Echardus peractam translationem *in Civitatem Austriæ, quæ non procul a Venetiis:* imo quæ procul a Venetiis, ac longius quam Utinum. Epigraphe sequens in lapide sculpta legitur: *Hinc Religionis, ac regularis Observantiæ decus A. R. P. Bernardinus Gauslinus resurget. Obiit IV. Aprilis M. DC. XXXXIII.*

Piam

Piam præclarissimi Viri memoriam in Comitiis, quæ dicta sunt *Generalissima*, anno 1644. celebratis Romæ, in quibus Magister Ordinis electus est Thomas Turcus, actam legimus inter eos, qui Sanctitatis opinione floruerunt, his verbis. " In Provincia Venetiarum, in Con„ ventu Utinensi obiit die 4. Aprilis 1643. Venerabilis „ P. F. Bernardinus Gauslinus, Regularis vitæ Zelantis„ simus servator, ac promotor. Hic strictiorem obser„ vantiam quartodecimo a sua Professione anno adeo est „ complexus, ut totius Religiositatis exemplar extiterit. „ Ordinis Jejunia ad unguem servavit, a carnibus nisi „ gravi infirmitate coactus semper abstinuit, longissima „ itinera pedester confecit: præsertim Provincialis, & „ alias Visitatoris munus pluries subiens, totam Provin„ ciam baculo innixus visitavit, terque Romam simili„ ter adiit. Matutinis precibus media nocte, etiam in „ adversa valetudine adfuit. Otium strenue persecutus, „ neque post Matutinas horas per annos quindecim quie„ vit, orationibus ac studiis intentus. Ordinis amator, „ Romæ pro Beatis, Jacobo Salomonio, Ambrosio Se„ nensi, & Alberto Magno nimium insudavit: ac de „ duobus primis in toto Ordine, de tertio in tota Ger„ mania Officium celebrari tandem obtinuit. Obedien„ tiæ addictus, castitate, imo virginitate, Confessoribus „ testibus, enituit. Humilitatem, & paupertatem sum„ mopere coluit. Magisterii lauream sæpius oblatam re„ cusavit: viles & pannosas vestes, etiam Provincialatus „ in officio constitutus induit. Recti tenacissimus, in bo„ nis Ecclesiæ recuperandis, atque instaurandis spiritu „ pauperrimus plurimum laboravit. Regularem observan„ tiam in Conventu Forojuliensi, Utinensi, & Monaste„ rio S. Mariæ a Cella, Zelo religiosissimo, adjuncta „ singulari prudentia, promovit. In plurimis ac gravissi„ mis persecutionibus, aliisque adversitatibus dono pa„ tientiæ, ac fortitudinis, atque constantiæ excelluit. „ Tandem Utini Prioris officio fungens, post multos pro „ Religione & Observantia regulari fusos sudores, labo„ ribus fractus, meritis plenus, prope septuagenarius, „ cælum ut pie creditur, præmia percepturus ingreditur „ ipso Sabbato Sancto, Pascha cum Beatis lætius cele„ braturus. "

CAPUT XI.

Privilegiis ornatur florens in Cœnobio Forojuliensi Disciplina. Præfectorum series usque ad initium Congregationis B. Jacobi Salomonii. Basilii Picæ Neapolitani studia pro Regulari observantia. Domus Farensis S. Joannis Baptistæ in agro Gradiscano erectio.

I. *Privilegia a Seraphino Sicco pridem concessa, confirmantur.*

BErnardi Gosellini, quem morte ereptum amiserant *Forojulienses* Alumni, spiritum, effata, exempla cordibus insculpta servabant: tuendamque pro virili disciplinam regularem suscepere, quam plurimis ipse laboribus erexerat. Privilegia, quæ Seraphinus Siccus largitus fuerat, rata firmaque haberi curarunt in Romanis Comitiis, tum *Generalissimis* anno 1644. tum *Definitorum* primis anno 1650. præside Thoma Turco celebratis. In his verba sequentia legimus: *Confirmamus, & approbamus omnia ac singula Privilegia, quæ Conventui nostro S. Dominici de Civitate quondam per Reverendissimum P. F. Seraphinum Siccum concessa, & anno 1644. in Capitulo Generalissimo approbata fuerunt.*

II. *Ampliora Tirocinio juvenum in eodem Cœnobio Forojuliensi conceduntur.*

Novis etiam amplissimis Privilegiis, queis Parisiensis *S. Dominici* Domus fruebatur, Tirocinium juvenum ornatur, quod in eodem Cœnobio vigebat. Decreti verba sunt: *Eidem Conventui, quantum in Nobis est, concedimus quod in illo suscipiantur ad habitum, & educationem Novitii, conformiter ad Privilegia alias indulta Generali nostro Novitiatui Parisiensi, prout habetur in Capitulo Generalissimo anno 1644. & in ultimo Valentino* (anno 1647.) *Generali: quæ tamen pro sola susceptione Novitiorum, & non aliter dicto Conventui suffragari volumus, ac intendimus.*

Decreta Comitiorum, quæ citata sunt, pro *Tirocinio Parisiensi* lata proferre hoc loco placet, utquæ fuerint Cœnobio nostro conlata, facile intelligantur privilegia. Hæc habentur in Comitiis Romanis Generalissimis. "Acceptamus Novitiatum nostrum Generalem *Parisiensem* secundum leges ejus institutionis ... Declaramus, Rev. P. F. Joannem Baptistam Carrè, qui est modernus Prior,

„ Prior, ac Magister Novitiorum, legitimam habuisse „ & habere auctoritatem, quam ei de novo confirmamus, in administratione tam spirituali, quam temporali prædictæ Domus, necnon in receptione Novitiorum ad habitum, & professionem, qui non ipsius Novitiatus filii ullo modo censendi sunt, sed pro toto „ Ordine admittantur, ut quo placuerit Reverendissimo, „ extra Novitiatum illum sive per deputationes, sive „ per assignationes, sive per affiliationes suo tempore „ transferantur. " Simile Decretum ediderat Thomas Turcus Magister Ordinis, quod in Comitiis *Valentinis* confirmatum legitur.

Non ipse Cœnobio *Forojuliensi* Præfectus tirocinium regebat: sed alius hocce munere fungebatur, quem commendabant probati mores, ac studium Regularis observantiæ. Ad habitum vero recipiebantur, tum qui jure *adfiliationis* prædicto Cœnobio addicebantur, tum alii quoque pro universa Provincia *S. Dominici*, ut legitimis imbuti institutionibus, vitam agerent in propriis Conventibus professione dignam.

III. *Series Præfectorum eidem Cœnobio usque ad initium Congregationis B. Jacobi Salomonii.*

Jam vero Cœnobiarchæ recensendi sunt, qui ab incepto Reformationis opere Cœnobium *Forojuliense* rexerunt ad usque tempora, quibus Congregatio B. Jacobi Salomonii erecta est.

M. DC. VIII. *Georgius de Longis*. Viri præclarissimi gesta narravimus Capitibus V. & IX.

M. DC. XII. *Bernardinus* Feltrensis. Idem ac *Gosellinus*, seu *Gauslinus*, patria Feltrensis, professione Tarvisinus. In aliud biennium confirmatur Prior.

M. DC. XVI. *Thomas Stella* Veronensis. Bernardino Gosellino ad Præfecturam Provinciæ evecto successit.

M. DC. XVIII. *Georgius Bovius* Feltrensis. Adhuc tiro Forumjulium cum Georgio de Longis adventavit, collapsam erecturus disciplinæ regularem.

M. DC. XX. *Bernardinus* Feltrensis tertium, & quartum.

M. DC. XXV. *Petrus Martyr Ruffonus* Veronensis.

M. DC. XXVII. *Thomas Stella* iterum.

M. DC. XXX. *Marcus Antonius Sternus* Venetus. Inter Scriptores alumnos Congregationis locum habet.

M. DC. XXXIII. *Bernardinus Gosellinus* quintum.

M. DC. XXXVI. *Petrus Martyr Ruffonus* iterum.

M. DC. XXXIX. *Joseph Groppus* Venetus. Sexaginta & octo

& octo circiter annos natus vita mortali migravit anno *1662*. die 3. Februarii. Vir fuit pacis cupidissimus, a rixis alienus, regulari severiore disciplina insignis, ejusque promovendæ Zelator ferventissimus.

M. DC. XLI. *Marcus Antonius Sternus* iterum.

M. DC. XLIII. *Petrus Martyr Russonus* tertium.

M. DC. XLVII. *Joseph Groppus* iterum.

M. DC. L. *Marcus Antonius Sternus* tertium.

M. DC. LII. *Petrus Martyr Russonus* quartum. Hoc anno vitam cum morte commutavit die 4. Novembris, noctis hora media tertia. Patriam habuit Veronam, nomenque dedit Ordini in Cœnobio *S. Anastasiæ*. Ad Provinciam Boëmiæ missus, plures annos ibidem commoratus est. Hæreticorum declinans perfidiam, qui Catholicos, maximeque Religiosos Viros insequebantur, in Italiam anno 1618. rediit: nostrumque Cœnobium *Forojuliense* elegit, ubi disciplinam regularem vigere intellexerat. Arctiorem vitæ rationem summo studio coluit, omniumque virtutum splendore enituit. Annos ætatis septem ac sexaginta natus erat, cum e vivis discessit. Brevem ejus Vitæ Synopsim, a Marco Antonio Sterno scriptam, in Archivo Congregationis adservamus.

M. DC. LIII. *Dominicus Traversus* Liniacensis.

M. DC. LV. *Georgius Bovius* iterum.

M. DC. LVII. *Hyacinthus Liniacensis*.

M. DC. LIX. *Hieronymus Picinus* Venetus. Præstantissimi Viri merita sæpius in hoc Opere celebranda nobis erunt.

M. DC. LX. *Dominicus Traversus* iterum.

M. DC. LXI. *Marcus Antonius Sternus* quartum. Viros habes, egregios instauratæ disciplinæ in *Forojuliensi* Cœnobio cultores, adsertoresque. Biennio plures, triennio non pauci, idem rexere Cœnobium Priores.

IV. *Basilius Pica, Provinciæ S. Catharinæ in Regno Neapolitano alumnus, excipitur in Forojuliensi Cœnobio. Anachoretam agit in agro Goritiano.*

Disciplinæ regularis incrementa jam narrare pergo. Eodem anno, quo vita migravit Bernardinus Gosellinus, ad Cœnobium *Forijulii* pervenit hospitii causa Basilius Pica, *a S. Thoma* cognominatus, quem Divina Providentia egregium Reformationis in Provincia *S. Dominici* propagatorem destinaverat. Viri multis nominibus commendandi prima gesta, ac vitæ rationem referimus, quæ posteritati servata legimus in Litteris Encyclicis obitum ejus annunciantibus, ac in ejus Vitæ Synopsi, quam Hi-

ſtoriæ Congregationis inſeruit Marcus Antonius Sternus.

Litteræ citatæ, poſt obitum nunciatum, hæc habent. *Quis ipſe natione fuerit, quæ naturæ ac virtutis indoles, quæ probitatis ac religionis in ipſius adoleſcentia emicuerint præſagia, Neapolis, Senenſis Catharinæ Provincia, Sanctique Severi Cœnobium gloriabunda in ævum forte loquentur*. Patriam ipſum habuiſſe *Neapolim*, apud nos vulgo creditur. Natalem annum ejus deſignat 1602. Jacobus Echardus Tomo II. Scriptorum Ordinis: quo in numero certiſſime cubat error, incuria fortaſſe Typographorum, cum annus legi debeat 1612. ut colligitur ex obitus anno 1664. ac ætatis 53. Nomen Ordini dedit, quindecim annos circiter natus, in Cœnobio *S. Severi*, quod ad Provinciam *S. Catharinæ* anno 1601. erectam pertinet. In alia ejuſdem Provinciæ Domo *S. Mariæ ab Arcu* tirocinium Philoſophiæ, ac Theologiæ poſuit, uberrimo fructu pro ingenii vigore ad ſcientias aptiſſimo.

Vix regere Scholas cœpit, cum Pragam in Boëmia ad ſacras litteras in Generali Ordinis gymnaſio tradendas miſſus eſt: eoque munere egregie functum, ſibi Conventus *Brunenſis* alumni Priorem præfecere. *Sed patrio non ſiſtunt in littore* (verba ſunt Encyclicarum) *fructuoſæ merces. Praga Moderatorem adſcivit ſuorum Gymnaſiorum, meretur Bruna Priorem*. In Italiam anno cadente 1643. rediit, ut præſens foret Comitiis Ordinis *Generaliſſimis*, quæ Romæ anno inſequente celebrata ſunt. Comitem habuit itineris *Sigiſmundum Ferrarium*, præſtantiſſimum Virum, qui ex miſſione Hungarica Romam pariter acturus negotia revertebatur. A *Forojulienſibus* Fratribus, apud quos declinaverat, hoſpitio exceptus, (mirum!) quantum oblectaretur diſciplinæ regularis officiis, quibus illi ad normam legis exercebantur. Diu deliberandum ipſi non fuit, ut eamdem vitæ rationem amplecteretur. Atque tum *Civitatis Forijulii obſervantia eximias arctioris diſciplinæ dotes in eo ſuſpexit*.

Magiſterii gradum, ad quem anno 1644. in eiſdem *Generaliſſimis* Comitiis pro meritis evectus fuerat, ſponte recuſavit: ſeque totum dedidit regulari diſciplinæ fovendæ, & amplificandæ. Solitudinis inſtinctu deſuper immiſſo tactus, facta ſibi facultate, in locum ſeceſſit, vulgo *Caſtagnavizza* dictum, prope *Goritiam* Civitatem in ea Forojulienſis Provinciæ parte, quæ ultra *Iſontium* fluvium paret

ret Archiducibus Austriæ. Locus est frequenti Castanearum silva consitus, quem incolæ sacrum habent ob Sacellum Virgini Deiparæ dicatum. Cœnobiolum pro Eremitis ibidem erectum possidebat perillustris Familia *Comitum a Turre*: illudque Basilio, ac socio ad habitandum ultro concesserat *Matthias* Comes.

V. *Novæ Domus regularis observantiæ erectionem curat apud Goritiam.*

Viro probatissimo venerationem Civium, ac benevolentiam conciliabant eximiæ virtutes ejus. Vicinis in Oppidis, ac Pagis frequentes habebat conciones magno populorum concursu, majori & animarnm fructu. Imprimis Goritianos benevolos experiebatur, quorum humanitate fretus consilioque, novam Domum, quam incolerent Professores disciplinæ regularis in Cœnobio *Forojuliensi* vigentis, erigendam cogitabat. Supplicem Comitiis, quæ nomine *Inclitæ Convocationis* appellantur, Libellum obtulit, ut Fratribus reformatis Ordinis Prædicatorum operari sacris liceret in Ecclesia *S. Rochi*, extra muros recens ædificata, ibique Cœnobium erigere, quod Provinciæ *S. Dominici* addiceretnr. Pro votis latum est Convocationis decretum *anno M. DC. XLV. die XXVIII. Mensis Julii*, subscribente *Joanne Bucella a Secretis*. Tres appositas conditiones legimus: " ut jura Parochialia integra forent: Parochum inter, ac Fratres, justa, & æqua ineatur Conventio: nec alii censeantur admissi Fratres, nisi qui arctiorem paupertatem, rigidioremque vitæ rationem profiterentur ". Obstacula emersere, quæ nulla removeri conventione potuerunt: unde inanes abiere primi Basilii conatus.

Melior fortuna secundis curis non arrisit. Agebatur de Cœnobiolo prædicti Loci, *Castagnavizza* dicti, Fratribus de Observantia, ac Ordini Prædicatorum addicendo. Cessionis magnam spem fecerat laudatus *Matthias* Comes, qui Basilio hac de re primus consilium aperuerat. Concepta vota rumores varii, qui spargebantur in vulgus, exsufflarunt.

VI. *Fratrum Farensem [illegible] in agro Gradiscano.*

Ricardi *de Strasoldo* consuetudine simul utebatur ille: ejusque Domum frequentabat in pago *Faræ* cis flumen Isontium in agro *Gradiscano*. Sæpe colloquia instituta de Cœnobio erigendo in eodem Pago, ut incolæ Fratres arctioris vitæ exemplo, concionibusque frequentibus, scientiarumque traditione rudes populos litteris imbuerent, eorumque mores componerent. Dimissus ergo Ba-

filius cum Socio e loco *Castagnavizzæ*, humanissime in propria domo a Ricardo exceptus fuit, donec cœptum novi Cœnobii erigendi negotium perficeretur. Beneficentissimum Virum, e nobilissima Gente *de Strasoldo* satum, pluribus prædivitem Feudis, ac titulis ornatum *Comitis Sacri Romani Imperii*, *Tribuni Militum* seu *Colonelli*, *Domini Medeæ*, & *Mareschali*, mores etiam probatissimi commendabant. Intra paucos dies, fortunante Numine, perfecta res est: publicæque Tabulæ conscriptæ.

Consensum faciles præbuere Fratres ex Ordine *Servorum Mariæ*, qui Cœnobium in Arce Gradiscana habent, syngrapha *anno M. DC. XLV. die VI. Junii* subscripta. Latum etiam a Marco Gradonico Patriarcha Aquilejæ Decretum *anno* insequente *M. DC. XLVI. die II. Mensis Julii*, quo facultas *Archidiacono Aquilejensi* in Comitatibus Goritiano, & Gradiscano data est, situm idoneum constituendi, proventus examinandi qui offerebantur in Ecclesiæ dotem, Fratrumque alimoniam, primumque ponendi lapidem.

Acta scribi cœpta sunt *die IV. Julii M. DC. XLVI. Cormoni coram Illustrissimo & Reverendiss. Archidiacono*. Is erat ex perillustri *Del-Mestriorum* gente. In pagum Faræ se contulit ipse, ut designatum locum lustraret; cæterasque in conditiones, decretis Romanorum Pontificum constitutas, sedulo inquireret. Acta sequuntur *die Sabbati VII. dicti Mensis* (julii) *Faræ in Palatio Illustrissimi D. Ricardi Comitis S. R. I. & de Strasoldo*, *Colonelli*, *Domini Medeæ*, *Maresialis &c. & demum super loco*, *quo dedito se contulit dictus Reverendiss. D. Archidiaconus una cum columbichio subscripto*. "Vota, con-
„ siliumque enunciantur Fratrum Prædicatorum Cœnobii
„ *Forojuliensis*, eo in loco erigendi Ecclesiam sub nun-
„ cupatione *S. Joannis Baptistæ*, simulque Cœnobium.
„ Promissa referuntur Ricardi de Strasoldo, oblationes,
„ proventus in subsidium fabricæ, Ecclesiæ dotem, ac
„ Fratrum alimenta. Conditio apponitur, ut rigidiorem
„ disciplinam, quæ ad legum normam in eodem Forijulii Cœnobio instaurata florebat, profiteri debeant no-
„ væ Domus alumni". Recipientes adsunt *Petrus Martyr Veronensis ejusdem Conventus* (Forijulii) *Prior*, *Angelicus*, *& Basilius*. Hic *Pica* noster est: alter cognominabatur *Petricellus*, qui novæ Domui primus datus fuit

Prior:

Prior: ac demum Petrus Martyr *Ruffonus*, de quo in hocce Capite num. III. egimus. Teſtes notantur. *Illuſtriſſimus D. Stephanus Del-Meſtri Liber Baro a Schomberg, & Rev. admodum Presbyter Franciſcus Faber ejuſdem Archidiaconi a Sacello*. In hæc denique verba Tabulæ deſinunt. *Die VIII. dicti* (Menſis Julii) *poſuit dictus Reverendiſſimus D. Archidiaconus lapidem primum ſervatis ſervandis. Sebaſtianus Columbichius req. eduxit.*

VII. *Nova Domus Farenſis in Ordinem, ac Provinciam S. Dominici adſcribitur.*

Jam erectum anno 1649. mediocre Templum fuerat, ac Ædes paratæ ad excipiendos Fratres, qui divina perſolverent Officia, ac proximorum ſaluti conſulerent, ex *Forojulienſi* Cœnobio deducendos. Opus nempe ad conſummationem magna diligentia reduxerant laudatus Baſilius, & *Antoninus a S. Catharina*, Vir moribus antiquis, ac recolendæ in noſtra Congregatione memoriæ. *Vicariatus* titulo gaudebat nova Domus. Hanc *Dominicus de Marinis*, qui poſt obitum Thomæ Turci, vicaria auctoritate Ordinem Prædicatorum regebat, in ipſum Ordinem, ac Provinciam *S. Dominici* adſcripſit, jura ac privilegia Cœnobiorum largitus eſt, ſervandas indixit ad mentem Fundatoris leges & Conſtitutiones, fecitque Præfecto Provinciæ facultatem, primum inſtituendi Priorem.

Litteras ejus integras profero. " Nos F. Dominicus „ de Marinis S. Th. Magiſter, ac totius Ordinis Prædicatorum Vicarius Generalis. Cum nobis nil gratius „ contingere poſſit, quam quod in Dei gloriam, ſpiritualemque populorum utilitatem Religio noſtra latius „ propagetur, in dies, & ubique floreat; hinc petitionibus Rev. adm. P. Provincialis S. Dominici Venetiarum annuere volentes, concedimus huic Provinciæ, „ ut locus in Villa Faræ Diœceſis Aquilejenſis cum ſuis „ Territoriis ab Illuſtriſſimo D. Riciardo Comite S. R. I. „ & de Straſoldo, Colonello, & Mareſcialio donatus acceptetur: quem nos tenore præſentium, noſtrique authoritate officii in Conventum & Prioratum erigimus „ cum omnibus gratiis & prærogativis, quibus cæteri „ ejuſdem Provinciæ Prioratus gaudere ſolent; modo tamen dictus Locus competentem numerum Fratrum „ juxta Sanctiones Apoſtolicas, noſtraſque Conſtitutiones „ poſſit alere: ac Fratres in eo commorantes non minus exactæ se conforment noſtris ſacris legibus, ac in „ Conventu noſtro Civitatenſi: ſerventurque in hac Fun-

„ da-

„ datione omnia de jure servanda, & non aliter. Et se fundatum Conventum subjicimus curæ Rev. P. Vicarii pro tempore Conventuum, ubi adinstar Civitatensis præfati Regularis observantia magis viget. Facultatem insuper pro hac vice tantum facientes admodum Rev. P. Provinciali ejusdem Provinciæ, ut primum Priorem ex educatis in Conventu Civitatensi, vel similibus præficiat, quem secundum Deum magis judicaverit expedire. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die XV. Decembris M. DC. XLIX. F. Dominicus qui supra. Reg. fol. 187. F. Egidius Naldus a Burdesia Magister & Socius ". Vicariam sub Provinciæ Præfecto conlatam Bernardino Gosellino auctoritatem ad instaurationem Regularis disciplinæ, instauratæque munimen, narravimus Capite X. num. VI. Post obitum ejus eamdem viguisse in Provincia *S. Dominici* vicariam auctoritatem, verba patefaciunt, quæ in allegatis Dominici de Marinis litteris habentur: *Et sic fundatum Conventum* (Faræ) *subjicimus curæ Rev. P. Vicarii pro tempore Conventuum, ubi adinstar Civitatensis præfati Regularis observantia magis viget*. Quinam fuerint, qui Vicariam istam exercuerint auctoritatem, monumenta silent quæ potuimus evolvere. Ea fortasse potiebatur *pro tempore* Præfectus Cœnobio *Forojuliensi*.

Facta quoque pro more mentio novæ Domus *Farensis* in Comitiis Generalibus, *Definitorum* primis, in quibus Magistrum Ordinis præfecerunt Patres *Joannem Baptistam de Marinis*, Romæ anno insequente 1650. celebratis. Nondum proprius Cœnobio Prior datus fuerat: adeoque vigilantiæ, & curæ Forojuliensis Cœnobiarchæ illud Patres commendarunt. " Acceptamus, & huic Provinciæ (S. Dominici) incorporamus novum Cœnobium *S. Joannis Baptistæ de Fara*, nuper generosa munificentia Illustrissimi D. Riciardi Strasoldi S. Cæs. Majestatis Marescialis erectum, servatis tamen servandis juxta Summorum Pontificum Decreta de numero Fratrum alendorum, eidem per publicum Instrumentum exhibita. Interim ad ejusdem Domini Fundatoris instantiam dictum Cœnobium committimus curæ & inspectioni Prioris Civitatensis pro tem-

„ po-

„ pore, donec in Conventum formatum excrescat. "

VIII *Angelicus Petricellus primus Præfectus Cœnobio. Thomæ Betti Romanæ Provinciæ alumni mentio.*

Interim satis apta instrui domus potuit ad excipiendos Fratres, magna pecuniarum summa expensa. Partem erogaverat Ricardus: partem comparaverat Basilius concionum laboribus, collegeratque ex fidelium eleemosynis. De his certior factus Magister Ordinis, Litteras consueta formula exaratas *Romæ* lubens dedit *die XVII. Decembris M. DC. LXI.* subscribente *Bernardino de Venetiis Magistro & Socio:* quibus primus instituitur Præfectus Cœnobio *Prioris* titulo *Angelicus Petricellus.*

Acceptæ litteræ a Leonardo Rizzardo, qui regimen Provinciæ tenebat, ad ipsumque missæ Petricellum, in eodem Cœnobio *Farensi* coram Fratribus vulgatæ, & lectæ fuerunt a Thoma Betto *die XVII. Januarii anno M. DC. LXII.* Ita vero in possessionem missus Petricellus. Honoris caussa *Thomas Bettus* hoc loco memorandus fuit: Vir probatissimus, ac validissimum Regularis observantiæ columen in Florentino Cœnobio *S. Marci.* Arctiorem vitæ rationem in *Farensi* domo, ad quam turbas declinans secesserat, egregie coluit; præfuitque tirocinio, quod ibidem ab anno 1651. juxta facultatem Roma transmissam ponebant juvenes, qui nomen Ordini dabant.

CAPUT XII.

Picæ consilium de novo instituto Virginum Deo dicatarum Sub nuncupatione Pauperculariarum S. Catharinæ Senensis in pago Faræ pietate florent. Beneficia eisdem conlata.

I. *Novum institutum Virginum rusticarum molitur Basilius. Specimen institutionum.*

QUo tempore Cœnobium *Farense* Basilius erigebat, novum opus, proximorum saluti, ac perfectioni Christianæ amplificandæ maxime consentaneum, ingeniosa caritas ejus excogitavit, perfecitque favente Numine. Volvebat animo vir animarum Deo lucrandarum cupidissimus, tot divitibus, ac nobilibus fœminis ad æmulanda charismata meliora præsto esse subsidia, ac parata loca in Urbibus, in Oppidis, in Pagis, in quibus exceptæ cælibem vitam Deo castissimo Sponso dicarent, sanctamque vitæ rationem juxta plures institutionum modos pro-

profiterentur: hæc vero omnia rusticis puellis interclusa in Provinciæ *Forijulii* Monasteriis, ubi Virgines Choro solum addictæ pro regionis more excipi consuevere, secularibus fœminis famulatum præstantibus. Satis aptam hujusce gentis nativam simplicitatem, ac innocentiam arbitrabatur ad ubertimos æternæ vitæ fructus colligendos: pretiumque censebat operæ, locum aliquem constituere, ubi diligentius ejusdem sortis Virgines virtutum officiis excolerentur, vitæque rationem amplexarent rusticæ conditioni congruam, simulque spiritalibus emolumentis.

Specimen exhibeo institutionum, quas ipse meditabatur: easque Virginibus, cum in Sacrum Gynæceum congregatæ sunt, servandas proposuit. Ad meliorem molloremque vitæ sortem Puellæ novum Institutum amplectentes transire non debeant: sed ipsam paupertatem, ac inopiam, quam propriis in domibus necessitate cogente experiebantur, libera deoque grata voluntate eligant, sin minus relictis divitiis, deposito certe divitiarum bonorumque temporalium amore. Manuarium jugiter laborem in arte præsertim textoria exerceant, quo laboriosam, ut ante in seculo, pergant vitam ducere, sibique ad victum & vestitum necessaria comparent. Rusticas vestes retineant, easque modestas, ac mundas, Virginibus Deo dicatis, aptoque cultui exteriori convenientes: facieque velata incedant, ut curiosos aspectus impediant. Toto vitæ tempore, infirmitatis casu excepto, carnibus abstineant, & a die 14. Septembris ad Pascha jejunent. Arcto pane, & hominibus rusticis consueto, vino etiam dilutissimo, ac olerum pulmentis utantur, quibus ciborum lacteorum aliquid festivis diebus addi possit. In lecto duobus asseribus constante cubent, quin vestes deponant: somnumque capiant, levamini corporis, non desidiæ ac inertiæ indulgentes: habeantque ligneam crucem inter brachia. Surgant media nocte, ac Psalmorum loco Marianum psalterium canant. Bis in die conscientiam expendant, ante prandiolum, & ante cubitus horam: bis etiam in orationem mentalem incumbant per horæ dimidium, nocte, & interdiu: ac ter qualibet hebdomade flagellis carnem macerent.

Mater una regat omnes, ac alia instituatur *pro Matre*: quæ cuncta negotia gerant, rem domesticam administrent, singularum indigentiis prospiciant, institutioni-

bus

bus adamussim servandis invigilent, culparum contra Statuta accusationes excipiant, pœnisque inflictis corripiant delinquentes. Alia tirocinio Puellarum præficiatur, alia dirigat textorium opus, aliæque cætera persequantur munia. Divino Sacrificio, quod Sacerdos ex Cœnobio Fratrum peragat, quotidie adsistant: statisque diebus Eucharistico cibo reficiantur. Ad Ecclesiam Fratrum binæ, ac binæ simul conveniant, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum accedant, Missarum solemniis intersint, divinas celebrent laudes, ac Verbum Dei audiant, quod e Suggestu enunciatur. Juri subjectæ maneant Parœci Farensis; habeantque Fratres nostros conscientiæ directores: quos inter unum eligant, qui legum observantiæ invigilet, excipiendas puellas probet, munia distribuat, suoque regat consilio negotia.

In officiis virtutum, ac pœnitentiæ totæ sint, mutuamque colant benevolentiam. Perpetuæ castitatis votum non emittant: sed singulis annis, dirigente Patre spirituali, renovent. Integrum cuique sit ab instituto, si molestum evaserit, resilire: itemque Mater cum Seniorum consilio, quæ minus idonæ fuerint, dimittat. Virgines demum, fœminæque hanc vitæ rationem profitentes, nuncupari debeant Pauperculæ S. Catharinæ Senensis, (*le Poverelle di S. Caterina di Siena.*) Hæc institutionum, quas tradendas Basilius meditabatur, summa est.

Consilium ejus commendabant plerique: operamque suam ultro collocarunt, ut illud executioni citius mandaretur. Petrus Antonius *Coroninus* Goritianus, genere perillustris, ac *Liberi Baronis* titulo decoratus, ædes a Cœnobio Fratrum in pago *Farensi* parum dissitas possidebat. Aptissimus locus videbatur, qui redigi posset in Gynæceum instar Monasterii, non magnitudine molis, aut structuræ artificio celebris, sed Virginum paupercularum Deo famulantium bona fama. Ædes illas primum locavit Coroninus, annua pensione constituta: in eisque exceptæ fuerunt die 30. Decembris anno 1648. *Ursula a S. Joseph, Cæcilia a Sanctissimo Sacramento, & Agnes a Cruce.*

II. *Ædes cum Sacello erigendas curat. Antonii Coronini munificentia Favet Aquilejensis Patriarcha.*

Ædes easdem pro sua liberalitate pientissimus earum dominus, titulo donationis, anno insequente 1649. tradidit: publicæque Tabulæ confectæ sunt eodem *anno*

no M. DC. XLIX. Indictione secunda die vero Lunæ IV. Mensis Januarii, Goritiæ in Domo propria habitationis Sp. D. Francisci Moschonis Civis Goritiæ. Dignitatis, ac Feudorum titulos, quibus exornabatur Coroninus, prima verba Instrumenti exhibent. Comparuisse dicitur *Perillustris, & Excellens D. Josephus Comellus J. U. D. uti Procurator Illustrissimi D. Petri Antonii Coronini Lib. Bar. de Perbacina & Gradiscuta, Duerimbergi, Achalbergi, Rubiæ, & Villessi &c.* Quod *instrumentum* denique *donationis, requisitus Candidus Goritiensis, pub. Imp. auctoritate Notarius, in notam assumpsit fideliter, & publicavit: rogatusque ex notis suis fideliter extraxit, seque in fidem apposuit. Subscripsit m. p. Goritiæ die XII. Januari M. DC. XLIX.*

Ad Monasterii formam sine mora redigi locus cœpit, facultate a Marco Gradonico Patriarcha Aquilejensi concessa, his verbis: *Ne in Spiritu Sancto convenientibus, ac primitias ætatis suæ retrahentibus a seculi cupiditatibus, ut in castitate Domino famulentur, nostrum unquam desit patrocinium; præsentis Rescripti vigore, preces præmissas* (in Libello suplici, quem Basilius nomine Paupercularum Farensium obtulerat) *admittimus. Benedictionem nostram Virginibus hactenus in Conservatorio loci de Fara hujus nostræ Aquilejensis Diœcesis degentibus, sicque singulis quæ posthac convenerint, impartientes; modo seculare retineant indumentum, quod eis non liceat immutare; Religiosarumque sibi nomen non arrogent. Utini die XV. Maii M. DC. XLIX. Marcus Patriarcha Aquilejen. Bernardinus Orrianus Can. Patriarchalis Aquilejensis*. Annorum decursu satis ampla parari Domus potuit: crevitque Puellarum numerus, quarum albo adscripta fuit *Maria Magdalena a Jesu*, cujus virtutes eximias descripsit Basilius, ac inferius nos compendio collectas memorabimus.

Absque Sacello, in quod simul convenirent die noctuque statis horis, novum Ginæceum incoluerunt optimæ Virgines ad annum usque 1651. quo facultatem illius erigendi fecit laudatus Aquilejæ Metropolita, ac Patriarcha, datis Litteris *die III. Maii* ad Ricardum de Strasoldo, qui Paupercularum votis benevolum Antistitis animum conciliaverat. Ampliora beneficia largitus est *anno M. DC. LV. die XXV. Januarii*, ut ex litteris patet ad

ad Basilium scriptis, benigne annuens, ut Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum in ara Sacelli servaretur. Ab hoc non discedunt illæ nocte, dieque; una post alteram per vices ad Ecclesiam conveniente, perque integram horam divini cultus officia peragente.

Vineam, quam plantaverat, florentem vidit ipse Basilius, collegitque uberrimos pietatis, ac perfectionis Christianæ fructus. Sanctissimam vitam *Mariæ Magdalenæ a Jesu* typis edidit *Venetiis anno M. DC. LXIII.* in eaque plures memorat ejus Instituti, quæ pie obierunt, *Margaritam*, *Birgittam*, *Serafinam*, *Theresiam*, *Annam-Mariam*, *Columbam*. Quindecim post annos novis typis *Æsii* recusum Opusculum fuit *anno 1678*. III. *Pietate florent Virgines Farenses. Synopsis vitæ Mariæ Magdalenæ a Jesu.*

In postrema ad superstites Virgines adlocutione, in calce Libri hæc habet verba, latine reddita, Basilius. " *Margarita*, quæ prima in hac Domo mortem obiit, „ exempla vobis reliquit magnæ lætitiæ in famulatu Dei, „ & eximiæ patientiæ in infirmitatibus. Morbum extre-„ mum, quo decem ac septem Mensium spatio misere „ afflictata est, a Deo obtinuit loco molestæ tentatio-„ nis, qua plurimum vexabatur. Licet diu probata, hæc „ protulit postrema verba: *Quam districta sunt, o Soro-„ res, judicia Dei*. Splendida quoque virtutum exempla „ præbuit *Birgitta*. Terrenorum ipsa bonorum affectum „ non persensit: eoque animi fervore passionum motus „ compressit, ut sanguinis vomitum sæpe exciverit. Prom-„ ptissimam vidistis in obedientiæ officiis, legum tena-„ cem, & a seculi negotiis ipsisque parentibus alienam. „ Vitæ probatissimæ similem obiit mortem. Mira fuit „ in *Serafina* conformitas cum Deo, ac magna religio „ erga Sacramentum Eucharistiæ. Una Dei voluntas re-„ gebat cogitationes ejus, affectus, & opera. Jussa divi-„ nissimo cibo abstinere, corporis quoque alimento ab-„ stinebat uno & altero die: erantque lacrymæ ejus, pa-„ nis die, ac nocte. " Epistola MS. adservatur, quam dedit Basilius ad Venetas Ordinis nostri Sanctimoniales, in Monasterio *Corporis Domini* florentes, qua trium Virginum prædictarnm fusiore calamo, ut ipsis morem gereret, vitam describit. Earum agnomina discimus, quæ pariter in Necrologio leguntur: dictaque est Margarita *a S. Dominico*, Birgitta *a S. Antonio*, Seraphina *a S. Thoma Aquinate*.

" Institutiones adamussim servabat *Theresia*, nec un-
" quam latum unguem deflexit ab adsumpta vitæ ratio-
" ne. Cum efflaret animam, ea verba protulit: *Pro me*
" *vitam dedit Deus meus*. Nihil indulgebat corpori *An-*
" *na Maria*: ab oratione dimoveri vix poterat, a labore
" vacavit nunquam, ut etiam in obitus hora aliquid ope-
" ris agere manibus videretur. *Columbam* denique vobis
" ad imitandum propono, quæ Domino serviebat in læ-
" titia. Nihil erat, quod ipsi triste accideret: pro Deo
" pati summopere optabat, illudque Divæ Theresiæ effa-
" tum sibi proprium fecerat: *aut pati*, *aut mori*. " Theresia nuncupabatur *a S. Michaële*, Anna-Maria *ab Incarnatione*, Columba *a Spiritu Sancto*.

Præ cæteris emicuit *Maria-Magdalena a Jesu*, cujus præclarissimam vitam, posterorum memoria, ac typis dignam censuit Basilius. Ortum habuit ex illustri *Zuppinorum* familia. Cognomen *Lupini* oscitantia fortasse Typographi legimus apud Jacobum Echardum Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum in Elogio Basilii, titulum Libri sic efferentem: *Vita della penitente Serva di Dio Maria Maddalena Luppini di Gesù*. Patrem habuit Franciscum *Zuppinum*, Matremque Veronicam *Locatellam*. In pago Faræ, ubi relicta Arce Gradiscana, degebant parentes, in lucem edita est anno 1625. die 12. Junii: habuitque nomen *Franciscbinæ*, seu *Franciscæ* in sacris undis. Vanitatibus, & seculi pompis nimium indulsit primis annis. Basilii concionibus, Deique desuper inspirantis gratia interius tacta, ad pœnitentiam conversa est. Novum amplecti Institutum optabat. Sæpe repulsa ob generis conditionem, vocatione demum probata, excipitur inter *Pauperculas Farenses* anno 1649. die 8. Septembris, Nativitati Deiparæ sacra: obtinuitque nomen, & agnomen *Mariæ Magdalenæ a Jesu*. Virtutes ejus initio Vitæ typis editæ colligit Auctor: " Fuit ipsa,
" inquiens, pœnitentiæ speculum, proprii Corporis ini-
" mica, sibi vilissima, silentio dedita, in orationibus as-
" sidua. Egregiis operibus & exemplis linguam frenare
" & oculos docuit, motiones appetitus cohibere, alio-
" rum semper obsecundare judicio. Mitis, obediens,
" pauperrima, castissima se Deo gratissimam exhibuit,
" a quo vicissim internis gratiæ donis locupletata est.
" Munia domus exercuit diligentissime, Puellisque tiro-

" ci-

„ cinium ponentibus magno earum profectu diu præfuit. “ Laboribus demum fracta, ac meritis plena obiit anno 1662. die 19. Octobris.

IV. *Procerum beneficia eisdem Virginibus conlata.*

Virgines Pauperculas *Farenses* magno in pretio Proceres Viri, Nobilesque Fœminæ habuerunt, ac habere pergunt: eisque largas eleemosynas, ac beneficia contulere. *Eleonoram Imperatricem*, Cæsarum Josephi I. & Caroli VI. Matrem, licet memorare, quæ semel ac iterum benevolentia, ac favoribus easdem prosequuta est. Favit illis *Anna-Maria* ex Marchionibus Brandemburgi, Vidua Princeps *ab Eggenberg*, Mater Jo: Christiani, & Siggefridi, Comitum Gradiscæ. Cum enim situs erecti Monasterioli obnoxius esset feudali conditioni, tutam ipsa fecit declaravitque possessionem, ne pacem earum quietemque imposterum perturbaret aut cupiditas hominum, aut Ministrorum nimia severitas. Dati diplomatis priora verba hæc sunt: *Nos Dei gratia Anna-Maria Principata Comitissa Gradiscæ & Aquilejæ, Ducissa Crumlaviæ, Principissa ab Eggemberg Vidua, nata Marchionissa de Brandemburg, Tutrix & Administratrix*. Postrema: *Datum in Arce & Residentia nostra Eggenbergensi die XV. Junii anno Salvatoris Milles. Sexcentes. Quinquagesimo octavo. Anna-Maria. Ad mandatum suæ Celsitudinis proprium Maximilianus Pippa &c.* Suis quoque cumularunt probatissimas Virgines beneficiis *Eleonora a Turre* ex gente *Gonzagorum* prognata, ejusque Filius *Turrismundus Paulus*. Florent ipsæ pietate, ac virtutum bona fama, ne latum quidem unguem ab Instituto deflectentes.

CAPUT XIII.

Justinopolitani in Istria Cœnobii reformatio. Vetusta ejusdem Monumenta. Domus antiquæ Piranensis notitia.

I. *Cœnobium S. Dominici Justinopolitanum, justo Fratrum numero minutum, supprimitur. Antiqua statuta de numero Fratrum in Cœnobiis.*

DIsciplinam regularem, quæ in Cœnobiis *Forojuliensi*, & *Farensi*, ac *Rosaciensi* Domo florebat, propagari contigit, Deo dante incrementa, in Provincia *Istriæ*, ubi antiquioribus locis Ordinis nostri temporum calamitate pessumdatis, & amissis, unum *Justinopolitanum* superaerat Cœnobium. Hoc idem proventibus, Fratrumque nu-

numero minutum, cum cæteris parvis Conventibus primo suppressum est, ac deinde concessum Fratribus, qui Regularem observantiam profitebantur, ut pristinum quem amiserat, eorum opera & exemplo, splendorem acciperet.

Minores Conventus habiti semper fuere ad relaxationem disciplinæ proclives: adeoque duodecim saltem Monachorum numerum, qui justo regimine, mutuisque exemplis disciplinam foverent, vetera postulabant S. Benedicti, Cisterciensium, Cluniacensium, Carthusianorum Statuta. Hæc refert omnia Ludovicus Thomasinus Parte I. de Nova ac Vetere Ecclesiæ disciplina Libro III. Capite LXIX. num. XIII. Hisce permotus causis Gregorius XV. solemni diplomate sanxit anno 1621. ne deinceps Monasteria alterutrius sexus erigerentur, nisi reditus affluerent, quibus ali possent commode duodecim Monachi Monialesve, sive ex agrorum proventibus, sive ex piis erogationibus. Decretum innovavit, ampliavitque Congregatio Concilii, ratumque illud habuit Urbanus VIII. anno 1625. quo Cœnobia, quæ non haberent duodenarium Monachorum, vel Fratrum numerum, subjecta declarantur visitationi, correptioni, & jurisdictioni Episcoporum. Imo parvos omnes Conventus supprimendos anno 1652. edita Constitutione censuit Innocentius X. in Italia, & circumjacentibus Insulis: reque ipsa non pauci extincti sunt, cladem alii evasere; pluresque redintegrati ex iis, qui excisi fuerant.

Decreto lato inhærens Alexander VII. plura supprimenda Cœnobiola indixerat in ditione Veneta: eamque sortem subiit *Justinopolitanum* in Istria. Datæ sunt Litteræ Ducales Andreæ Ericii ad Præsidem Justinopoleos urbis, totiusque Provinciæ: aliæque ad Baltassarem Bonifacium Cornianum ejusdem Civitatis Antistitem transmissæ a Carolo Caraffa Episcopo Aversano, qui Legatione Apostolica fungebatur ad Venetam Rempublicam. Ipsorum mandata, renitentibus licet Fratribus, executioni tradita: conscriptæque suppressionis Tabulæ *anno Nativitatis Domini M.DC.LVIII. die Mercurii XX. Junii*.

II. *Fratribus de Observantia dictis conceditur pro voto Civium, ac populorum.*

Fratrum Prædicatorum discessum ægre ferebant Cives, ac populi. Sine mora Venetias missi sunt *Raimundus Finius*, & *Santes Grisonus*, qui cum Viris principibus, & Jacobo Altovito, post Caraffam Legato Apostolico, diligenter agerent, ut Fratres Prædicatores, *de Observantia* di-

dicti, cum uberiore Cœnobii emolumento subrogarentur: neque Domus illa supprimeretur, quæ una ex Familia Dominicana in tota Istriæ Provincia exstabat. Satis proventuum, quos aliorum incuria, ac liberior vivendi ratio aut amiserat, aut dissipaverat, superesse ostendebant ad alendos rigidioris Instituti alumnos, quorum victus tenuis ac parcus est, humilis & modestus vestitus, atque vita ad regulæ normam communis. Favit etiam *Cornianus Antistes*, litteris ad Altovitum datis, queis de bonorum sufficientia, facilitate & largitate eleemosynarum, ac Fratrum disciplina testimonium illustre ferebat.

Cessit eventus pro votis. Litteræ Ducales datæ sunt *a Joanne Pisauro* Duce Venetiarum *Universis & singulis Rectoribus, & Repræsentantibus quibuscumque, & præsertim Potestati & Capitaneo Justinopolis, eorumque Ministris præsentibus & futuris*. Senatus-consultum significatur, quo decretum fuerat: " Prædicatorum Cœnobium, „ nuper in *Civitate Justinopolitana* suppressum, gratifi- „ cationis causa erga Cives fidelissimos, totamque Istriæ „ Provinciam, restitui debere ejusdem Ordinis alumnis, „ qui rigidiorem observantiam profitentur: illudque ad „ pristinum statum ridintegrari. " *die XVIII. Januarii M. DC. LVIII.* more Veneto, ac juxta formam Julianam M. DC. LIX.

Clementissimi Senatus menti consentit Legati Apostolici decretum: quod integrum profero. " Illustrissimus „ ac Reverendiss. in Christo Pater, ac D. D. Jacobus „ Altovitus, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepisco- „ pus Athenarum, Sanctissimi D. nostri Papæ Prælatus „ Domesticus & Assistens, ac in toto Serenissimo D.D. Ve- „ netorum Dominio Nuncius Apostolicus. Visa & dili- „ genter perpensa relatione Reverendissimi Episcopi Ci- „ vitatis Justinopolis, Istriæ Provinciæ Metropolis, ac „ illius Vicarii super redditu Conventus S. Dominici di- „ ctæ Civitatis sufficienti pro congrua substentatione duo- „ decim Patrum Strictæ Observantiæ Religionis S. Do- „ minici, necnon super uberi animarum fructu qui ex „ sustentatione dicti Conventus speratur, tum ob pecu- „ liarem totius Civitatis religionem erga dictum Con- „ ventum, qui unicus de Religione Dominicana in to- „ ta Provincia Istriæ existit, ibique diversa opera pieta-

„ tis

„ tis exercentur, & fignanter illud Sanctiffimi Rofarii, „ tum propter eximiam dictorum Patrum ftrictæ Obfervantiæ pietatem. Vifis pariter depofitionibus plurium „ teftium in Tribunali noftro & extra examinatorum, „ ac prædicta omnia jurejurando affirmantium, omnibufque aliis diligenter confideratis, cenfuit fupradictum „ Conventum S. Dominici Juftinopolis Civitatis ob majorem Dei Omnipotentis ac B. Mariæ Virginis gloriam fuftinendum fore & effe, attenta fufficientia redituum: regendum tamen per duodecim præfatos Patres, prædictæ Strictæ Obfervantiæ, & non alias; refervato Beneplacito Apoftolico, quatenus opus fit, & „ ita &c. omni meliori modo &c. Datum Venetiis XXII. „ Januarii M. DC. LIX. Jacobus Altovitus Archiep. Athenarum, Nuncius Apoftolicus. Stephanus Rofata J. U. D. „ Notarius Cancellariæ Apoftolicæ m. p. "

Litteras eodem anno, Menfe, ac die, idem Altovitus dedit Corniano Epifcopo. " Lætos in Patriam redire „ fcribit *Finium*, & *Grifonum*, impetrata gratia, quam „ optaverant. Rem ante commode perfici non potuiffe, „ eo quia plura explorari ad mentem Pontificis debuere, „ quæ tempus & operam expofcebant. Cœnobium *Juftinopolitanum* inter duo ac viginti in Ditione Veneta „ fupprimenda connumeratum fuiffe: eaque de caufa in „ Decreto verba illa neceffario & caute pofita, *Refervato Beneplacito Apoftolico*. Illud porro a fuppreffione „ vindicatum, dummodo in eo Fratres commorentur faltem duodecim, qui primævum Dominicani Inftituti „ rigorem profiteantur, ac pietatis opera ex Ordinis præfcripto peragant. "

III. *Cœnobii poffeffionem adeunt iidem Fratres. Primus inftituitur Præfectus Hieronymus Caftelfrancus.*

Itaque in Cœnobio redintegrato excepti Fratres noftri, illud *Vicariatus* titulo regere cœperunt, donec jufto Alumnorum numero decens locus inftrueretur. Vicariam geffere præfecturam.

M. DC. LIX. *Raphaël Thomafellus*, nuncupatus *a S. Marco*.

M. DC. LXIII. *Jo. Jacinthus de Luca* Forojulienfis, ufque ad Novembrem ejufdem anni menfem, quo ipfi *Antoninus a S. Catharina* fuffectus eft.

Anno eodem, ac Menfe poftulatur Prior, qui confuetis in Ordine Prædicatorum juribus potiretur: præfecitque Cœnobio *Hieronymum Caftelfrancum* Jo: Baptifta

de

de Marinis, Generalis Magister Ordinis. Litteras institutionis profero. " F. Jo: Baptista de Marinis S. Th. Pro-
" fessor Ordinis Prædicatorum humilis Magister Gene-
" ralis & Servus. Quoadusque pusillus David virilem
" cum ætate staturam non attigerat, nec cum reliquis
" suis fratribus in eadem militiæ phalange coordinari,
" nec arma huic ordini paria valebat induere, adeout
" (1. *Reg. XVII. vers.* 39.) cum regiam Saulis loricam & ga-
" leam tantisper gestare compelleretur, negaverit sic se
" posse incedere. Atvero idem mox ut Viri staturam
" explevit, eadem sic omnem implevit Cataphracturam
" (*ibid. XVIII. vers.* 4.) ut vel ipse Jonathas non dubi-
" tarit suamet ipsum lorica, & tunica veluti Militem jam
" idoneum obarmare. Haud absimilis nostri Cœnobii Ju-
" stinopolitani videtur fuisse conditio, cui dum pro mo-
" dicis adhuc viribus, exiguoque Religiosorum numero
" justa defuit statura, qua *Formati Conventus* nomen di-
" gnitatemque expleret, cum reliquis grandiusculis Con-
" ventibus in eodem Prioratuum ordine censuque com-
" parere non licuit. (*Hoc scilicet nomen, & hanc digni-*
" *tatem, queis potiebatur elapsis temporibus, ob succe-*
" *dentium bellorum clades & Fratrum incuriam postea*
" *amiserat.*) At modo postquam dictum Cœnobium nu-
" tu Sanctissimi D. nostri Alexandri VII. (*primo suppres-*
" *sum, deinde redintegratum*) Observantiæ regulari ad-
" dictum fuit, cum onere duodecim adminus Religiosos
" sustentandi, ita ab anno & amplius in virile robur &
" justam mensuræ plenitudinem excrevit, ut nobis am-
" plius nec ambigendum sit nec differendum, quin ipsum
" velut Prioratus titulo & ornatui jam maturum, digni-
" tate Formati Conventus, atque honorifico gravioris
" militiæ amictu solemniter obarmemus. Itaque harum
" serie & Officii nostri auctoritate &c. " Proprium adferitur Cœnobio regimen: eidemque Præfectus titulo *Prioris* instituitur *Hieronymus Maria Castelfrancus*, Vir de tota Congregatione nostra meritissimus. Datæ Litteræ sunt *Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam die XXVIII. Mensis Novembris M. DC. LXIII.* Subscriptos pro more legimus laudatum Generalem Ordinis Magistrum, ac *Bernardinum de Venetiis Magistrum & Socium*.

Munus conlatum capessivit *Castelfrancus*: ipseque, cæterique Alumni doctrina, & pietate satis *Justinopoleos* Ci-

vitatis, ac *Istriæ* Provinciæ votis fecerunt. Ruentes Cœnobii parietes farti sunt, ipsumque Cœnobium ampliatum. Recuperatis, refectisque bonis, quæ pessumdata ac amissa fuerant, aucti proventus. Publicæ ad imbuendos sacris litteris juvenes patent Scholæ, Verbum Dei confluenti populo annunciant e suggestu præcones: cultumque Dei, deiparæ, & Sanctorum, nulli parcentes labori, promovent sacri Ministri. Hæc vero instaurati Justinopolitani Cœnobii facies.

IV. *Ejusdem Cœnobii primordia: clades, belli clodiensis tempore.*

De primordiis ejusdem postremo ut loco agamus, Historiæ nostræ ratio exposcit. Michaël Pius de Progenie S. Dominici Capite XLII. ex *Vincentii Sentini* (Pontini) transmissa relatione, nimium credulus, hæc narrat. *Cœnobium S. Dominici Justinopolitanum* (verba Italica latine refero) *quod Januenses multis abhinc annis diripuerunt, & incenderunt, erectum traditur a divo Dominico*. Popularis nempe traditio obtruditur, cujus in vetustis authenticis Monumentis vestigium nullum, vola nulla. His figmentis Paulus Naldinus, Antistes Justinopoleos, in Opere, cui titulum fecit, *Corografia Ecclesiastica della Città, e Diocesi di Giustinopoli*, fabulas alias innectit, primordia Conventus Divo Hyacintho attribuens, quo ipse tempore, habitum Ordinis Romæ a Sanctissimo Fundatore indutus, cum *Ivone*, *Ceslao*, & *Ermanno* in Patriam revertebatur. Fide scilicet nulla, teste nullo proceditur conjectura.

Cœnobium idem certo scimus, Provinciæ *Lombardiæ inferioris* detractum, *Dalmatinæ* Provinciæ adscriptum fuisse, tum Decreto Generalium Comitiorum Carcassonæ anno 1378. tum Romani Pontificis Urbani VI. auctoritate anno 1380. Diploma Pontificium allegavimus Capite I. num. V. ac illud etiam Bonifacii IX. editum anno 1391. quo pristino in statu idem Cœnobium servatum est. Supremis Tabulis in *Insula*, Oppido Istriæ, confectis *die* 11. *Septembris anno M. CCC. LXX.* jubet *Georgius Selanus* testator, cadaver ejus in Ecclesiam *Fratrum Prædicatorum* Justinopoleos inferri debere. In Notitia Conventuum, qui juri addicebantur Lombardiæ inferioris, *anno* 1303. a Bernardo Guidonis litteris tradita, locum obtinet *sextumdecimum* in sinistro Comitiorum Provincialium Choro Cœnobium nostrum: quo ex loco satis colligitur, erectionem ejus ad Patriarchæ Fundatoris æta-

ætatem reduci non posse, ac ævi recentioris absque dubio opus esse. Certam originem detegere non licet, cum vetusta Monumenta, quæ illam aperiant, infanda Conventus ejusdem, ac Civitatis Justinopoleos direptio per Januenses, ac incensio posteris eripuerit.

Infortunium hocce anno 1381. accidit *Belli Clodiensis* tempore, quod in Venetos moverunt Januenses, gesseruntque magna clade. Litteræ Ducales adservantur in Tabulario, post decennium datæ, quæ rei memoriam servant. " Antonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum, Nobilibus & Sapientibus Viris, Michaëli Contareno de suo mandato Potestati & Capitaneo Justinopolis, & Successoribus ejus Fidelibus Dilectis, salutem & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod in nostris Consiliis, Minori XL. & Majori, in Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo Indictione Quintadecima, Vigesimoprimo Mensis Septembris, Capta fuit pars infrascripti tenoris. Videlicet cum sicut exposuerunt Prior & Fratres Ordinis Prædicatorum de Justinopoli, ab antiquo Conventus suus consuevit habere a Regimine Civitatis Justinopolis eleemosynaliter omni anno libras XXXII. parvorum: & proter guerras, quæ fuerunt, Ecclesia & totus locus dictorum Fratrum fuit combustus & destructus; itaquod sint in magna necessitate & paupertate constituti, nec potuerunt facere reparare dictum suum locum, nisi aliquam minimam partem, sicut scripsit Dominus Potestas & Capitaneus Justinopolis: etiam dicendo, quod sunt Fratres honestæ vitæ, & continue prædicantes, & exercentes divina Officia, & proterea digni subveniri. "

Bellum, quod innuitur, *Clodiensis* nomine, in Historiis appellatur. Eo fervente, bis captam diripuerunt Justinopolim Januenses anno 1380. & insequente, quo eam *igne, ferroque vastarunt, itaut vix remanserit domus ac ædes, quæ ruinam passæ non fuerint*. Hæc refert Daniel Chinatius, Synchronus Auctor, cujus Historiam *de Bello Clodiensi*, in Bibliothecarum pluteis latentem, vulgavit Ludovicus-Antonius Muratorius Tomo XV. inter Scritores Rerum Italicarum. Vide Georgium Stellam in Annalibus Genuensibus, & Marinum Sanutum in Vitis Ducum in eadem Rerum Italicarum collectione. In hac

misera clade consumptum fuisse Cœnobium nostrum, testantur Litteræ Ducales.

Necessitate pressi Fratres, consuetam *ab antiquo* sibi erogari pecuniarum eleemosynam postulant: quæ verba vetustam ejusdem Cœnobii originem significant. Postulata eleemosyna publico Decreto eroganda indicitur. " Unde petunt (Litterarum verba sequuntur) humiliter: „ quod dignetur Ducalis Clementia pietatis intuitu ordinare, quod dicta eleemosyna XXXII. librarum annuatim sibi detur, quia nihil de proprio habent, ex „ quo possint vivere. Consideratis prædictis, fiat sibi gratia „ de dicta eleemosyna XXXII. librarum in anno sicut „ petunt, & sicut hortatur Potestas & Capitaneus Justinopolis. Quare fidelitati vestræ cum dictis nostris Consiliis scribimus, & mandamus per prædictam partem: „ ut contenta in ea, inquantum ad vos spectat, debeatis „ observare & facere inviolabiliter observari: facientes „ ipsam in Cancellaria vestri Regiminis ad futuram memoriam registrari. Dat. in nostro Ducali Palatio die „ XXII. Septembris Indictione XV. " Græcorum more Indictio computatur a Calendis Septembris.

V.

Post cladem instauratio. Sodalitium sub nuncupatione S. Antonii.

Per hæc tempora manus admovisse instaurandæ Ecclesiæ, quæ damnum in prædicto Bello Clodiensi passa fuerat, Fratres Justinopolitanos, Litteræ Indulgentiarum docent anno 1387. datæ a Nicolao *Titulo S. Ciriaci* Presbytero Cardinali: simulque produnt, jam tum viguisse *Consodalium in honorem S. Antonii Abbatis* Sacrum cœtum, qui hodieque perseverat. Litterarum verba sunt. " Nicolaus Miseratione divina Tit. Sancti Ciriaci Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, universis „ Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis, salutem „ in eo qui est omnium vera salus. Licet is, de cujus „ munere venit, ut sibi a Fidelibus suis digne & laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ „ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus „ sibi multo majora retribuat, quam valeant promereri: „ nihilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem & bonorum operum sectatorem, „ Fideles Christianos ad complacendum eis, quasi quibusdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet & „ remissionibus, invitamus ut exinde reddantur divinæ „ gratiæ aptiores. Cum itaque sicut accepimus, in Ec-

„ cle-

„ clesia Fratrum Prædicatorum S. Dominici de Justino-
„ poli sit quædam Schola, sive Fratalia Christifidelium,
„ qui singulis Mensibus in secundis Dominicis in dicta
„ Ecclesia in Capella S. Antonii in orationibus conve-
„ niunt, & quandoque se in remissione peccaminum di-
„ sciplinent, & de bonis a Deo eis collatis pias elee-
„ mosynas, & charitativa subsidia erogant & diffundunt
„ in pauperes; Nos cupientes, ut Ecclesia ipsa, quæ ut
„ dicitur reparatione indiget non modicum sumptuosa,
„ congruis honoribus frequentetur, & ut Christifideles
„ eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem,
„ & ad reparationem ipsius Ecclesiæ, ac sustentationem
„ ejusdem Scholæ sive Frataliæ manus porrigant adjutri-
„ ces, quo exinde uberius dono cælestis gratiæ conspexe-
„ rint se refectos, & Confratres ipsius Scholæ de bono in
„ melius animentur: de Omnipotentis Dei misericordia,
„ & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctori-
„ tate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis,
„ qui dictam Ecclesiam visitaverint, & ad reparationem
„ & sustentationem Ecclesiæ & Scholæ prædictarum ma-
„ nus porrexerint adjutrices, pro omni die, qua ut præ-
„ mittitur visitaverint & porrexerint, auctoritate qua
„ fungimur, centum dies de injunctis pœnitentiis mi-
„ sericorditer in Domino relaxamus. In quorum om-
„ nium testimonium præsentes nostras Litteras fieri feci-
„ mus, & Sigilli nostri appensione muniri. Dat. Vene-
„ tiis Castellanæ Diœcesis anno Nativitatis Domini Mil-
„ lesimo Tercentesimo Octuagesimo septimo, Indictione
„ decima, die Vicesima nona Mensis Aprilis, Pontifica-
„ tus Sanctissimi in Christo Patris, & D. nostri Urbani
„ divina providentia Papæ VI. anno decimo." Is est Nicolaus Caracciolus Moschinus, ex utraque *Moschinorum*, & *Caracciolorum* gente nobilissima fatus, Ordinis Prædicatorum alumnus, Presbyteris Cardinalibus *Titulo S. Ciriaci* ab Urbano VI. adscriptus, Veneta legatione aliisque muneribus clarus. Obiit anno 1389. ac sepultus jacet Romæ apud Prædicatores in Æde S. Mariæ *super Minervam*. De Viro clarissimo agunt S. Antoninus, Ciacconius, Fernandez, Fontana, Pius, Cavallerius, Echardus, Bremondus.

Alias anno insequente Indulgentiarum Litteras *quadraginta dierum, dummodo ad id Diocesani voluntas accesserit*,

ferit, *pariter & consensus*, ob easdem causas dedit *Paulus Emoniensis Episcopus*. His evincitur, erraffe Ughellum in Chronographica ejus Sedis Antistitum serie contexenda, notandisque Episcopis in eamdem Sedem intrusis. Incipiunt: *Universis Christifidelibus præsentes Litteras inspecturis*, *Paulus Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Oemoniensis*. Desinunt vero: *Dat. Oemon. in nostra Ecclesia Cathedrali sub nostri Pontifical. appensione Sigilli III. Kal. Septembris*, *Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. nostri Domini Urbani divina providentia Papæ VI. anno undecimo* (Christi 1388.) Quibus aperte conficitur, Infulas *Emonienses* obtinuisse Paulum ab Urbano VI. neque Sedem ipsum occupasse auctoritate Pseudopontificis Clementis VII. ut putabat Ughellus. Annorum vero Sedis contexendam seriem esse, ut in Nova legitur Veneta Ughelli editione, hisce litteris confirmatur, quas protulimus.

Litteras demum 80. *dierum Indulgentiarum* memoro, quarum initium est: *Henricus de Voilstayn dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus & Comes Tergestinus*, *necnon Vicarius in Spiritualibus Reverendissimi in Christo Patris & D. D. Johannis miseratione divina dignissimi Patriarchæ Aquilegensis*. Desinunt illæ: *Datum Mugl. Tergest. Dioc. anno Nativitatis Domini M. CCC. LXXXXI. Indictione XIV. die vero Vigesimo septimo Mensis Junii*, *Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & D. D. Bonifacii Pape IX. anno tertio*. Junio Mense anni 1391. annus secundus Bonifacii Papæ labebatur. Henricum vero ad *Petenensem* Ecclesiam anno 1390. translatum, perperam notat Ughellus. *Joannem* denique *de Moravia*, Patriarcham Aquilejensem intellige; cujus vicariam *in spiritualibus* auctoritatem exercebat Henricus.

Paucos post annos instauratam Ecclesiam, refectasque Cœnobii nostri *Justinopolitani* præcipuas partes, ære fidelium sine dubio conlato, sequens docet Epigraphe, quæ Theotonicis, ut inquiunt, litteris sculpta legitur in fronte Templi. *Anno Domini M. CCCC. I. Die prima Mensis Maii fuit hæc Ecclesia consecrata simul cum omnibus suis Altaribus*, *Claustro*, *Capitulo*, *& Cimiterio*, *tempore Prioratus F. Dominici Lippi de Firmo bujus Ordinis Prædicatorum*. *Et hæc posita sunt ad perpetuam rei memoriam*. Amplum, ac decens Templum est: eadem-

que

que Cœnobii forma cum *Forojulienſi* intra minorem aream.

VI. Seriem ſubjungimus Præfectorum, qui regimen Cœnobii *Juſtinopolitani* tenuere. Deſiderantur omnes, uno alterove excepto, qui Præfecturam geſſerunt ſeculo quartodecimo. Reliquos ex authenticis Archivi monumentis proferimus.

Series Veterum Præfectorum Cœnobii, qui reperiri potuerunt.

M. CCC. XCII. *Bruno* Venetus. Is fortaſſe, qui Cœnobii *Prior* memoratur in Litteris Ducalibus, anno ſuperiore ab Antonio Venerio Duce datis, allegatiſque num.IV.

M. CCC. XCVII. *Leonardus* Venetus, de quo mentio redibit Num. ſeq. in vetuſta Charta Piranenſi.

M. CCCC. I. *Dominicus Lippus* Firmanus. Hujuſce Præfecti nomen, cognomen, & Patriam legimus in Epigraphe ſuperius deſcripta.

M. CCCC. VI....... *de Firmo*. Deleta ſunt nomen, & cognomen in hædino Inſtrumento, quod in Archivo adſervatur. Idem fortaſſe fuerit, ac Dominicus Lippus, de Cœnobio meritiſſimus: pariter Firmanus.

M. CCCC. VIII. *Matthæus a S. Apollonia*.

M. CCCC. XXIII. *Dominicus Stella* Venetus.

M. CCCC. XXX. *Franciſcus*: quo ſolo nomine appellatum legimus in Inſtrumento hædino.

M. CCCC. XXXV. *Antonius Stella*.

M. CCCC. XLVIII. *Evangeliſta* Vincentinus.

M. CCCC. LVI. *Jacobus a S. Severino*.

M. CCCC. LVIII. Idem iterum.

M. CCCC. LX. Idem tertium.

M. CCCC. LXVII. *Nicolaus de Ingaldeo*. Hujuſce mentio in Indulgentiarum diplomate, dato *Aquileiæ die XXVIII. Menſis Martii anno Milles. Quadringenteſimo Septuageſimo ſecundo, Indictione quinta, Pontificatus Sanctiſſimi & Beatiſſimi in Chriſto Patri & D. noſtri D. Sixti divina diſpoſitione & providentia Papæ IV. anno primo*. Litterarum inſcriptio eſt: *Andreas Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Ep. Ferentinas, in Patriarchatu & Dioceſi Aquilegen. pro Reverendiſſimo in Chriſto Patre & D. D. Marco* (Barbo) *miſeratione divina Titulo S. Marci S. R. E. Presbytero Cardinali, Patriarcha Aquilegenſi digniſſimo, Gubernator & Locumtenens Generalis*. Conceſſæ dicuntur Indulgentiæ petitione *Venerabilis ac Religioſi Viri F. Nicolai Juſtinopolitani Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Do-*

Doctoris clarissimi, *Capellani*, *&* *Commensalis nostri continui benemeriti*. Hunc *Andream* inter Ferentinos Antistites recenset Ughellus Tomo I. Italiæ Sacræ: eumdemque conjicit esse, quem anno 1473. turbulentum mare in Statione Romana absorpsit.

M. CCCC. LXIX. *Petrus a S. Cantiano* Venetus. Regimen tenuit iterum ac tertium usque ad annum 1474.

M. CCCC. LXXV. *Bernardus* Parmensis.

M. CCCC. LXXVII. *Antonius* Justinopolitanus.

M. CCCC. LXXVIII. *Marinus* Tarvisinus.

M. CCCC. LXXIX. *Georgius Thomæ* Justinopolitanus.

M. CCCC. LXXXI. *Joannes Justus* Justinopolitanus.

M. CCCC. LXXXII. *Georgius* (*Thomæ*) Justinopolitanus iterum.

M. CCCC. LXXXV. *Joannes Justus* Justinopolitanus iterum.

M. CCCC. LXXXVI. *Justus* Utinensis.

M. CCCC. LXXXVII. *Jacobus* Fanensis.

M. CCCC. LXXXIX. *Joannes Dominicus*, Reginus patria, professione Utinensis.

M. CCCC. XC. *Julianus de Azo* Justinopolitanus.

M. CCCC. XCIII. *Johannes de Agiis* memoratus in Tabulis, quæ Cœnobioli erectionem in *Civitate-Nova* complectuntur. Eas allegavimus Capite I. num. VIII.

M. CCCC. XCIV. *Julianus de Azo* iterum.

M. D. *Thomas* Utinensis.

M. D. III. *Joannes Justus* (Justinopolitanus) tertium.

M. D. IV. *Dominicus Testa* Venetus.

M. D. VII. *Vincentius* Justinopolitanus.

M. D. X. *Nicolaus Petronius* Piranensis. Eodem anno die 13. Decembris regimen Cœnobii capessiverat Dominicus Romanus ex Civitate Forijulii.

M. D. XVIII. *Nicolaus Petronius* iterum.

M. D. XXIV. *Jo: Andreas* Liniacensis.

M. D. XXVI. *Nicolaus Petronius* tertium.

M. D. XXVIII. *Vincentius* Justinopolitanus iterum.

M. D. XXX. *Petrus* Justinopolitanus.

M. D. XXXI. *Petrus Joannis*.

M. D. XXXIII. *Jacobus Agresta* Justinopolitanus.

M. D. XXXV. *Gervasius* Utinensis.

M. D. XXXVI. *Georgius* Justinopolitanus.

M. D. XXXVIII. *Vincentius* de Ragno.

M. D. XLII. *Jacobus Agresta* iterum. Quo etiam anno suffectum eidem Codices exhibent Thomam Liniacensem.

M. D. XLIII. *Vincentius* Maranensis.

M. D. XLV. *Sistus* Sebenicensis.

M. D. XLVI. *Vincentius*.

M. D. XLVIII. *Jacobus Agresta* tertium.

M. D. XLIX. *Vincentius* Justinopolitanus.

M. D. LI. *Vincentius de Metuna*.

M. D. LIII. *Jacobus Agresta* quartum.

M. D. LVI. *Vincentius Michelutus* Civitatensis, seu Forojuliensis.

M. D. LVII. *Jacobus Junior*, forte *Agrestæ* nepos. Eodem anno Præfecturam tenuit Vincentius de Metuna iterum.

M. D. LVIII. *Hippolitus* Venetus, *Ciera* cognominatus, quem artis Musices peritissimum laudant Scipio Ceretus in Libro de Numero Sonoro apud Rovetam, & Franciscus Sansovinus in Historia Veneta Libro XII. in Hieronymo Priolio Duce.

M. D. LIX. *Bartholomæus Almirigottus*.

M. D. LXI. *Jacobus Agresta* quintum.

M. D. LXII. *Thomas* Venetus: eodemque anno die 2. Mensis Decembris Jacobus Junior iterum.

M. D. LXVI. *Thomas* Venetus iterum.

M. D. LXVIII. *Jacobus Agresta* sextum.

M. D. LXIX. *Vincentius* Justinopolitanus iterum.

M. D. LXXI. *Benedictus Giojosus* Utinensis. Hujus mentio in Litteris Petri Franchini, Præfecto Provinciæ, allegatis Capite X. num. IX.

M. D. LXXIV. *Bartholomæus Almirigottus* iterum.

M. D. LXXVII. *Jacobus Junior* tertium.

M. D. LXXVIII. *Vincentius* Justinopolitanus tertium.

M. D. LXXX. *Bartholomæus Almirigottus* tertium.

M. D. LXXXI. *Jacobus de Rubeis*.

M. D. LXXXIV. *Octavianus Vadus* Patavinus.

M. D. LXXXV. *Bartholomæus* Venetus.

M. D. LXXXVI. *Nicolaus Corradinus*.

M. D. LXXXVIII. *Nicolaus Tuscanus*.

M. D. XC. *Jacobus de Rubeis* iterum.

M. D. XCII. *Julius Atestinus*.

M. D. XCIV. *Jo: Antonius Palma* Venetus.

M. D. XCV. *Octavianus* Venetus.
M. D. XCVI. *Joannes de Otaco* Justinopolitanus.
M. D. XCVIII. *Nicolaus Corradinus* iterum. In Tabulis confectis anno insequente 1599. die 4. Settembris dicitur *Civitatensis* patria.
M. DC. Jo: Baptista Justinopolitanus. Cognomine *Divus* in Instrumento ejusdem anni 1600. diei 18. Decembris.
M. DC. II. *Hieronymus Bembus* Justinopolitanus.
M. DC. IV. *Joannes de Otaco* iterum.
M· DC. VI. *Hippolytus Cilber*.
M. DC. VIII. *Nicolaus Corradinus* tertium.
M. DC. X. *Hieronymus Bembus* iterum.
M. DC. XII. *Joannes de Otaco* tertium.
M. DC. XIV. *Hippolytus Cilber* iterum.
M. DC. XVI. *Hieronymus Bembus* tertium.
M. DC. XVIII. *Jo: Franciscus Palladius* Utinensis.
M. DC. XX. *Joannes de Otaco* quartum.
M. DC. XXII. *Hieronymus Bembus* quartum.
M. DC. XXIV. *Theonistus Vannus* Tarvisinus.
M. DC. XXV. *Jo: Franciscus Palladius* iterum.
M. DC. XXVII. *Ludovicus Merzarius* Marosticensis.
M. DC. XXVIII. *Hyacinthus Pencinus* Venetus. Eodem anno suffectum Pencino legimus Hippolytum Mariam Taleapetram Venetum.
M. DC. XXX. *Valerius Filosius* Patavinus.
M. DC. XXXII. *Jo: Franciscus a Templo* Venetus.
M. DC. XXXIV. *Jo: Baptista Albertus* Tarvisinus.
M. DC. XXXVI. *Secundus Marchesius*.
M. DC. XXXVIII. *Augustinus Tragurinus* Justinopolitanus.
M. DC. XL. *Jo: Franciscus* Venetus: idem, qui *a Templo* cognominatus, iterum.
M. DC. XLII. *Thomas de Grottola*.
M. DC. XLIV. *Franciscus Paulacius* Justinopolitanus.
M. DC. XLVI. *Jo: Franciscus a Templo* tertium.
M. DC. XLVIII. *Jo: Franciscus Landus* Justinopolitanus. Regimen tenuit, ter confirmatus Prior, usque ad annum 1654.
M. DC. LIV. *Franciscus Paulacius* iterum.
M. DC. LVI. *Jo: Franciscus Landus* quartum. Eo præside suppressum Cœnobium fuit.

VII. *Notitia vetusta* In diœcesi Justinopolitana *Piranum* est, frequens incolis

colis Castrum, decimo a Civitate *Justinopoli* lapide, in Promontorio situm. Eodem in loco Domus erat ante Clodiense bellum, prædicto Cœnobio Justinopolitano annexa: in qua stato anni tempore aliquot morabantur ex eodem Cœnobio missi Fratres, precibus & Sacrificiis vacantes, animarumque saluti consulentes concionibus, & Catechesibus. Belli prædicti causa, quod *Istriæ* Provinciæ magnas attulit clades, diruta Domus fuit a Civibus Piranensibus, ut militaribus instructo præsidiis loco impetus hostium facilius propulsarentur. Sarcire postea Piranenses damnum voluere, quod Fratres passi fuerant: habitoque Consilio anno 1397. aliam Domum cum horto tradere eisdem sanxere, Consilii decretum proponente *Petro Duodo*, Veneto loci Præside. Hæc omnia posteritati servarunt Tabulæ, quas in Archivo Cœnobii *Justinopolitani* adservatas in lucem proferimus.

Domus Piranensis, quæ juri suberat Cœnobii Justinopolitani.

" ...... ejusdem Millesimo Tercentesimo Nonagesimo
„ septimo, Ind....... Septimo Mensis Augusti, actum
„ Pirani in Platea Communis .... præsentibus Ser Geor-
„ gio de Mapheo, Ser Henrico q. Ser Almerici de Pe-
„ trogna, & Ser Nicolao q. Perandi de Anozcho de Pi-
„ rano testibus ad hoc vocatis, & aliis: ibique Nicolaus
„ q. Ser Dominici Tayachozo, & Odorlicus q. Ser.......
„ de Nacio de Pirano, *Cataviri* Communis Pirani, de
„ voluntate & consensu .... mandato Egregii & Sapien-
„ tis Viri Domini Petri Duodo pro Inclita Excellentis-
„ sima Ducali Dominatione Venet. honorandi Potestatis
„ Pirani, & provid...... Ser Johannis de Mason, Ser
„ Andreæ de Vitale, Ser Valengi q. Ser Marquardi
„ de .... & Ser Almirici q. Ser Petri de Petrogna, ipsius
„ Domini Potestatis & Communis Pirani ...... necnon
„ totius Consilii Generalis antedictæ Terræ Pirani: at-
„ tentaque parte .... generali Consilio Communis & ho-
„ minum Terræ Pirani convocato & congregato ....
„ præfati Domini Potestatis in Cancellaria ipsius Domi-
„ ni Potestatis sono Campanæ more solito. In quo qui-
„ dem Concilio aderant, & fuerant Consiliarii octuagin-
„ ta sex, & per prælibatum Dominum Potestatem pro-
„ positum fuit in hunc modum. Quod pro salute ani-
„ marum, hominumque, & personarum Terræ Pirani,
„ tam defunctorum, quam viventium, iret pars quod
„ expendantur, & expendere possint & debeant de ere

„ communi Pirani usque ad quantitatem Librarum du-
„ centarum parvorum in una Domo, seu pluribus in Pi-
„ rano, quæ dari & libere assignari debeant per *Catavi-*
„ *ros* dicti Communis Venerabilibus Viris Dominis ....
„ Priori & Fratribus Domus Ordinis S. Dominici Justi-
„ nopol. loco cujusdam suæ Domus, in qua soliti erant
„ habitare pro aliquo temporis spatio anni ante guerram
„ Januensium, positæ in Pirano in porta Campi, diru-
„ ptæ per dictum Commune tempore dictæ guerræ, alias
„ æstimatæ infrascriptas Libras ducentas; & de qua di-
„ cti Fratres pro residuo temporis anni consequebantur
„ pro nolo Libras decem parvorum: ut aliqui ex Fra-
„ tribus dictæ Domus venire possint, ut soliti erant, ad
„ standum & habitandum in Terra Pirani, & vacare,
„ superesse, & instare orationibus pro defunctis, & cor-
„ rectionibus hominum & personarum Pirani pro salute
„ animarum suarum. Capta fuit dicta pars per tres non
„ sinceras, quatuor de non, & residuum de sic. Fece-
„ runt, & faciunt venditionem: & datum jure proprio
„ in perpetuum Venerabili Viro Domino F. Leonardo
„ de Venetiis, Priori supradictæ Domus S. Dominici de
„ Justinopoli, præsenti & recipienti suo proprio nomine
„ & Successorum ac Fratrum dictæ Domus, nominatim
„ de duabus Domibus contiguis cum horto uno & Mo-
„ rario posito in Terra Pirani in porta Domo, apud Do-
„ mum uxoris & heredum q. Nicolai de Marzanexio,
„ apud viam Consortum, apud Domum Martini de Pin-
„ guente, & apud Hortum uxoris & heredum q. Ser Ga-
„ rofoli Vedurno, & si alii sunt confines veriores: quæ
„ fuerunt Mengolini, Sardi, Rufi, & Laudadei ejus Fi-
„ lii de Pirano; & per ipsos Cataviros in solutum ac-
„ ceptæ nomine dicti Communis pro eorum debitis,
„ quos dicti Pater & Filius habebant in dicto Commu-
„ ni, pro pretio, & nomine pretii Librarum Ducenta-
„ rum parvorum, de quibus dicti Fratres creditores ap-
„ parent in Libris suprascriptorum Captavirorum, &
„ Præcessorum suorum. Et hoc pro solutione, & satis-
„ factione extimationis dictæ Domus Suprascriptorum
„ Domini Prioris, & Fratrum Ordinis prædicti deruptæ
„ ut supra. Quas quidem Domos cum horto & Mora-
„ rio prædicti Nicolaus & Ordolicus Cataviri dederunt,
„ & tradiderunt prædicto Domino Priori, nomine quo

„ su-

„ supra, & in ipsis transtulerunt plenum dominium, & „ possessionis tenutam. Quæ quidem omnia prædicti Cataviri vigore sui Officii constituerunt se tenere, & possidere nomine prædicti F. Leonardi Prioris, & Successorum suorum, & Fratrum Ordinis prædicti, donec „ prædictorum omnium plenam susceperint possessionem: „ promittentes prædicti Cataviri per se suosque Successores, nomine dicti Communis, prædicto Domino Leonardo pro se suisque Successoribus stipulanti & recipienti, prædictas possessiones ab omni homine & universitate hominum defendere, guarentare, autorizare, & disbrigare: & prædictam venditionem, & omnia, & „ singula suprascripta perpetuo firma & rata habere, tenere; & non contrafacere, vel venire per se vel per „ alios, aliqua ratione vel causa, de jure vel de facto, „ sub pœna tertii pluris exstimationis dictarum rerum, „ & meliorationis ipsarum, quæ pro tempore fuerint stipulatione promissa. Qua soluta, vel non, rata maneant „ omnia & singula suprascripta. Pro quibus omnibus & „ singulis firmiter observandis, obligaverunt prædicti Cataviri vigore sui Officii omnia bona dicti Communis „ Pirani præsentia, & futura. Cui quidem venditioni, „ & omnibus aliis & singulis supradictis prædictus Dominus Potestas suam, & Communis Pirani auctoritatem „ interposuit & Decretum: mandans mihi Notario infrascripto, ut de prædictis sibi conficerem publicum Instrumentum. Ego Balseminus q. Ser Facii de Appollonio de Pirano Imperiali auctoritate Notarius, & nunc „ prædictorum Catavirorum Communis Pirani Cancellarius, prædictis omnibus interfui, & rogatus scripsi. “

Magistratus occurrit *Catavirorum*, qui etiam *Catviri*, *Cataveri*, & *Cataverii* in vetustis documentis appellantur. Dictus fertur a præcipuo munere super *bonis inventis*: quod enim est latine invenire, Itali vocant *cattare*. Vocem putant alii compositam ex græca *κατὰ super*, & latino-barbara *avere*, *averum*, & *averium*, qua bona significantur, & facultates. Viri porro aliquot in locis, ac Civitatibus instituebantur, qui curam super bonis haberent. In Castro *Pirani* duum viri erant *Nicolaus Tayachozo*, & *Odorlicus de Nacio*. Dominicanam *Piranensem* domum jam pridem reliquere Fratres Justinopolitani.

C A-

clarus eſſet, *pergit Viſitator Bononiæ*. Nullum ipſe non movit lapidem, ut Regularem erigeret obſervantiam in ampliſſimo *S. Dominici* Cœnobio. *Redit Præſes factus Venetiis* in eadem Inſula *S. Secundi*.

11. *Comitiorum Provinciæ decreto adſerenda initur in Inſula S. Secundi obſervantia Regularis.*

Inſula eſt, brevi maris intervallo ab inclita *Venetiarum* urbe diſſita, quæ ad Orientem reſpicit principem ipſam urbem, ad Occidentem Oppidum *Meſtre* dictum, & agrum Tarviſinum. Marinis aquis, æſtu fluentibus, ac refluentibus, cingitur: in eaque ponitur a Franciſco Sanſovino regione, quæ *a S. Cruce* nomen habet. Templum erectum eſt ſub nuncupatione *S. Secundi*, cujus ſacra Lipſana, quæ in tumba marmorea adſervantur, Fidelium obſervantia credit, ac veneratur. Mediocre jungitur Cœnobium, quod olim Sanctimoniales Virgines Benedictinæ incoluere, poſtea Fratres Prædicatores *Provinciæ Romanæ*, tum *Provinciæ Lombardiæ* alumni. Senatus demum Conſulto, juri addictum eſt Provinciæ *S. Dominici*. Hæc latiore calamo dicenda Capite ſequente.

Veneti Senatus, qui locum Ordini poſt exceſſum Monialium conceſſerat, mens fuerat, conſiliumque, ut Regularem diſciplinam incolæ Fratres ad legum normam ſervarent: eodemque Conſilio, novam Domum in Ordinem adſcripſit *Joannes de Finario*, Generalis Magiſter Ordinis, qui primum Cœnobii *Vicarium* inſtituit Zachariam Lunenſem, egregium ævo illo Concionatorem, probatiſque moribus Virum. Eamdem ſæpe nutantem, ac etiam collapſam, erigere valido brachio, ac ſuſtinere conati ſunt aut ſucceſſores Magiſtri Generales, aut Præfecti Provinciæ *S. Dominici*. In Comitiis Provincialibus Patavii anno *1660*. celebratis demandatum electo Præfecto Provinciæ legimus: *ut quamprimum confirmatus fuerit, ad viſitationem S. Secundi ſe transferat: ibique toto conatu ſtudeat & curet, ſtrictiorem Obſervantiam Menſibus elapſis maxima cum ſecularium, totiuſque Civitatis ædificatione, necnon cum ingenti ejuſdem Conventus temporali proventu, introductam reſtaurare, & reſtauratam conſervare*.

Anno ſcilicet ſuperiore *1659*. ſervandam regulæ, ac legum obſervantiam propoſuerat *Petrus Martyr Degna*, qui Provinciæ præfecturam exercebat: eamque lubentes amplexi fuerant *Georgius Bovius* profeſſione Patavinus, *Angelus Nuzza* Florentini Conventus ſub nuncupatione

S. Ma-

S. Mariæ Novellæ alumnus, & *Zacharias Pitianus*, qui eidem S. Secundi Cœnobio in Professione adscriptus fuerat. Viris hisce eximiis, qui probitate, honorum gradibus, ac titulis in Provincia præcellebant, pecuniarum summam pollicitus fuerat erogavitque *Petrus Imbertus*, Civis Venetus, quæ opus erat ad farciendam domum, resque necessarias vitæ communi comparandas. Instaurata vero disciplina, magno benefici Viri mœrore, post paucos Menses tota corruit.

III.

Comitiorum decretum executioni mandatur. Operam suam præstant Aloysius Canalis Patricius Venetus, ac Petrus Imbertus.

Idem *Imbertus* disciplinæ, iterum melioribus auspiciis erigendæ, flagrabat ardore, qui tepuerat in Fratribus. Ad opus per litteras *Andream Tronum*, sibi amicissimum, Cœnobioque Tarvisino Præfectum, vehementius urgebat. Valebat ipse auctoritate in Provincia: dicebaturque editi in Comitiis decreti auctor fuisse.

Imberti ardore succensus *Tronus* decreti executionem urgebat apud Leonorum Rizzardum, qui prædictis in Comitiis Præfectus Provinciæ electus fuerat. Erat illi ipse Tronus post expletum Prioris in Cœnobio Tarvisino munus, *Socius*, ut inquiunt, & *a Secretis*. Virum noverat plus æquo pavidum, cui addenda calcaria fuerant, ut Sanctissimum opus decreto Comitiorum injunctum perficere vellet. Accessit *Aloysius Canalis*, qui patrocinium pollicitus, Rizzardum adegit, ut commissi muneris partes expleret. Is erat Patricius Venetus, e laxiore vita Concionibus Basilii Picæ ad meliorem frugem revocatus, qui magna æstimatione pollebat in Urbe, eoque tempore inter *Præconsultores* connumeratus Rempublicam administrabat.

Timore soluto, omnique deposita minus æqua ratione, ad Insulam *S. Secundi* se confert Rizzardus cum Trono: collapsæ disciplinæ causas perquirit, ipsamque instaurandam indicit, ac plura servanda præscribit saluberrima statuta. Decreti initium, quod animadversione dignum est, profero: " Nos F. Leonorus Rizzardi S. Th. Magister, ac Provincialis Provinciæ *S. Dominici* Ordinis Prædicatorum, existentes in actuali visitatione hujus nostri Conventus *S. Secundi Venetiarum*, ex commissione speciali R. R. admodum Patrum Definitorum Capituli Provincialis Patavii nuper celebrati; attendentes, supradictum Conventum, nedum quando primum fuit Religioni nostræ concessum, verumetiam postea

" mul-

„ multoties, præcipue vero paucis abhinc Mensibus pro
„ Strictiori Observantia deputatum extitisse : quia nimi-
„ rum Moderatoribus Religionis ac Provinciæ decentis-
„ simum semper visum fuit, ut in hac Inclita totius Se-
„ renissimi Dominii Principe Civitate unus saltem Con-
„ ventus existeret, in quo adamussim observarentur no-
„ stri Ordinis instituta , sicque efficacius Regularis ob-
„ servantiæ splendor se ab ipso Capite per totum Pro-
„ vinciæ corpus effunderet: adhærentes etiam pio deside-
„ rio tum Serenissimæ Reipublicæ Ducis (*Dominici*
„ *Contareni* ,) & quamplurium hujus Inclitæ Civitatis
„ Nobilium ; cum Illustrissimi ac Reverendiss. Domini
„ Nuncii Apostolici, necnon Reverendissimi nostri Ordi-
„ nis Generalis Magistri (*Jo: Baptistæ de Marinis:*) qui
„ omnes hujusmodi Strictiorem observantiam in ipso Con-
„ ventu fundari , & in dies magis augeri vehementer
„ peroptant. Idcirco authoritate Officii nostri declaramus
„ ac decernimus, hunc Conventum *S. Secundi Venetia-*
„ *rum* pro eadem Strictiori observantia esse deputatum ,
„ sicuti de facto ipsum deputamus. Statuentes, in eodem
„ deinceps ea omnia & singula observari debere pro vi-
„ ribus , quæ in Constitutionibus nostris pro Strictiore
„ observantia sancita sunt. Specialiter vero Ordinationes
„ infra positas omnino exequendas mandamus &c. Dat.
„ in nostro Conventu S. Secundi Venetiarum die XI. Ju-
„ nii M. DC. LX. Ita est F. Leonorus Rizzardi Magi-
„ ster Provincialis . F. Andreas Tronus Lector & Pro-
„ socius. "

Tot tantorumque Virorum, quos dignitas, auctoritas, probitas commendabant, in irritum cecidissent vota, nisi præsto fuisset Basilii Picæ opera . Tempus imminebat , quo novus Prior Cœnobio præficiendus erat. Picæ, qui degebat in Conventu *Farensi*, conferri præfecturam optabant Summi Viri , *Dominicus Contarenus* Dux Venetiarum, *Jacobus Altovitus* Legatus Apostolicus, *Jo: Baptista de Marinis* Generalis Magister Ordinis, aliique plures Patricii ac Cives Veneti , quibus ille notissimus erat , atque gratissimus . Favebat etiam *Christophorus Vidmanus* S. R. E. Cardinalis : illisque diebus Romam profectus , de negotio egit cum *Prospero Fagnano* Clarissimo Viro , qui operam suam pollicitus est , si quid alma in Urbe opus foret. Ante rei exitum decessit e vita Optimus Ec-

IV. *Basilius Pica præficitur Cœnobio: regularemque disciplinam instaurat.*

clesiæ Princeps anno 1660. die 30. Septembris. Provinciæ alumni pro vario animi affectu abierant in partes. Adhærebant alii Basilio, cujus diligentia erigendam sperabant, quæ collapsa ac pessumdata jacebat in eo Cœnobio regularis disciplina. Alii Reformationis opus detrectabant: adeoque Picæ eximii Observantiæ promotoris electionem in Priorem rejiciebant. Scripti Libelli ex utraque parte, ac in vulgus editi. Melior denique pars vicit majorem. Prædicto namque Cœnobio præfectus est Mense Octobri ejusdem anni: relictoque pago Faræ, Præfecturam capessivit Mense Decembri.

V.

Consueta Privilegia largitur Cœnobio S. Secundi Magister Generalis Ordinis. Cohibita Præfecti Provinciæ auctoritas in munimen Observantiæ.

Novi Agricolæ industria, ac labore coli cœpit vinea *S. Secundi*, quam vastaverat aper de silva, uberrimo cum proventu. Regularis disciplina, quam sevit ille plantavitque, altissimas radices misit, quæ imposterum velli nulla vi potuere. Imo Viri præstantissimi, qui honoribus in Provincia, & auctoritate valebant, commodiore vitæ ratione dimissa, ad Insulam se receperunt, ut legitimis imbuerentur a Basilio institutis, ipsamque regularem labefactatam observantiam cum ipso erigerent. Viros memoro, qui primi Congregationis nostræ auctores fuere, *Petrum-Martyrem degnam*, *Andream Tronum*, *Hieronymum Castelfrancum*, *Bonifacium Grandium*. Hæc habuit anno 1661. incrementa, Numine desuper irrigante, nova *S. Secundi* vinea.

Licet splendida, nondum satis firma erant prædicta instauratæ disciplinæ crementa, levique manu destrui poterant. Integrum erat Præfecto Provinciæ, Viros probatissimos ex Insula removere, aliosque in eam mittere qui severiori legum observantiæ minus fortasse addicti forent. Illorum discessus, istorumque incuria, cladem inferre plurimam poterat. Id accidit Andreæ Trono, qui Rizzardi mandatis, ac litteris Magistri Generalis Ordinis pergere Patavium cogebatur, ut Gymnasium regeret Magister Studentum in *S. Augustini* Cœnobio. Dignam sententiam Magistro Ordinis rescripsit: *sibi nunc, afflante Numine, propositum inesse, quod imposterum, si resiliat, nec vitæ brevitas, nec Dei misericordia pollicetur*. Malis infaustisque principiis valide obsistendum ratus Basilius, supplicem libellum obtulit Legato Apostolico: poscebatque decerni, " ne removeri fas esset ex Cœnobio " S. Secundi Fratres, qui amplexi in eo fuerant instau-

" ra-

„ ratam disciplinam: possent vero alii recipi, qui eodem „ proposito ducti, imposterum advenirent " Favit *Altovitus*, supplici libello hæc verba apponens: *Ita servari mandamus hac die XXII. Januarii M. DC. LXI. J. Archiepiscopus Athenar. N. Apostolicus.*

Triennii spatio Fratrum numerus auctus est ad normam decretorum, quæ a Pontificibus lata jam allegavimus: excedebatque. De Seculo juvenes excipiebantur, qui tirocinium ponerent: Scientias tradebat Philosophicas, Theologicasque *Grandius*: die, noctuque Deo laudes concinebantur. Consueta privilegia ac jura, queis carebat Cœnobii præfectura, concessa sunt a Generali Magistro Ordinis litteris datis, quas refero. " F. Jo: Baptista de Marinis S. Th. Professor Ordinis Præd. humilis Magister Generalis & servus ad perpetuam rei „ memoriam. Conventus noster S. Secundi prope Venetias, cum esset parvulus, loquebatur ut parvulus, forsan tractabatur ut parvulus, interque minimas suæ Tribus familias comparebat ut parvulus, nec aliud magis „ quam validiorum expectabat profectuum incrementa. „ Nunc vero & Religiosorum numero, & temporalium „ subsidiorum notabili accessu, necnon introducto Regularis Observantiæ viriliori cultu, in eam assurrexit roboris atque plenitudinis conspicuam mensuram, ut ab „ eo quæ sunt parvuli, prorsus evacuanda merito censeantur. Proinde harum serie, nostrique authoritate „ Officii declaramus, & quoad opus est statuimus, volumus, ac decernimus: præmemoratum Cœnobium nostrum esse ac censeri debere Collegiatum & Formatum „ cum omnibus juribus, gratiis, ac prærogativis, quæcumque legitimo Conventui in nostro Ordine, inque „ nostra S. Dominici Provincia Venetiarum, quoquo modo competere solent ac debent. Sicque universis & „ singulis nostræ curæ subjectis præcipimus in virtute „ Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, sub formali præcepto: quatenus supradictam Regularem Domum sine „ omni deinceps ambiguitate, controversia, aut exceptione agnoscant, habeant, tractentque velut Conventum „ Collegiatum: suisque ex hujusmodi titulo debitis juribus, immunitatibus, ac privilegiis, præsertim loco „ ac voce Capitulari, integre, libere, & imperturbate „ frui atque gaudere permittant. In nomine Patris &

„ Filii & Spiritus Sancti Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. In quorum fidem. Datum Romæ die XXVII. Novembris M.DC.LXIII. F. Jo: Baptista de Marinis Magister Ordinis. Reg. fol. 155. F. Bernardinus de Venetiis Magister & Socius. "

CAPUT XV.

Ecclesiæ, ac Ædium S. Secundi prima in Ordinem Prædicatorum adscriptio. Regiminis vices. Series Præfectorum.

I. *S. Secundi locum, Sanctimonialibus dimissis, tradendum Clericis, aut Regularibus Viris Clemens VII. jubet. Annuit Senatus Venetus.*

TEmpora modo repeto, quibus Ecclesia, ac Ædes *S. Secundi*, Sanctimonialibus alio translatis, concessæ sunt auctoritate Romani Pontificis, Venetique Senatus nutu, Fratribus Prædicatoribus. Fusam *Insulæ & Cœnobii Historiam* vulgari lingua scripsit *Dominicus Codalius*, qui Vicariam in Cœnobio Præfecturam gessit: eamque typis edidit *Venetiis anno M.DC.IX. apud Franciscum Rampazzetum*. Errores plurimos a Viro Clarissimo admissos, certo novimus: quos omnes singulosque indicare, ac refellere non vacat, nec libet. Utor ego vetustis, ac authenticis Monumentis, quæ lustrare propriis oculis, ac diligentius expendere licuit. Anno 1531. deseruerant Virgines Sanctimoniales ex Ordine *S. Benedicti* Sacrum Gynæceum, quod ea in Insula possidebant, incoluerantque a pluribus seculis. Id Senatus consulto sancitum fuerat, ut Virginum Deo dicatarum securitati ac decori consuleretur, quæ periculis expositæ videbantur in Insula. Exceptæ fuerunt in amplissimo *SS. Cosmæ & Damiani* Monasterio, quod in ea Venetiarum parte situm est, quæ vulgo *Zuecca* nuncupatur. Hinc edito diplomate Clemens Papa VII. *fructus, redditus, & proventus, jura, & actiones*, quæ priori Gynæceo conveniebant, posteriori quod diximus *Monasterio* concesserat, *ac Monialibus* in eo degentibus. Fecit insuper Patriarchæ Venetiarum facultatem: ut *Monasterium S. Secundi hujusmodi, illiusque Ecclesiam alicui seu aliquibus personis, Regularibus, seu Secularibus, ad inhabitandum inibi, ac Deo deserviendum .... concedere possit.* Cer-

Certiorem anno eodem Pontificem reddit *Christina* Abbatissa: *præfatum Patriarcham Monasterium, & Ecclesiam S. Secundi . . . alicui hactenus concedere non curavisse, nec forsan in futurum curaturum esse:* id posse facilius obtineri, *si Monasterio S. Secundi nomen Monasterii, & dignitas Abbatialis, ac Ordo S. Benedicti, & illius dependentia supprimeretur;* si præterea in alienum dominium Ecclesia, & Ædes transferrentur, atque *Clericis secularibus, vel Religiosis pro eorum usu & substentatione concederentur;* si demum *pro manutentione Fabricarum ejusdem Monasterii S. Secundi, & divini cultus in illius Ecclesia prædicta tot ex bonis ejusdem Monasterii S. Secundi, dicto Monasterio SS. Cosmæ & Damiani, ut præfertur applicatis, quod honestum & congruum videretur ... ab eodem Monasterio .... dismembrarentur, & separarentur*, Clericis prædictis, aut Regularibus Viris tradenda.

Hæc omnia constant ex vetusto Instrumento, in quo Acta plura, ac diploma Pontificium continentur. Incipit his verbis: *Jacobus de Cbà da Pexaro, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Paphensis, Commissarius & Executor ad infrascripta*. Pisaurorum familia inter Patricias Venetas divitiis, nobilitate, dignitatibus fulget. *Jacobum*, solo ejus nomine appellato, memorat Lequienus in Oriente Christiano Tomo III. inter Episcopos Paphenses in Insula Cypro. Adhuc ipsum anno 1531. vitam egisse, colligimus. Apostolicæ litteræ sequuntur. " A „ tergo. *Ven. F. Episcopo Paphensi, in Civitate Venetia-* „ *rum residenti*. Intus, *Clemens Papa VII. Venerabilis* „ *F. Salutem & Apostolicam benedictionem. Dat. Romæ* „ *apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXII. Au-* „ *gusti M. D. XXXI. Pontificatus nostri anno VIII.* " In hisce Litteris habentur, quæ superius descripta sunt. Tum suppressionis, quam ipse Antistes Paphensis exsecutus est, recensentur Tabulæ: quæ confectæ dicuntur *sub die XIII. Mensis Junii M. D. XXXIV. per Jacobum Fasolum, Rectorem Ecclesiæ S. Jacobi de Rivoalto Notarium Venetum*. Hinc traditionis Acta describuntur: hisque subscribit *Nicolaus Gabrielis Ducalis Secretarius*.

II. *Locus idem Zachariæ Lunensi Ord. Præd offertur. Annuit Generalis Magister Ordinis, qui sibi locum immediate subjicit.*

Itaque Insula, Ecclesia, ac Ædes *S. Secundi* oblatæ fuerunt *Zachariæ Lunensi*, Ordinis Prædicatorum alumno, qui tum Venetiis clarebat moribus probatissimis,

ac

ac dicendi gratia. Ad Joannem de Finario, Magistrum Generalem, qui Cœnobia Hispaniæ lustrabat, nulla mora scripsit Vir egregius. Litteras reddidit ipse Generalis Magister, queis facultatem Zachariæ facit, locum oblatum recipiendi: illumque immediato sui ipsius regimini subjicit, in eoque severiorem disciplinam ad normam legum servandam indicit, eidemque Zachariæ *Vicariam* largitur præfecturam.

Litteras profero ab Ordinis Magistro Generali datas. A tergo inscriptio, missioque legitur vulgari Italica lingua. *Al Rev. Fratre Zacharia Lunisiana Toscano Predicatore Ord. Præd. in Venetia*. Intus hæc habentur. " In
„ Dei Filio sibi dilecto R. P. Fratri Zachariæ Lunensi
„ Ord. Præd. F. Johannes de Fenario S. Th. Professor
„ & humilis ejusdem Ordinis Generalis Magister & ser-
„ vus Salutem & Spiritus Sancti Consolationem. Cupien-
„ tes nostri Ordinis fructum & gloriam non solum ma-
„ nutenere, sed spiritualibus profectibus in dies augmen-
„ tare; proinde piis vestris desideriis ac petitionibus in-
„ clinati, authoritate Officii nostri & tenore præsentium,
„ Nos F. Joannes qui supra, damus vobis antenominato
„ F. Zachariæ, de cujus probitate, animarum Zelo, &
„ prædicationum gratia atque doctrina multum confidi-
„ mus, licentiam & facultatem, ut valeatis accipere &
„ incorporare in Ordine, & pro Ordine nostro Locum vobis
„ oblatum a Magnificis Civibus Venetis, dictum Monaste-
„ rium divi secundi, vel alium quem pro vestra prudentia
„ judicaveritis opportunum, & Reformationi ac regulari
„ modo vivendi congruum. In quo studebitis cum Sociis
„ vestris pro facultate & viribus observantiam principia-
„ re, & pro modo vobis possibili vivere secundum Re-
„ gulam & seriem Constitutionum nostrarum. Omnia
„ vero, quæ ordinanda statuendave forent pro modo &
„ forma vivendi regulariter in tali loco, committimus
„ discretioni & conscientiæ vestræ, quæ particulariter &
„ exacte omnia isthic pro loco & tempore dijudicabit.
„ Illud tamen adjicientes, nos talem locum sive Con-
„ ventum sub cura & administratione nostra immediate
„ recepisse, quousque per nos aliud fuerit circa illum or-
„ dinatum. Ac proinde Nos tenore præsentium statue-
„ re Paternitatem vestram in Vicarium nostrum dicti
„ Loci vel Conventus, cum omni auctoritate dari soli-

„ ta

„ ta Vicariis Conventuum nostrorum, mortuo vel amo-
„ to Priore. In quorum fidem præsentes fieri, & Si-
„ gillis nostris muniri mandavimus. Bene valete, &
„ pro nobis orate. Dat. Tholeti die XXV. Decembris
„ M.D.XXXIV. Joannes de Finario Mag. Reg. fol. *66*...
„ Provincialis Terræ Sanctæ. "

Litteras alias ab eodem Magistro Generali datas refert Codalius ad *Ducem Venetiarum* pro gratiis eidem agendis; quæ signatæ, ac subscriptæ dicuntur hoc modo: *Die XX. Maii M. D. XXXV. in Hispaniis ab Urbe Hispali, F. Joannes de Fenario Vasco Servus*. In vernaculam linguam conversæ ab laudato Codalio typis editæ sunt in Historia citata. Zachariam in superioribus Epistolis appellatum legimus *Lunensem*, seu *de Lunisiana*; qui Hetruriæ locus est. Florentiæ nomen Ordini dedit in Cœnobio *S. Marci*, ut referunt Razzius inter Viros Illustres, Fontana in Provincia Romana, Altamura ad Annum 1499. & Jacobus Echardus Tomo II. Scriptorum Ordinis. Hinc mirum, *Lucènsem* passim a pluribus nuncupari: majorque subit miratio a Dominico Codalio vocari Lunensem de Urbe Luca, *Lunense della Città di Lucha*.

III. *Jussa Pontificis exsequitur Antistes Paphensis. Locum recipit laudatus Zacharias.*

Loci possessionem *anno* 1534. adiit Zacharias, ut notat Echardus Tomo citato, ac produnt recentes nonnulli Codices in Archivo Cœnobii adservati. Datam scilicet eo anno facultatem recipiendi Ædes, ab earum traditione ac possessione non distinguunt. Id accidit *insequente anno*. Consensum ultro præstitere *Andreas Grittus* Dux, ac Senatores amplissimi: remque Antistes Paphensis executioni mandavit pro jussis a Pontifice Romano acceptis.

Traditionis acta subjicio. " Die XVI. Martii M.D.XXXV.
„ Cum fel. rec. Clemens Papa VII. (obierat ille anno
„ superiore die 24. Septembris, Sedemque, Successor te-
„ nebat Paulus III.) fructus, redditus, & proventus,
„ jura, & actiones Monasterii Monialium S. Secundi
„ Venetiarum Ordinis S. Benedicti, Monasterio Monia-
„ lium SS. Cosmæ & Damiani a Judaica ejusdem Ordi-
„ nis Regularis Observantiæ perpetuo applicaverit, &
„ appropriaverit: Reverendissimoque Ven. Patriarchæ con-
„ cesserit, ut Monasterium ipsum S. Secundi, illiusque
„ Ecclesiam alicui seu aliquibus personis Regularibus seu

„ Se-

„ Secularibus ad inhabitandum inibi & Deo deservien-
„ dum, relaxaret & concederet: cumque postea ad au-
„ res Sanctitatis suæ deductum esset, per Reverendiss.
„ Patriarcham præfatum Monasterium ipsum alicui ha-
„ ctenus concessum non fuisse; nolens, Loca sacra tan-
„ diu destituta & penitus derelicta non sine maxima
„ murmuratione perseverare, Reverendissimo Episcopo
„ Paphensi per Litteras in forma Brevis diei XXII. Men-
„ sis Augusti anni M. D. XXXI. opportunis remediis
„ occurrens commisit & mandavit: ut primo dicti Mo-
„ nasterii S. Secundi nomen ac dignitatem Abbatialem,
„ & Ordinem S. Benedicti, nomenque Conventualitatis
„ supprimendo & extinguendo, postmodum cum consen-
„ su tamen Serenissimi Ducis & Dominii Venetiarum,
„ Structuram & Ædificia ipsius Monasterii sic suppressi
„ aliquibus Religiosis pro eorum perpetuo usu & habi-
„ tatione concedere valeat: pro quorum substentatione,
„ sicut ipsi Reverendissimo Episcopo honestum videre-
„ tur, ex bonis sive introitibus ut superius applicatis &
„ unitis, a Monasterio præfato SS. Cosmæ & Damiani
„ dismembrando, Religiosis ipsis assignare, applicare, &
„ appropriare habeat. Cupiens igitur præfatus Reveren-
„ dissimus Episcopus pro Divini cultus augmento man-
„ data Apostolica pro ejus posse debitæ executioni man-
„ dare, cum jam proximis elapsis diebus suppressionem
„ & extinctionem nominis Monasterii præfati, dignita-
„ tisque Abbatialis, & Ordinis S. Benedicti, ac nomi-
„ nis Conventualitatis fieri declaraverit, suppresserit, ac
„ perpetuo extinxerit, prout de ipsa extinctione patet
„ publico Instrumento, manu Ven. D. Jacobi fasolo Re-
„ ctoris Ecclesiæ S. Jacobi de Rivoalto Not. Veneto:
„ volens Monasterio ipsi extincto de optimis Religiosis
„ providere, habita plena & veridica informatione de
„ exemplari vitæ sanctimonia, singularique virtute & do-
„ ctina Rev. D. Fratris Zachariæ Lunensis Ord. Præd.
„ Provinciæ Romanæ, cum consensu tamen Serenissimi
„ D.D. Andreæ Gritti Ducis, Illustrissimique Dominii
„ Venetiar. præsentis & consentientis, ipsum Rev. D.Fra-
„ trem Zachariam, nomine tamen Religionis suæ, cui
„ Monasterium ipsum dedicavit, in Structuris & Ædifi-
„ ciis Monasterii præfati sic suppressi, cum aliis Religio-
„ sis de dicta Religione, qui sibi videbuntur, introdu-
„ cen-

„ cendum duxit & declaravit, prout per præsens publi-
„ cum Instrumentum declarat, Structuras & Ædificia ipsa
„ ac totam Insulam dicti loci pro eorum perpetua habi-
„ tatione ipsis concedendo & assignando. " Hoc etiam
loco Zachariam *Lunensem* dictum legis, non *Lucensem*.

Ædium, & Ecclesiæ traditioni sequentes apponuntur conditiones. " Hac tamen lege, & declaratione expressa,
„ quod continuis temporibus octo ad minus de Religio-
„ sis dictæ Religionis, bonæ conditionis & famæ, te-
„ neantur ibidem habitare: ex quibus sex ad minus sint
„ Sacerdotes pro Missis & aliis divinis Officiis celebran-
„ dis. Et ut Religiosi ipsi commodius Deo inservientes,
„ loca ipse reparare, manutenere, & perpetuis tempori-
„ bus conservare habeant, ac se nutrire possint, ex
„ nunc Reverendissimus D. Episcopus præfatus, autho-
„ ritate sibi a Sede Apostolica concessa, tenore hujus
„ publici Instrumenti, a præfato SS. Cosmæ & Damiani
„ Monasterio, cui introitus, redditus, & proventus præ-
„ fati Monasterii S. Secundi, sic ut præmittitur suppressi,
„ perpetuo applicati & appropriati fuerunt, de ipsis in-
„ troitibus, redditibus, & proventibus, singulis annis
„ pro summa Ducat. ducentorum quinquaginta per ipsum
„ D. Reverendissimum Episcopum postea super certo ipso-
„ rum fundo consignandorum, separavit & dismembra-
„ vit: ipsisque Rev. Religiosis, aliisque in futurum in
„ Monasterio ipso Deo deservientibus singulis annis per-
„ solvendos in perpetuum applicavit, & appropriavit;
„ non obstantibus quibuscumque Constitutionibus & Or-
„ dinationibus Apostolicis, aliisque in contrarium facien-
„ tibus, quæ præfatus Summus Pontifex per præfatas ejus
„ Litteras obstare minime voluit. Qui Reverendissimus
„ D. Episcopus, Serenissimus Dux, & Illustrissimum Do-
„ minium respective rogaverunt me Notarium, ut de
„ præmissis hoc publicum conficerem Instrumentum. A-
„ ctum in Collegio Serenis. Principis, præsentibus Ven.
„ D. Nicolao Muravio Plebano Ecclesiæ S. Panthaleo-
„ nis, Magnifico D. Francisco Superantio Cl. D. Jaco-
„ bi Procuratoris, Magnifico D. Jo: Jacobo Caroldo, &
„ Sp. D. Alexandro Businello Secret. testibus ad præmis-
„ sa habitis, vocatis, & rogatis, per me Nicolaum Ga-
„ brielem Duc. Secretarium ex Actis meis fideliter ex-
„ tractum. "

Post hæc recensentur annui proventus, ac stabilia bona, quæ ad sarta tecta, & in alimoniam Fratrum designantur: atque demum Tabulæ desinunt in hæc verba: *Datum, & actum Venetiis in Domo habitationis nostræ in Confinio S. Paterniani anno a Nativitate Domini M. D. XXXV. Indictione VIII. die XVIII. Mensis Augusti: præsentibus D. Presbytero Petro Antonio de Castellionibus de Placentia, & D. Francisco de Cervigh Sybinicensis Diocesis Capellano, & Familiaribus nostris testibus adbibitis & rogatis; Pontificatus SS. in Christo Patris & D. N. D. Pauli divina providentia Papæ III. anno I.*

Acceptatio sequitur per Zachariam facta. Tum hæc postremo loco leguntur. " Ego Leonardus Sansonus Ducalis Secretarius deputatus ad custodiam Scripturarum „ Notariorum defunctorum, suprascriptum Instrumentum de quo fuit rogatus q. Presbyter Jacobus Fascolus Imperialis, & Venetus Notarius, ab authentico „ suo Protocollo aliena manu scriptum, & vigore legis „ in hanc publicam formam redactum, quia cum ipso „ Protocollo concordare inveni, ideo subscripsi manu „ propria, signo meo apposito consueto. Ego Presbyter „ Nicolaus Moravius Ecclesiæ S. Panthaleonis Venet. publicus Imperiali authoritate Notarius, quia suprascriptum exemplum Chartarum undecim præsenti compu„ tata, aliena manu scriptum cum authentico suo auscultavi & collationavi, in omnibus concordare inveni, „ ideo in fidem præmissorum me subscripsi, signo meo „ apposito consueto. "

IV.

Cœnobium regunt Alumni Provinciæ Romanæ. Incendio consumptum restauratur. Locus idem Fratribus Provinciæ Lombardiæ regendus traditur. Bartholomæi Spinæ Pisani elogium.

Novum Cœnobium prudentissime regebat *Zacharias*. Ipsius, aliorumque Sodalium quos adsciverat, optimis exemplis allecta gens Veneta, magno concursu ad Insulam confluebat. Juvenes etiam, qui nomen Ordini dare exoptabant, eo in loco ad tirocinium admissi, Regularis disciplinæ officiis diligentissime exercebantur.

Infortunium accidit, quod pene consumpsit Cœnobium nuper Ordini adscriptum. Anno 1539. nocte concubia subito ignis exarsit, quo tota Domus conflagravit, ac in cineres cum Ecclesiæ parte redacta est. Narrat Codalius, id evenisse cujusdam Presbyteri malitia, qui titulum Sacellarii, seu æditui, recedentibus Monialibus, in ea Domo cum largo stipendio ambiebat: speque dejectus ob ingressum Zachariæ, & Sodalium, ignem ea indu-

dustria occuluerit, ut nonnisi eo absente, & noctu se proderet, cum nullum jam remedium posset afferri. Penes ipsum Codalium rei fides esto. Fortuito casui tribuendam lego Cœnobii, Ecclesiæque cladem in vetusta Charta, licet nec integra, nec autographa: in qua nonnullos probandos articulos proponit Daniel Pratensis, qui *Vicariam* anno 1548. & 1552. gerebat Præfecturam. Primus articulus est: *Quod de anno Domini* 1539. *die* 24. *Junii præfatus Conventus S. Secundi Urbis Venetiarum Ordinis FF. Prædicatorum fortuito casu passus est maximum incendium: & pars Ecclesiæ, ac ædificia antiqua primi & secundi Claustri una cum Dormitorio antiquo, Refectorio, reliquisque Officinis a parte .... dicto incendio usque ad fundamenta corruit.*

Sumptis animis, collectisque eleemosynis, continuo Ædibus instaurandis manum cum suis admovit *Zacharias*. Quod ipse farcire cœpit, Successores perfecerunt opus. Epigraphe legebatur supra Cœnobii fores: *Antemurale hoc Ecclesiæ* (xystus est, vetusto priore diruto, a fundamentis anno 1740. instauratus ad ipsius Ecclesiæ latus) *non tam ære sacro, quam piis D. Petri Bono largitionibus, R. P. F. Alexandro Manerba Brixiano Monasterio Præsidente, inceptum est, atque absolutum M. DC. VI.* Manerbæ virtutes, ac doctrinam celebrant, ejusque recensent edita, ac nondum vulgata typis Opera, Codalius, Fernandez, Rovetta, Echardus. Alia est in Templi fronte: *Vetus hoc Dei Templum a labe incendii atque ruinæ restitutum, cum prius ad gloriam S. Erasmi Episcopi sub die XXV. Septembris Festum dedicationis coleretur, in crastino demum Christi Transfigurationis ab Angelo Baronio Catareno Antistite ad honorem S. Athletæ Secundi, F. Dominico C. de Urceis Monasterii Præfecto, ac D. Petro Bono rogantibus, consecratum est atque Indulgentiis exornatum anno Domini M. DC. VIII.* Ipse Codalius est, quo Præfecto consecratum a *Baronio* Episcopo Templum legimus. Religionis vota emisit Baronius in Veneto S. Dominici Cœnobio. Ecclesiæ *Catharensi* in Dalmatia datus est Antistes a Clemente VIII. anno 1604. Ad Sedem postea *Fossæ Clodiæ* in Æstuariis Adriacis transfertur anno 1611. munere Pauli V. De Viro Clarissimo agitur in Selectis Monumentis Conventus S. Dominici Venetiarum.

 Post

Post Zachariam obtinuit anno 1640. vicariam Præfecturam in Cœnobio *Bartholomæus Pisanus*. Documentum in Archivo adservatur consignatum *anno Nativitatis Millesf. Quingentesimo Quadragesimo secundo, Indictione Quintadecima, die Lunæ sexto Mensis Novembris:* in quo *Bartholomæus Pisanus*, nuncupatus *S. Theologiæ Magister*, & *Vicarius Generalis S. Secundi Venetiarum*, contractum init cum Bartholomæo de Passis Bergomate *super quadam minera*.

Tabularum partem refero: " In Christi nomine Amen. „ Anno Nativitatis ejusdem Milles. quingentesimo quadragesimo secundo, indictione quintadecima, die lunæ sexto Mensis Novembris. Constitutus coram me „ Notario, & testibus infrascriptis Ser Bartholomæus de „ Passis de Bergomo quondam Ser Joannis Petri, narravit, & exposuit: sibi a Venerabili in Christo Patre, „ & Sacræ Theologiæ Magistro, D. Fratre Bartholomæo „ Pisano, Vicario Generali Conventus Sancti Secundi „ Venetiarum Ordinis Prædicatorum, datam fuisse notitiam de quadam Minera: & non habens idem Ser Bartholomæus, ut asserit, modum faciendi huc Venetias „ conducere ipsam Mineram, supplicavit præfatum Venerab. Fratrem Bartholomæum, ut sibi dare velit auxilium & favorem tam de pecuniis, quam de personis „ pro faciendo conducere aliquam partem dictæ Mineræ „ &c. Actum Venetiis in confinio Sancti Hieremiæ, domi habitationis suprascripti Ser Bartholomæi; præsentibus ibidem Ser Jacobeto Albanensi q. Ser Petri Barcharolo ad tragitum Margariæ, & Ser Joanne Andrea „ q. Ser Boni deputato super coloribus ad officium Magnificorum Dominorum Provisorum Communis, testibus vocatis, & rogatis. Ego Angelus de Calvis q. „ Ser Joannis ... Notarius præmissa rogatus scripsi. "

Hunc Codalius eumdem facit, ac *Bartholomæum Spinam*, patria Pisanum, moribus ac litteris ornatissimum, qui Cathedram Theologiæ in via Sancti Thomæ Patavii moderabatur. Universitatis Patavinæ monumenta favent, hac de re Doctissimo Jacobo Facciolato in hæc mihi verba rescribente: " Anno MDXXXVI. VII. Kal. „ Decembris, Fr. Mag. Bartholomæus Spina Pisanus Ord. „ Prædicatorum observantium, ad Theologiam ex doctrina divi Thomæ tradendam conductus. Florenis 80.

„ An-

„ Annó MDXLI. Proreſtor Artium, & Conſiliarii, „ Univerſitatis nomine, litteris ad Triumviros V. Idus „ Jan. datis queruntur, Mag. Spinam toto anno *Religio-* „ *nis ſuæ negotiis* detentum gymnaſio abſtinuiſſe; itaque „ rogant, ut eo abdicante, ſufficiatur Mag. Paris de Cin- „ gulo Picenus Ordinis ejusdem, quem ajunt ab univer- „ ſo Cœnobio commendari. Contra anno MDXLII. „ Mag. Spina queritur apud Magiſtratum, ſtipendia ſibi „ negari, quamvis muneri ſuo minime deeſſet: quod cu- „ juſmodi ſit, Triumviri quærunt a Rectoribus Civitatis „ per litteras V. Kal. Januarii datas. Anno MDXLV. „ cum Magiſter Spina Romam migraſſet, Sacri Palatii „ Magiſter a Pontifice dictus; loco ejus V. Kal. Novem- „ bris ſuccedit Fr. M. Sixtus de Medicis ex eodem Or- „ dine. “

Quæ *negotia Religionis, ac Ordinis*, in allatis Patavinæ Univerſitatis monumentis indicata, detinerent anno 1541. occuparentque Bartholomæum de Spina, aliquo modo patefacit Dominicus Codalius in ſua Inſulæ Sancti Secundi Hiſtoria. Hæc habet latine reddita: “ Hoc anno „ 1540. (1541.) titulo Vicarii generalis Cœnobiolum „ Sancti Secundi regebat Bartholomæus Spina Piſanus: „ (adeoque anni partem Patavii moderaturus Cathedram „ Theologicam traducebat, partem in Inſula cum Fra- „ tribus.) Die 20. Septembris ad habitum Ordinis rece- „ pit Salvatorem Brixianum, qui poſtea in ſacris concio- „ nibus plurimum valuit ... Venetiis diſceſſit Bartholo- „ mæus, Lucam profecturus, ut Clementem Pontificem „ adiret .... Abſente Bartholomæo, prædictus Salvator, „ tametſi Bartholomæo repugnante, Bononiam auſu- „ git .... Egitque, ut Venetum Sancti Secundi Cœno- „ bium, Provinciæ Romanæ alumnis ademptum, Pro- „ vinciæ utriusque Lombardiæ, Bartholomæo nequidquam „ renitente, addiceretur. “ Accuratam digero Chronographiam, quam, Codalii verba implexam reddunt. Lucenſe Bartholomæi de Spina iter ad annum 1541. pertinet: Pontifex, non *Clemens VII.* ſed *Paulus III.* teſte Rainaldo ad eumdem Annum num. 49. *die* 27. *Auguſti ex urbe Roma diſceſſit*, & *die* 8. *Septembris Lucam ingreſſus eſt*, *ubi die* 19. *ejusdem Menſis commorabatur: elapſoque aliquot dierum intervallo Bononiam petiit*, *indeque Romam*. Itaque expeditis cum Paulo III. negotiis,

Ve-

Venetias eodem anno 1541. desinente remigraverat Bartholomæus, suamque de stipendiis negatis apud Triumviros querelam obtulit. Iterum eodem Bartholomæo absente, anno scilicet 1542. ob eas, quas Patavii lectiones Theologicas tradebat, Bononiam aufugit Salvator Brixianus: impetravitque, quod animo molitus erat, ut Sancti Secundi Cœnobium Provinciæ utriusque Lombardiæ addiceretur.

Hæc lucide probant, diligentissimum Echardum labi referentem, *Thomæ Badiæ ad purpuram evecto*, *Sacri Palatii Magistrum a Paulo III. dictum fuisse Spinam anno* 1542. *mense Julio*. Repugnant etiam Patavina monumenta apud Thomasinum, & Facciolatum, quæ hanc illi anno 1545. conlatam dignitatem enarrant. De serie Magistrorum sacri Palatii minus accurata egimus lato sermone in dissertatione Critica *de Sancti Thomæ Commentariis in Evangelia secundum Matthæum, & Joannem*: quam consule. Patet vero, postremum qui ex alumnis Romanæ Provinciæ Cœnobium Sancti Secundi regeret, fuisse Virum clarissimum, Bartholomæum de Spina Pisanum.

V. *Series Præfectorum Cœnobio, ex Provincia utriusque Lombardiæ.*

Præfectorum Cœnobio, quos ex ea *Lombardiæ* Provincia adsumptos nosse potuimus, series est quæ sequitur. *Joannes* Clodiensis. *Vicariam* hujusce præfecturam cum anno 1541. illigat Codalius loco superius citato: quo tamen tempore Cœnobio præfuisse Bartholomæum Spinam Pisanum vidimus. Is vero cum majori anni parte, ratione Cathedræ Patavinæ, Venetiis, & Insula abesset, eodemque anno, Paulum III. invisurus, Lucam adierit, suas in Cœnobiolo regendo vices potuit præfato Joanni demandasse. Rem ipse Codalius narrat.

M. D. XLIII. *Joannes Forestus*. Cum esset professione *Ariminensis*, inter alumnos Veneti *Sancti Secundi* Cœnobii cooptatus fuerat anno 1549. ut ex Libro I. Consiliorum Conventus *Sancti Dominici* patet, quem olim Dominicus Armanus, ejusdem Cœnobii alumnus, humanissime communicavit.

M. D. XLIV. *Franciscus* de Colonia. Locus est in agro Vicentino.

M. D. XLV. *Thomas jura* Venetus.

M. D. XLVI. *Franciscus* Clodiensis.

D. D. XLVII. *Franciscus* de Colonia iterum.

M.D.XLVIII.

M. D. XLVIII. *Daniel* Pratensis. Nomen Ordini dedit in Provincia *Romana*. Inter Alumnos *S. Dominici* Venetiarum connumeratum legimus in Libro I. Consiliorum citato, anno insequente 1549.

M. D. XLIX. *Alexius* Comensis.

M. D. LII. *Daniel* Pratensis iterum.

M. D. LV. *Franciscus* de Colonia tertium.

M. D. LVI. *Hieronymus Trivisanus*. Is de Patricia inter Venetos gente, habitum Ordinis accepit a Stephano Usumaris *die 22. Septembris anni* 1532. quo idem Stephanus, postea Magister Generalis, Cœnobii *S. Dominici* præfecturam gerebat. Anno revertente professionem emisit, Præside Cœnobii *Angelo Bragadeno*. Prior ipse Trivisanus Cœnobium anno 1554. rexit: regimenque *S. Secundi* anno 1556. obtinuit. Veronensibus post Aloysium Lippomanum datus est Antistes a Pio IV. anno 1561. die 15. Januarii. Tridentina in Synodo mortem obiit anno insequente, die 9. Septembris.

M. D. LVII. *Gaspar* Venetus.

M. D. LVIII. *Andreas* Venetus.

M. D. LIX. *Gaspar* Venetus iterum.

M. D. LX. *Andreas* Venetus iterum.

M. D. LXIV. *Ambrosius* Mediolanensis. Anno Superiore Chrysostomus Venetus, Præfectus Cœnobio *S. Dominici*, habito Fratrum Consilio die 11. Junii, instaurandam *S. Secundi* Ecclesiam decernit juxta exemplar *a Joanne da Zon*, Cæmentariorum Præfecto in Veneto Navali, delineatum. Hæc habentur in citato Libro I. Consiliorum. Instaurationi primus admovit manum ipse Ambrosius Mediolanensis.

M. D. LXVII. *Egidius Lucanus*, seu de Luco.

M. D. LXIX. *Chrysostomus* Venetus, jam supra memoratus.

M. D. LXXI. *Aurelius Avogadrus* Venetus.

M. D. LXXIV. *Salvator* Brixianus: quo operam dante, cum adhuc tiro esset, Bartholomæi Spinæ tempore, Cœnobium *S. Secundi* regimini Lombardorum subjicitur, Codalio teste.

M. D. LXXVI. *Gaspar* Venetus tertium.

M. D. LXXVII. *Raphaël de Cignano*.

M. D. LXXX. *Chrysostomus* Venetus iterum.

M. D. LXXXII. *Dominicus Insulanus* Pisaurensis. Fuit Bononiæ Fidei Quæsitor.

M. D. LXXXIII.

M. D. LXXXIII. *Raphaël de Cignano* iterum.

M. D. LXXXV. *Gregorius de Porchia*.

M. D. LXXXVI. *Chrysostomus* Venetus tertium.

M. D. LXXXVII. *Joannes M.* de Montagnana.

M. D. LXXXVIII. *Innocentius* Venetus.

M. D. LXXXIX. *Angelus Baronius*, postea *Catharensis*, deinde *Clodiensis* Antistes.

M. D. XCI. *Joannes M. Cappalla* Salutiensis, de quo plura Jacobus Echardus Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum.

M. D. XCII. *Innocentius* Venetus iterum. Hoc anno cum in Cœnobio S. Dominici, visitationis causa, degeret *Hippolytus Maria Beccaria*, Magister Generalis Ordinis, nonnulla decreta tulit, quorum alterum, ac tertium ad cultum *S. Secundi* pertinent, undecimum ad regimen Cœnobioli. Duo priora hæc habent: *Quod tum de die, cum de nocte ardere faciat* (Vicarius) *lampadem ante Corpus & Reliquias gloriosi Martyris S. Secundi, qui illam Insulam protegit, & elegit suam. Quod Festum ejus, si Dominica prima Junii fieri nequaquam potuerit, fiat in aliqua Feria sive die Dominico sequentibus & vacantibus a Patribus in eodem loco stantibus. Quod Fratres in eo loco permanentes celebrare debeant Octavam dicti Martyris, ad instar Octavarum Sanctorum nostri Ordinis. Quod in Conventu S. Dominici Venetiarum eadem Dominica prima Junii celebrent sub Festo duplici Officium de dicto S. Martyre*. Decreti undecimi verba sunt: *Inhærentes Litteris alias & de anno* 1542. *& Mense....* (quo tempore Bartholomæus Pisanus Cœnobium regebat) *a Reverendissimo P. Magistro Ordinis P. F. Alberto Casaus bonæ mem. factis: & eas confirmantes, unimus & incorporamus, & unitum & incorporatum declaramus, eum Locum S. Secundi Conventui præfato S. Dominici Venetiarum, immediate ipsum subjicientes Priori & Præsidenti dicti Conventus pro tempore existenti*. Ex Libro I. citato Consiliorum. Jam patet, Cœnobium *S. Secundi*, quod immediato Magistrorum Generalium arbitrio subjecerat *Joannes de Fenario*, Præfecturæ *S. Dominici* addictum fuisse ab Alberto Casaus: eamdemque ratam habitam esse unionem ab Hippolyto Becaria. Paucos post annos ad pristinam Generalium Magistrorum curam ipsum rediisse, infra notabimus.

M. D. XCV.

M. D. XCV. *Priscianus* Ferrariensis.

M. D. XCVI. *Andreas de Bedizzuolo* Brixianus.

M. D. XCVII. *Hieronymus Contarenus*. Patricia de Venetorum gente prognatus, habitum Ordinis induit die 26. Decembris anno 1580. Ob egregias dotes promotus est ad Ecclesiam *Justinopolitanam in Istria* a Clemente VIII. anno 1600. die 15. Maii. Venetiis gravissimis implicitus a Sede Apostolica injunctis muneribus, communi fato cessit anno 1620.

D. D. XCVIII. *Hieronymus Sacratus* Ferrariensis.

M. DC. *Serafinus Maurus* Vicentinus.

M. DC. II. *Bassanus Galliziolus*.

M. DC. IV. *Alexander Manerba* Brixianus. Viri Clarissimi virtutes, ac merita superiore Num. indicavimus.

M. DC. VII. *Dominicus Codalius*, Urceanus patria, vulgo *Orzi novi*, in agro Brixiano. Inter alumnos Veneti Cœnobii *S. Dominici* cooptatus est anno 1585. Pro domo *S. Clementis* Brixiensi professus fuerat. Plura ab ipso typis edita recensentur Opera in Monumentis Selectis ejusdem Conventus Capite XVI.

M. DC. IX. *Hieronymus Rusca*. Alumnus Cœnobii S. Dominici, Angelo Baronio ad Sedem *Clodiensem* translato, *Catharum* Episcopus mittitur a Paulo V. anno 1611. Ecclesiam deinde *Justinopolitanam* Contareno viduatam adsumit regendam, munere Gregorii XV. anno 1620. die 29. Aprilis. Mortem obiit Venetiis, ut Naldinus in Corographia Urbis & Diœceseos Justinopolitanæ refert, anno 1630. die 15. Februarii.

M. DC. XI. *Hippolytus Maria Jupponus*.

M. DC. XV. *Angelus Constantinus* Brixianus. Hoc anno Præfecturæ *S. Dominici* detractum Vicariatum *S. Secundi*, immediatoque Magistri Generalis iterum subjectum regimini, legimus in Libellis Supplicibus ad Principem anno 1641. datis, qui in Archivo Congregationis adservantur. Mutati regiminis causæ fuerunt minutus Fratrum numerus qui divina persolverent officia, Ædesque pessumdatæ, nec unquam decenter instauratæ. Itaque Senatus consulto, a Præfectura *S. Dominici* avellitur Vicariatus *S. Secundi*: ejusque regimen Magistro Ordinis commendatur.

M. DC. XVII. *Hippolitus Maria Jupponus* iterum.

M. DC. XVIII. *Angelus Constantinus* iterum.

M. DC. XX. *Marcellus* Patavinus.
M. DC. XXII. *Thomas* Venetus.
M. DC. XXIII. *Marcellus* Patavinus iterum.
M. DC. XXVII. *Constantius Maria Verdellus*.
M. DC. XXIX. *Archangelus Mansuetus* Venetus, Provinciæ *S. Dominici* alumnus. Hoc eodem anno *Georgius Bovius* ex eadem Provincia *S. Dominici*, professione Patavinus, jubente Nicolao Rodulfio Magistro Ordinis, Præfecturam Insulæ & Cœnobii capessivit. Regulari observantiæ addictissimus, eam in loco adserere pro viribus nisus est: tenuitque regimen octo circiter annos.
M. DC. XXXVII. *Raimundus* Brixianus.
M. DC. XXXIX. *Hieronymus Maria Zambellus* Brixianus.

VI.
Provinciæ S. Dominici, Senatus consulto, idem Cœnobium adjungitur Series Præfectorum ex eadem Provincia.

Centum ferme annorum spatio Insulam, ac Cœnobium *S. Secundi* incoluere, rexeruntque Provinciæ *Lombardiæ* alumni, Præfecturæ *S. Dominici* primum subjecti, iterumque sub immediato Magistrorum Generalium constituti regimine. Novos incolas locus excepit e Provincia *S. Dominici* anno 1641. novumque regimen subiit, juri addictus ejusdem Provinciæ. Molestum nimis erat Magistris Generalibus, Viros idoneos deligere, qui Cœnobium regerent: eamque in eo disciplinam regularem profiteri vellent, quam servandam irrito conatu indixere tot alii Præcessores. Juri suo cedere *Nicolaus Rodulfius* cogitabat: ac rite cessit, eo ductus consilio, ut alicui Provinciæ Cœnobium adscriptum uberiore spirituali proventu regi posset a præsente, oculatoque Præfecto. Cæteris antepofuit Venetam *S. Dominici* Provinciam: simulque Venetiarum Duci ac Senatui, ut rem obtineret quam optabat, litteras dedit anno 1639. die 28. Septembris.

Supplices libellos *Marcus Ferrus*, tum Præfectus Provinciæ, simul obtulit, queis Conscriptos Patres enixe obsecrabatur, adductisque momentis suadebat eis, ut Rodulfii votis annuere dignarentur. Sibi quoque Principes Viros libellis aliis oblatis demereri nitebantur Lombardi alumni: itemque *Hieronymus Maria Zambellus*, qui Cœnobium regebat, illud hospitii loco concedi Fratribus debere proponebat, qui in *Orientis* Provinciis Veneto Dominio subjectis operam suam, laboresque, atque studia impendebant. Itum est in sententiam pro *S. Domi-*

minici Provincia, lato Senatus decreto anno 1641. die 17. Mensis Julii, quo in Præfecturam Provinciæ Marco Ferro successerat Antonius Basilius. Decrevere Patres: *Idem Cœnobium dictæ addicendum fore Provinciæ: Priores deinceps vocari debere, qui locum regerent: novum Priorem non ante loci possessionem adire, quam publicus obtineretur consensus: exteris demum quibuscumque loci incolatum interdict.*

Primus Cœnobii Prior nuncupatus est, ac institutus die 27. ejusdem Mensis & Anni *Josephus Maria Picinus*. Locum etiam ad mentem Principis declaraverunt *Prioratum*, ut vulgo dicimus, Patres Provinciæ in Comitiis Venetis in Cœnobio *SS. Joannis & Pauli* congregati, quæ anno 1643. celebrata fuere, Præside Antonio Basilio. Decreti verba sunt: *Instituimus in Prioratum ad instantiam Serenissimæ Reipublicæ Vicariatum S. Secundi de Venetiis: in quo non possint permanere, nisi Fratres nativi hujus Serenissimi Dominii juxta decretum ejusdem*. Idem Picinus, Vincentio Milano ad Sedem *Pharensem* translato, successit Episcopus *Caprularum* in Æstuariis Adriacis, ab Innocentio X. renunciatus anno 1645. Migravit e vita Venetiis anno 1653. sepultusque jacet apud suos in Templo *SS. Joannis & Pauli*.

M. DC. XLIV. *Secundus Marchesius*.

M. DC. XLVI. *Antonius Basilius* Patavinus.

M. DC. XLVII. *Zacharias Pitianus*.

M. DC. XLIX. *Georgius Righettus*.

M. DC. L. *Antonius Moretus*.

M. DC. LII. *Secundus Marchesius* iterum, qui nondum absoluto Præfecturæ biennio mortem obiit.

M. DC. LIII. *Zacharias Pitianus* iterum.

M. DC. LIV. *Bernardinus Petrogallus*.

M. DC. LVI. *Angelus Mansuetus*.

M. DC. LVIII. *Simon Salvietus*: cui adempta Præfectura, successit *Basilius Pica*, Regularis observantiæ in eo S. Secundi Cœnobio strenuus instaurator.

CAPUT XVI.

Ejusdem loci S. Secundi, quo tempore Sanctimoniales Benedictinæ eum incolebant, notitia, & conspectus.

I. *Historia vetusti Gynæc. S. Secundi a Dominico Codalio typis edita, compendio colligitur.*

AD remotiora demum tempora ascendimus, Insulæ, Domusque *S. Secundi* primum statum exhibentes, cum eo in loco degebant Benedictinæ Sanctimoniales. Lato Calamo hujusce vetusti Gynæcei Historiam scripsit sæpe laudatus Dominicus Codalius. Quæ ab ipso narrantur, pressiore calamo referre operæ pretium est. Narrat ille: ea in Insula, Patriciæ Bassorum Familiæ largitate, anno 1034. erectam fuisse Ecclesiam sub nuncupatione *S. Erasmi*, quæ cum adjuncta parva domo Virginibus Deo sub regula *S. Benedicti* militantibus tradita est. Locum ipsum, proventuum bonorumque penuria laborantem, *Vitalis Faletri* Ducis munificentia ditatum, donatione facta *anno M. LXXXIX. die VII. Septembris, Indictione XIII.* a Septembri incipiente: seque propriis oculis donationem legisse, cuidam Sententiæ insertam, latæ per Joannem Belegnum, & Fantinum Pizzamanum, qui Magistratum super aquis gerebant, *anno M. CCC. LXVIII. Indictione VI.*

Veteres Abbatissas numerat, quæ Sacri loci regimen tenuerunt, *Nellam* anno 1147. *Eufemiam* 1190. *Dalmatinam* 1211. *Gislam* 1222. *Florigeniam* 1237. Sub hujus Præfectura delatum scribit ex Acta Pompeja integrum Corpus *S. Secundi* Martyris Astensis, qui palmam sub Adriano Imperatore consecutus est: adeoque priore, quæ hactenus obtinuerat, *S. Erasmi* nuncupatione relicta, novo titulo *S. Secundi* nuncupari Insulam, Ecclesiam, & Gynæceum cœpisse. Vetustam Epigraphem, quæ rei memoriam servat, his verbis in Tabella exaratam profert. *Serenissimo Jacobo Theupolo Venetiarum Principe imperante, hic Civitatem Pedemontanam Asta nuncupatam obsidione atque armorum vi cepit, deprædavit, peneque destruxit: Corpus S. Secundi ex ea abstulit, Venetiasque in Insula S. Erasmi non sine quibusdam prodigiis a Cælo divinitus ostensis collocavit. Anno Domini M. CC. XXXVII.*

Bel-

Bellum iſtud, ac prælia in Pedemontio ea tempeſtate a Venetis geſta alto ſilentio premunt *Rerum Venetarum* antiqui, recenteſque Scriptores, exterique omnes quos evolvere licuit: ſilent quoque obſidionem *Aſtæ* a Theupolo Principe, aut Veneto exercitu factam, ſilentque delationem exuviarum divi *Secundi Martyris*, quanquam diligentiſſime Sacras Reliquias in Urbem Venetiarum, ac in Inſulas adjacentes illatas memorant. Hæc tamen omnia jure ac merito adjudicari Theupolo Duci debuiſſe, Codalius Auctor eſt. Tum quia Aſtam, (inquit ille,) expugnavit *Petrus* Ducis Filius, quo tempore Mediolanenſi Prætura ornabatur. Tum quia in illa militari adverſus Fridericum II. Imperatorem expeditione Veneti plures numerabantur. Quidni vero Principi, ac Patri ea tribuantur, quæ geſſerunt Filius, ac Subditi? Ita ille.

Neque his repugnare contendit vetuſtum Monumentum, in Archivo Sanctimonialium *SS. Coſmæ & Damiani* adſervatum, in quo legitur: " In Civitate Aſta „ fuiſſe *Venturorum* familiam: eoſque pecuniæ cupidos „ *S. Secundi* corpus, quod a pluribus annorum centuriis „ ſub humo reconditum jacebat: furtim ſublatum, Ve- „ netis Mercatoribus vendidiſſe: ac in ſceleris pœnam „ viros omnes ejus Familiæ præter novem morte ſubla- „ tos eſſe, ac altero in lucem edito alterum perire." Id nempe pro certo habet Codalius, facillime fieri in urbis obſidione, ac direptione potuiſſe, ſibi ſuæque ſaluti duntaxat Civibus conſulentibus.

Locum incolere nova *S. Secundi Martyris* appellatione inſignitum, perrexerunt Virgines Benedictinæ, quæ ab regulari diſciplina temporum decurſu deflectentes, vitam laxiorem ducebant, decori, ac profeſſioni diſſonam. Ad meliorem frugem eas revocavit *Marina Celſa*, animo excelſo & moribus probatiſſimis fœmina, quæ Monaſterium *SS. Coſmæ & Damiani* a fundamentis erexerat, Virginibuſque *S. Secundi* Abbatiſſa anno 1482. data fuerat. Regulari obſervantiæ reſtiterunt plures: eam aliæ amplexatæ ſunt. Sed ipſas demum ad *SS. Coſmæ & Damiani* locum transferri, juſſit mandavitque Princeps. Hæc Dominicus Codalius.

II.
Epocham nuncupationis S. Secundi ab eodem Codalio conſtitutam Autographa Documenta vertitunt. Nomina quædam Abbatiſſarum.

Inſulam itaque, Eccleſiam, ac Ædes titulo *S. Eraſmi* primum nuncupatas, tum nova *S. Secundi* appellatione poſt annum 1237. inſignitas, nihil hæſitans narrat ille.

Pro-

Proſtant vero in Archivo Cœnobii Autographa quamplura Inſtrumenta, quorum primum integro ſeculo excedit annum definitum: in quibus *Eraſmi* quidem titulus, at ſimul etiam *Secundi*, imo ſæpius *S. Secundi* duntaxat conſtantiſſime legitur. Originales Tabulas attento oculo, attentaque mente vidi, & excuſſi omnes: quas hoc loco ſatis fuerit indicare cum Chronicis earum notis, ac verbis ſolummodo, quibus loci nuncupatio exprimitur.

I. *Milleſ. Centeſimo Triceſimo octavo Menſe Julio Indictione prima ... De infra lacu Sanctorum Martyrum Secundi, & Eraſmi ... vobis Domine Ayche Abbatiſſe ſupraſcripti Monaſterii*. Documenti ætatem habes ſeculo anteriorem Epocha per Codalium ſtatuta: ac habes *Aycham* Abbatiſſam, quam ipſe reticet in Catalogo, quanquam diligentius Archivi se chartas propriis manibus revolviſſe, propriiſque luſtraſſe oculis teſtatur.

II. *Milleſ. Centeſimo Quadrageſimo ſeptimo Menſe Januario Indictione undecima ... Quod Domina Nella Abbatiſſa S. Secundi*. Hanc Nellam recenſet primam Abbatiſſam laudatus ſcriptor. Annus 1147. enunciatur more Veneto, qui Julianus eſt 1148.

III. *Milleſ. Centeſimo Quadrageſimo nono Menſe Julio Indictione duodecima ... Martinus Presbyter de Monaſterio Sancti Secundi de Rivoalto pro Inveſtitione de Nella Abbatiſſe ejuſdem Monaſterii*.

IV. *Mileſimo Centeſimo Nonageſimo primo Menſe junio Indictione nona .... Quod Fumia Dei gratia Monaſterii Sanctorum Martyrum Eraſmi atque Secundi Abbatiſſa*.

V. *Milleſ. Centeſimo Nonageſimo ſecundo Menſe Novembri Indictione undecima .... Offero dicto Monaſterio S. Secundi tempore D. Fumie Abbatiſſe ejuſdem Monaſterii*. Græco more Indictio numeratur a Calendis Septembris præcedentis.

VI. *Milleſimo Centeſimo Nonageſimo tertio Menſe Madio Indictione undecima ... Vobis Domine Fumie Dei gratia Monaſterii Sanctorum Martyrum Eraſmi atque Secundi*.

VII. *Milleſ. Ducenteſimo ſecundo Menſe Decembri Indictione ſexta*, (a Calendis Septembris numerata.) *Quod Fumia Dei gratia Monaſterii SS. Martyrum Eraſmi atque Secundi ... Abbatiſſa*.

VIII. *Milleſ. Ducenteſimo quinto Menſe Aprili Indictione octava ... Domine Euſemie Abbatiſſe Cœnobii Sanctorum*

rum Secundi & Erasmi. An *Eusemia* dici eadem, ac præcedens *Fumia* debeat, non adeo certum.

IX. *Millesf. Ducentesimo vicesimo secundo Mense Septembri Indictione undecima* (græco more) .. *Domine Gisle*... *Abbatisse Sanctorum Martyrum Erasmi & secundi*.

X. *Millesf. Ducentesimo Vicesimo tertio Mense Novembri Indictione duodecima* (græco more) .... *Domine Florigenite Dei gratia Monasterii Sanctorum Erasmi, & Secundi Abbatisse, quod voluntate & consensu Sororum ejusdem Monasterii, scilicet Gisle quondam Abbatisse*.

XI. *Millesf. Ducentesimo Tricesimo octavo Mense Madii Indictione undecima* ... *Vobis namque Floregenite Domine Dei gratia Sanctorum Martyrum Erasmi atque Secundi Abbatisse*.

In his undecim vetustis Instrumentis sexies Monasterium appellatur sub nuncupatione *Sanctorum Martyrum Erasmi, & Secundi:* bis legitur *Secundi, & Erasmi* titulus: ter denique appellatio occurrit *Sancti Secundi* tantum. Hanc etiam simplicem lego appellationem in diplomate, quod autographum in Archivo *SS. Cosmæ & Damiani* servatum, conspiciendum mihi humanissime tradiderunt Sacræ Virgines, datum *Venetiis Rivoalto* ab Alexandro Papa III. *per manum Gerardi S. R. E. Subd. & Not. VI. Idus Septembris Indictione X. Incarnationis M. C. LXXVII. Pontificatus anno XVIII.* Inscriptio est: *Alexander Servus Servorum Dei, Dilectis in Christo Fusce Abbatisse S. Secundi de Venetia, ejusque Sororibus*. Quæ pariter *Fusca* Abbatissa in Codalii Catalogo desideratur. Nemo itaque non videt ejusdem Scriptoris lapsum, qui anno duntaxat 1237. contendit, Insulam nostram, ac Ædes titulo *S. Secundi* appellari cœpisse. Quid? quod Chartam infra dabimus omnium vetustissimam, seculo undecimo scriptam, in qua utriusque divi, *Secundi*, & *Erasmi* nuncupatio occurrit.

Quæ sequiore ævo confecta sunt Instrumenta, eademque in Archivo adservantur, unam *S. Secundi* nuncupationem exhibent. Quatuor profero, quæ reperire licuit.

I. *Millesimo Ducentesimo Sexagesimo sexto Mense Septembri die nona intraute Indictione decima* ... *Vobis namque Viole Abbatisse Dei gratia Monasterii S. Secundi de Venetiis*. Ubi græco more usurpatur Indictio.

II. *Millesf. Ducentesimo Septuagesimo secundo die quinta*

ta intrante Mense Septembri Indictione prima (juxta Græcos) ... *Vobis Domine Viole Dei gratia Abbatisse Monasterii S. Secundi Castell. Diocesis*.

III. *Millesi. Ducentesimo Octogesimo nono Mense Februario ... Nos Agnes ... Abbatissa S. Secundi Martyris Diocesis Castellanæ*.

IV. *Millesimo ducentesimo Nonagesimo septimo Mense Januario die penultima Indictione decima ... Religiosa domina Soror Agnes ... Abbatissa Monasterii Sancti Secundi*.

III. *Expenditur Epigraphe, qua nititur Codalii Historia. Direptiones variæ Civitatis Astensis. Rumor de Corpore S. Secundi Venetias delato. Ejusdem epigraphes falsitas ostenditur.*

Hæc vetusta certæ fidei Monumenta lucem afferunt, quo examen inoffenso pede instituere valeamus *Epigraphes* in Tabella descriptæ, quæ totius Historiæ a Codalio adornatæ momentum est. Antiquissimam, si qua foret, perquirere studuimus: eamque invenimus paullo ab ea diversam, quam ipse Codalius profert. Sic habet: *Serenissimo Jacobo Theupolo Venetiarum Principe imperante anno M. CC. XXXVII. Hic Civitatem Pedemontanam Ast nuncupatam obsidione atque armorum vi cepit, deprædavit, peneque destruxit: Corpus S. Secundi ex ea abstulit, in Venetiasque portavit, & in Insula tunc Erasmi collocavit, non sine quibusdam divinitus prodigiis cælitus ostensis: & ex tunc cœpit vocari Ecclesia fabricata Sanctorum Erasmi, & Secundi*. Postrema hæc verba apud Codalium, & in Tabella recentiore desiderantur: & alia quædam politiore sermone efferuntur.

Narrat Codalius, novam *S. Secundi* duntaxat nuncupationem anno 1237. obtinere cœpisse, priore *S. Erasmi* in desuetudinem abeunte: contra vero in Epigraphe legimus, *ex tunc cœpisse vocari Ecclesiam fabricatam Erasmi, & Secundi*. Sed utramque falso obtrudi, allegata antiquiora documenta evincunt, quorum octo *Erasmi simul & Secundi*, & quatuor *Secundi* tantum titulum exhibent: eamdemque solius *S. Secundi* appellationem habent, quæ post annum 1237. data sunt Instrumenta. Tam certus, compertusque error fidem omnem Epigraphi demit.

Præterea obsidionis Astensis, ac ipsius Astæ Civitatis captæ, ac pene destructæ, eaque data occasione sublati Corporis *S. Secundi Martyris*, & Venetias delati, (quæ omnia *Jacobo Theupolo* Duci tribuuntur,) altissimum silentium apud Historicos veteresque Chronistas, gravem ingerit suspicionem, quam arguta Codalii responsio non elevat. *Petrus*, inquit, Ducis Jacobi Filius cum Prætor

esset

esset Mediolani, ac Veneti sub eo militantes prædicta omnia perfecere. An noverit ille, quæ cæteri silent, ac ignorabant? Primum oppono Andream Dandulum, Serenissimum Ducem Venetiarum, ac diligentissimum Seculi quartidecimi Scriptorem, in Chronico hæc habentem Libro X. Capite V. Parte IX. ad Annum IX. Theupoli Ducis, qui majori cum parte anni Christi 1237. concurrit: *Tunc Petrus Theupolo Ducis natus, Potestas Mediolanensium, cum ipsis & eorum amicis contra Federicum progreditur, qui per districtum Brixiæ omnia destruebat: sed fluvio interposito minime prælium commiserunt. Tandem Mediolanenses revertuntur, & dum nihil mali suspicarentur, Federicus cum militia sua eos prævenit: & facto in eos impetu apud Turrim novam, multos ex eis cepit, plures occidit. Sed & Potestas prædictus captus est cum Carrocio, quem Federicus damnavit ad mortem.* Carrocium appellabant Itali Vexillum totius exercitus præcipuum, quod in Curru impositum a quatuor Boum jugis trahebatur, magnaque cura a lectis Militibus servabatur in præliis. Gesta hoc loco habes Petri Theupoli, præliaque conserta in agro Brixiensi: nullam vero Civitatis *Astæ* obsidionem, prælia nulla in Pedemontio: ac latam denique sententiam capitis in Petrum.

Exteri Scriptoris, Gualvanei de la Flamma, testimonium addo in Manipulo Florum, seu in Historia Mediolanensi, quam typis vulgavit in Collectione Rerum Italicarum Muratorius. Ait ille Capite CC. LXX. *Anno Domini M. CC. XXXVII. Petrus Comes de Zarra & Tripolis, Filius Ducis Venetiarum, fuit LX. Potestas Mediolanensis. Isto anno Mediolanenses cum Carrocero* (idem est atque Carrocium) *intrant Lomelinam die tertio Junii. Omnes pontes, Terras, & Villas destruunt: & quintadecima die Augusti Lomellum, & Garascum expugnant. Pontem novum Padi, quod est juxta Orium ceperunt.... Tunc Imperator super Brixiam militat, Montem-Clarum destruit, & in Ponte-Vico castra sua figit. Quod audientes Mediolanenses ad locum Minervi ex opposito Imperatoris cum suo Carrocero pervenerunt, ubi per tres Menses Imperatori resistunt ....* Imperator *fecit præconizari, quod exercitus ejus Cremonam iret, & ipse in quodam nemore latitavit juxta Curtem-Novam. Mediolanenses vero, quorum consuetudo semper fuit inordinate ad bella procedere,*

 ac si-

ac sine omni ordine ad propria remeare; audito quod Imperator Cremonam ivisset, turmatim, & sine ordine, & armis, cantando domum redeunt: quos Imperator aggrediens, manu armata percutit. Potestatem Mediolanensem cum D. Militibus, & Peditibus CC. cepit; ultra DC. equos habuit circa Festum S. Michaëlis quodam die Veneris. Præter ea, quæ in agro Brixiano gesta sunt, memorat Auctor factas in tractu *Laumellinensi* depopulationes, Laumellumque, & Garascum expugnata: neque ullam *Astensis* obsidionis, quæ obtruditur, mentionem ingerit.

Hocce obsidium alto silentio premunt Chronica Astensia, inter Scriptores Rerum Italicarum edita a Muratorio Tomo XI. tametsi diligentissime infortunia narrentur, quæ Astæ Pompejæ per hæc tempora acciderunt. Chronici primi auctor est *Ogerius Alferius* ex nobili Gente in Civitate Astensi prognatus. Hæc legimus: *Anno Domini M.LXX. Nono Kalendas Maii Civitas Astensis capta fuit a Comitissa Alaxia: & ab ea tota succensa fuit de anno M. XCI. decimoquinto Kalendas Aprilis ... Anno Domini M.C.XXXVII. facta est contentio & discordia magna inter Episcopum Landulphum & Ecclesiam Astensem ex una, & Cives Astenses ex altera: & anno M.C.XXXV. tertio Idus Septembris Civitas Astensis destructa fuit incendio quasi tota per Nazarium Episcopum Estensem & Ecclesiam Astensem .... Anno Domini M. C. LV. Kalendis Februarii Civitas Ast destructa fuit incendio quasi tota per Federicum primum Imperatorem*. Alia bella, aliæque narrantur clades absque ulla Astæ obsidione, ac direptione. *Anno Domini M. CC. XXX. die inter Festum S. Johannis, & S. Petri de Junio, Mediolanenses cum viginti tribus Civitatibus guastaverunt, & combatterunt Posse Astense per tres dies usque Valegiam, & usque ad Nantem*. Hinc gradum Chronista facit ad *annum Domini M.CC.LV.* quo *Thomas Comes Sabaudiæ incepit guerram cum Commune Astensi, auferendo Astensibus Burgum Cherii*.

Hæc repetit, aliaque addit Scriptor Chronici II. *Guillelmus Ventura*, & ipse Astensis, quem anno 1250. circiter natum conjicit Muratorius. Narrat ille Capite XXV. *antiquos actus Lombardorum*, quos inter instituto conferunt sequentes. *Astensis Civitas capta fuit & destructa anno M. LXX. undecimo Madii. Et anno M.C.I. Asten-*

sis

sis Civitas pene tota succensa fuit ... Anno M.C. XXIII. quarto Kal. Julii fuit bellum inter Marchionem Raynerium Montisferrati, & Cives Astenses: in quo terga verterunt Astenses. Anno M. C. XXXVII. facta est magna discordia inter Episcopum Astensem, & Cives Astenses ... Anno M. C. LIV. secundo Septembris fuit bellum inter Marchionem Montisferrati Guilielmum, & Cives Astenses: in quo Marchio terga vertit confusus. Anno M.C. LVII. Fredericus Rex ingressus est Civitatem Astensem, qui multis Turribus obrutis, & incendiis factis abiit .... Anno M. C. LXXVII. Sexto Februarii Cives Astenses obsederunt Castagnolas & ceperunt: & eodem anno obsedit Rex Fredericus Civitatem Astensem. Aliis deinceps bellis, præliisque impliciti Astenses fuere, quin obsidione cingeretur Asta, aut ulla inferretur eidem clades. Demum *anno M. CC. XXXVII. Fredericus* (II.) *Imperator apud Curtem-Novam congressus cum Mediolanensibus, cepit eos cum Carrocio, & Potestate*. Tot Astæ obsidia, Astensium bella, clades etiam habemus diligentissime litteris tradita: direptionis vero in *Epigraphe*, quam expendimus, memoratæ vola nulla, vestigium nullum. Inter Codices MSS. Regii Taurinensis Athenæi recensitos, ac typis editos anno 1749. Tomo II. vulgata prostant nonnulla Historiæ Astensis Fragmenta. Pag. 315. hæc habentur: *Anno Domini* 1230. *Civitas Astensis a Federico Imperatore* (II.) *multa damna passa est ... Eam per quinquaginta octo dies obsederunt stricte .. & villas & castra circum ... incenderunt, & vastaverunt: & forsitam Civitati similiter fecissent nisi &c.* Quo etiam loco occurrit nihil, quod Epigraphes fidem furcillet.

Verum illa nutat etiam ejusdem Epigraphes pars, quæ *S. Secundi* exuvias anno 1237. translatas prodit in Insulam nostram: eaque occasione novo titulo *S. Secundi* nuncupatam Insulam tradit. Præter ea, quæ allegata sunt momenta, ex vetustis deprompta Monumentis; dubium accedit in confirmationem, quod Astenses pervaserat, de Corpore S. Martyris ante notatum annum per Venetos furtim sublato. Documentum refert Ughellus in Guidoto Astensium Episcopo, consignatum *anno Domini M.CC. XII. Indictione XV. die Martis VII. Kal. Aprilis*. " Quo anno „ cum fama vulgaretur, (verba sunt,) *S. Secundi Martyris*, „ Astensium præcipui Patroni, Corpus Venetiis esse; ali-

„ qui ex Canonicis Ecclesiæ ejusdem Sancti, nimirum „ Alardus Præpositus, Michaël, Blandus Scarampus, Guillelmus de Novara Albertus de Cathena, Conradus de „ Platea, & Magister Artesius investigare decreverunt: „ num forte aliqua fraude sublatum fuisset. Id quod sunt „ executi modo in Acto publico descripto. “ Documentum istud inter memorata Fragmenta tribuitur Julio Falleto de Rebus Astensibus. Notas Chronicas corrigunt Continuatores Bollandi, ac legendum jubent: *Anno Domini M. CC. XIII. Indictione I.* quod ex enunciata *die Martis VII. Kal. Aprilis* colligunt: insignitus quippe annus 1213. incedebat littera Dominicali F. quæ *diem Martis* indicat eo incidisse anno in diem 26. Martii. Illud etiam animadverte, famam apud Astenses vulgatam fuisse, non tum primo *S. Secundi* corpus Venetias delatum, sed illud *Venetiis* jam *esse*.

IV. *Expenditur documentum, quod in Archivo servant Virgines Benedictinæ SS. Cosmæ & Damiani. Quamplures difficultates contra fidem ejusdem.*

Fide Epigraphes tot momentis concussa, expendendum aliud restat Membraneum documentum, quod Codalius citat, ac servant in Archivo Sanctimoniales *SS. Cosmæ & Damiani*. Illud ipsum videre, ac describere mihi licuit. Partem ejus Italice redditam Codalius vulgavit. Sic habet vero. “ Gloriosi S. Secundi Corpus in Capsa plumbea reconditum sub terra Trecentis Triginta Tribus „ annis in Civitate Astensi, cujus est Patronus, absconditum stetit. Postea vero divina inspiratione repertum „ ac propalatum fuit, plurimaque solemnia celebrata. „ Cumque ea res fama divulgaretur, a multis Orbis partibus ad visitandum devotum Corpus populi conveniebant. Et in Civitate numerosa Familia erat ex Venturis cognominata. Contigit, ut nonnulli Mercatores Veneti eo evaderent: factaque conventione, quidam ex „ dicta Familia clam Corpus abreptum ipsis Mercatoribus „ pretio tradiderunt. Quod scelus ubi patratum est, illico mors in eos sævire cœpit, itaut ex tanto numero „ novem solum superfuerunt. Cum unus oritur, alter „ perit. Hujusmodi maledictio, quæ Christi Crucifixoribus supervenit, pluribus hujus generis data est. Mercatores emptum Corpus Venetias portantes, collocare „ decreverunt in Canaregio, in Templo S. Hieremiæ. „ Qui cum frustra ad Ripam applicare tentassent, depositis remis, Cimbam undis commiserunt. Tandem nullo „ gubernaculo Cimba pervenit ad locum, ubi nunc Cor-

„ pus

„ pus repositum est. Erat ibi tunc temporis exiguum Mo-
„ nasterium cum pusilla Ecclesia Sancto Erasmo dedica-
„ ta: quod Religiosæ Mulieres possidebant. Novi Sancti
„ miraculis, plurimis eleemosynis donatum, atque ampli-
„ ficatum fuit. "

Primo animadvertenda ea verba occurrunt: *Erat ibi tunc temporis exiguum Monasterium*; quæ hocce monumentum satis indicare videntur sequioris ævi fœturam. Quæ sequuntur alia verba, *cum pusilla Ecclesia Sancto Erasmo dedicata*, tempora notant, quibus Ecclesia illa sub unius *Sancti Erasmi* nuncupatione vocaretur: quæ tamen authenticis documentis certo definiri nulla posse, jam vidimus. Veteres protulimus chartas, quæ Insulam, Monasterium, & Ecclesiam jam ab anno 1138. titulo *Sancti Secundi* appellata produnt: neque tamen hanc primam adserere appellationis epocham licet, cum vetustiora præsto non sint monumenta, quæ rem patefaciant.

Hæc scripseram, cum summa Amplissimi Senatoris Flaminii Cornelii humanitate, videre mihi licuit, ac describere apographum vetustissimi diplomatis, a *Vitale Faletro* Duce datum seculo undecimo ad finem vergente. Verba sunt: " In nomine Domini dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, *anno ab Incarnatione* ejusdem Redemptoris
„ nostri *Millesf. Octuagesimo nono*, Mensis Septembris,
„ Indictione *tertiadecima*, (a Septembri incipiente,)
„ Rivoalti. Si quis namque aliquid pro amore Dei in San-
„ ctis Ecclesiis offerre desiderat, & perficit, magnam &
„ claram mercedem aquirit in die judicii. Quapropter
„ nos quidem *Vitalis Faletro* de Domini Dei gratia Dux,
„ & Imperialis Protosevastos, prævidentes Ecclesiam *San-*
„ *cti Secundi*, *&* *Sancti Erasmi* pauperrimam, & maxi-
„ ma necessitate coactam, & qui in ea habitaret de in-
„ troytu ejusdem Ecclesiæ se non posse sustentare damus,
„ & afferimus in eamdem pauperrimam Ecclesiam, unum
„ *Fundamentum* de nostro Palatio, situm in Luprio, cum
„ suo censu, & *quintello*, & cum sua aqua, & cum om-
„ nibus suis pertinentiis de intus, & foris &c. Et hæc
„ offersionis charta perpetuis temporibus manet in sua
„ firmitate. ✠ Ego Vitalis Faletro dei gratia Dux m.
„ m. SS. " *Fundamentum*, quod dono datur, intellige fundum quemdam: & *quintellum* in Statutis Venetis dicitur *quintum quinti pretii*, seu quinta pars partis quintæ.

Col-

Collige, Ecclesiam qua de agimus, ab initio non solum *Sancti Erasmi* titulo nuncupatam esse, sed etiam *Sancti Secundi*: fabulamque nobis cecinisse canoram Codalium, qui *Sancti Secundi* appellationem ad seculum detrudit tertiumdecimum.

Sceleris pœna in documento enunciata de morte raptoribus Sacri Corporis inlata, *novem exceptis*, deque obitu unius altero in vitam emisso, fabellam olet, quam vetulæ excogitaverint, scripseritque nimium credulus, qui membraneam chartam exarabat. *Trecentorum triginta trium annorum*, qui post absconditum Sacrum Corpus fluxisse dicuntur usque ad ejusdem inventionem solemni pompam celebratam, latet initium, latet etiam finis. Codalio pro arbitrio licuit, tot annos numeratos prætermittere *pluresque annorum centurias* generatim exprimere; *che gia tante centinaja d' anni era stato sotto terra sepolto*.

Apud Ughellum in Josepho Episcopo Astensi prostat diploma Caroli Crassi, datum 3. *Idus Januarii anno Incarnationis Domini* 883. (legendum vero, 84.) *Indictione secunda*, in quo mentio habetur Cathedralis *Ecclesiæ, quæ constructa est in honorem Sanctæ Mariæ semper Virginis, & Sancti Secundi, ubi ejus humatum corpus requiescit*. Aliud affertur in Bruningo diploma, Hugone regnante, anno 938. scriptum: quod *actum* dicitur *in suburbio Civitatis Astensis, non multum longe ab Ecclesia Sancti Secundi, ubi ejus Sacrum Corpus quiescit*. Hinc deducit Ughellus, eodem sub Antistite Sancti Martyris reliquias in propriam Ecclesiam translatas. An hanc indicet solemnitatem Venetum documentum? Adversa videntur, quæ diplomata sequuntur. Ejusdem Bruningi Episcopi ætate, Otto Imperator in diplomate, quod datum legitur 8. *Kal. Octobris anno Dominicæ Incarnationis* 962. *Indictione sexta*, privilegia confirmat. *Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ Astensis Episcopii, atque Beati Secundi ubi Corpus sacrum digne ac reverenter humatum quiescit*. In alio diplomate, quod ipse Octo 14. *Kal. Junii anno Incarnationis Domini* 969. concessit Rozoni Episcopo, appellatam legimus *Ecclesiam in honorem Sanctæ dei Genitricis semper Virginis dicatam, ubi Sacratissimum Corpus Sancti Secundi humatum quiescit*. Sed in Petro II. habetur diploma Henrici III. Regis, & Imperatoris 7. *Idus* Fe-

Februarii anno Dominicæ Incarnationis 1041. *Indictione* 9. in quo absque ulla *Sancti Secundi* mentione privilegia confirmantur, concessa *Sacrosanctæ Astensi Ecclesiæ in honorem Sanctæ Virginis Mariæ dicatæ*. Hinc Bollandi Continuatores arbitrantur, Sancti Secundi Corpus ex ea Ecclesia ante annum 1041. in propriam translatum fuisse Sacram ædem. An hujusce translationis tempore, furto Sacrum Corpus fuerit sublatum, traditumque Venetis? Obscura ego, & incerta dixerim hæc omnia: nec enim quæ verba diplomatum allata sunt, locum certo indicant, ubi per ea tempora Sancti Secundi Corpus adservaretur.

Attamen ad ipsam summam rei, Venetam scilicet sacri Corporis translationem, quod attinet, eo in Monumento descriptam: nihil esse quisque fateatur quod rem impossibilem reddat, aut certe de industria excogitatam evincat. Novimus enim, sub Guidoto Astensi Episcopo vulgatam anno 1213. famam, *Sancti Secundi* Corpus non Astæ, sed *Venetiis esse*: adeoque perquisitionem factam, num aliqua fraude Sacræ Reliquiæ sublatæ fuissent. Novimus etiam, eamdem suspicionem, Scipione Damiano regimen ejus Ecclesiæ tenente, anno 1471. obstrepuisse de sacris exuviis, jam furto e crypta sublatis, delatisque Venetias, ac in Insula nostra adservatis.

V.
Conjecturæ, & animadversiones in eam, quæ fertur, Sacri Corporis translationem in Venetam Sancti Secundi Insulam.

Tot inter tenebras, quæ Sacri Corporis in Insula nostra adservati obscurissimam translationem faciunt, conjecturas aliquas proferre liceat, & animadversiones. Ac primum non abnuerim ego, vetustissimis temporibus in eadem Insula Sacram aliquam extasse ædiculam, *Sancto Erasmo* dicatam. Hæc prima conjectura ex eo desumitur, quod omnes fere vetustæ superius indicatæ Chartæ Monasterium enunciant sub titulo *Sancti Erasmi*: ipsumque frequentius præponunt *Sancto Secundo*. Erasmum intelligo Episcopum & Martyrem, qui pro fide Christi enecatus *Formiis* obiit in Campania, cujus utique cultum toto diffusum orbe Christiano, ostendunt Bollandi continuatores ad diem II. Junii: ipsumque vetustæ in Cœnobio picturæ, *Episcopum* repræsentant, *Martyremque* vocant memoratæ quamplures Notariorum tabellæ.

Facile præterea conjecerim, ab eo tempore, adulto scilicet undecimo seculo, quo *Bassorum* gens Virginibus Benedictinis ea in Insula erexit Monasterium, pristinæ *San-*

cti

cti Erasmi nuncupationi adjectum fuisse titulum etiam *Sancti Secundi*. Vetustæ Chartæ quas indicavimus, ac omnium vetustissima anno 1089. scripta, ad idem Monasterium pertinentes, appellationem *Sancti Secundi* habent omnes. Qua id vero de causa contigerit, lux clara affulget nulla. Num fortasse ansam dederit peculiaris observantia, qua vel *Bassorum* gens, vel primæ Benedictinæ Virgines inibi Inclusæ, erga divum afficerentur? Id fuerit divinare. Num vel ea remota ætate Sacrum Corpus, nomine *Secundi* insignitum, in eam Insulæ Ecclesiam inlatum fuerit? Quis dixerit sine teste.

Attamen pro certo, compertoque habendum videtur: ante annum 1213. jam publico expositum cultui in Insula nostra fuisse Corpus, quod *Sancti Secundi* nomine appellabatur. Rem ponere extra dubium videtur *fama*, quæ anno illo sub Guidoto Episcopo apud Astenses *vulgata fuit, Sancti Secundi Astensium præcipui patroni Corpus Venetiis esse*. Hac etiam ætate, invalescente *S. Secundi* cultu, fieri potuit, ut *Sancti Erasmi titulus* prætermitti cœperit, ac unus usu constanti retentus fuerit *Sancti Secundi*; quod ejus ævi Chartæ evincunt.

Pro indubio quoque id habendum esse putaverim, Sacri Corporis exuvias minime Venetias translatas fuisse in Insulam, Jacobi Theupoli ætate, qui ducatum ab anno 1229. tenuit ad annum usque 1249. Argumenta quæ superius attulimus, peremptoria sunt. Haud inepta conjectura tamen fuerit, fabulæ excogitandæ occasionem datam ex ejusdem Sacri Corporis depositione, quæ fuerit eo tempore facta, in loculo decentiore. Ad illam ætatem pertinere fertur lignea Capsa, inauratis sculpturis, picturisque intus & extra ornata, cujus partes aliquas adhuc servant in loco Fratres, quem *Capitulum* appellamus. In eadem visitur picta *Sancti Antonii Patavini* imago: unde certo colligimus, constructam eam fuisse post annum 1232. quo ipsum Gregorius IX. albo Sanctorum inscripsit. Hinc facer invaluit *Sancti Secundi* cultus: eoque tempore translationem ejus contigisse, posteri crediderunt.

Quis ille vero fuerit *Sanctus Secundus*? Ferrarius in Indice ad Catalogum Sanctorum Italiæ, sic ait: *Secundus Martyr, & patronus Ameriæ* (in Umbria) 1. *Junii. Corpus Venetiis in propria Ecclesia, vel Ameriæ in propria* Ec-

Ecclesia. Sed in Notis ipse Ferrarius *tradi* observat, *Corpus Sancti Secundi in Ecclesia Eugubina servari*. Adnotant Bollandi Continuatores ad diem 1. Junii, de possessione reliquiarum Sancti Martyris certasse plures Civitates, *Ameriam*, *Eugubium*, *Pergulam*, *Tuscanellam*. Indubium ergo fere videtur, hujusce divi Corpus in Insula nostra non haberi.

Ultro fatentur Astenses in Historia Manifestationis Reliquiarum Sancti Secundi anno 1471. num. 5. *Sancti Secundi, non Militis & Martyris, sed verius Episcopi & Confessoris* coli, & esse *Venetiis juxta laudabile & probabile multorum testimonium*. Hunc Sanctum *Secundum Episcopum* Ughellus numerat quarto loco inter Astenses. Equidem ex urbe Asta Sacrum aliquod Corpus Venetias translatum fuisse videntur circumstantiæ quædam suadere, quas fabulis immixtas exhibent Veneta monumenta. Translationem contigisse indicat vetusta Epigraphe inter bella & clades, quibus Asta urbs præmebatur: & hæc utique suprema infortunia narrant Chronistæ Astenses ad annos 1070. & 1091. & 1135. & 1155. vel 1157. & 1177. Implicitosque bello demum Astenses *contra Marchiones Savonæ, sive Finarii, dictos de Carreto*, legimus in Fragmento Historico Francisci Turzani de Castronovo Tomo II. Regii Athenæi Turinensis, ab *anno* 1210. *usque ad annum* 1220. Mirum non foret, inter civium tumultus, Cleri & populi discordias, obsidiones urbis & clades, Sacri Corporis reliquias auferri potuisse.

In alio, quod Benedictinæ *Sanctorum Cosmæ & Damiani* Virgines adservant, monumento animadversione dignissima est mentio *Familiæ ex Venturis cognominatæ*, quam Astæ floruisse certo scimus. Apud Muratorium inter Scriptores Italiæ Tomo XI. exstat Chronicon Astense *Guillelmi Venturæ*, qui suam ad annum 1325. duxit historiam: & *Secundini Venturæ*, qui seculo decimoquinto scribebat. In Fagmentis memoratis occurrit ad annum 1230. quidam *Thomas Ventura* Astensis: & ad annum 1157. dicuntur *Nobilium de Venturis* aliqui periisse in urbis direptione. Hinc vero haud inverisimilem Veneta narratio, aut traditio se prodit: cives aliquos Astenses, eosque *de Venturorum familia*, pecunia corruptos a Venetis Sacrarum Reliquiarum venatoribus, furto Sacrum Corpus abstulisse, quod in Insulam nostram deportatum fuerit.

Sacrum *Sancti Secundi* Corpus, non *Episcopi*, *& Confessoris*, sed *Militis & Martyris*, possidere se credunt Veneti. Vetustæ, quas indicavimus, Chartæ, quæ seculo undecimo, & insequente, ac tertiodecimo scriptæ sunt, *Sanctum Secundum Martyrem* constantissime habent. De Sancto Martyre furto sublato apud Astenses dubitatio invaluit anno 1471. sub Scipione Damiano Antistite; imo & longe antea sub Guidoto anno 1213. vulgata fama fuit de eodem Sancto Martyre Venetiis adservato.

Nolim ergo curiosius perquirere, num *Damianus*, & *Guidotus* ea perfecerint omnia, quæ videri necessaria possent, ut dubium quod ingestum fuit, omnino excuteretur. In ea perquisitione, quæ sub Damiano peracta fuit, testimonium adhibetur *Venerabilis cujusdam Sacerdotis*, *in Asta* (anno 1471.) *degentis*, *qui in Monasterio Sancti Secundi* (Venetiis) *plerumque in divinis deserviendo fuit conversatus*, *perbibentis*: *Caput illius Sancti Secundi*, (qui nostra in Insula colitur,) *non esse decollatum a corpore*, *prout bujus Sancti Secundi Militis decollatum fuisse apparet*, *& ita Sancta confitetur Ecclesia per suam sacram bistoriam*. Nonne vero Sacerdos ille, qui Astæ degebat, hæsitantibus Civibus illis favere voluerit, ac illud etiam testari quod forte ignorabat? In divinis quidem deservierit ille in Veneta *Sancti Secundi* Ecclesia: an vero de Capite, quod junctum Corpori in Sarcophago adservabatur, decollato, vel non, certum perhibere testimonium potuerit? Verum pro animi candore ultro etiam fateor, vix probari certo posse, sejunctum a nostro corpore fuisse Caput, quod gladio decollaverit Carnifex: cum sacræ exuviæ non ita facile ex primo transferri in alterum, ac in tertium loculum marmoreum potuerint, absque ulla earum læsione. Damus etiam libenter, reliqua duo *gladii*, & *calcarium insignia*, quæ in loculo nostro conspiciuntur, satis non esse ut Corpus Sancti *Militis & Martyris Ordinis Equestris* pro certo habeatur; cum eadem probari vetustissima nequeant, ac formæ sine dubio longe diversæ calcaria adhiberent Veteres, ut Montfauconius docet, in supplemento ad Antiquitatem explicatam Tomo IV. Libro II. Capite IV. num. III.

In Monumento apud laudatas *Sanctorum Cosmæ & Damiani* Sanctimoniales adservato, Veneta translatio contigisse dicitur, data cujusdam solemnitatis occasione, quam

ob

ob Sacri Corporis Inventionem celebraverint Astenses, *post annos trecentos, quibus reconditum sub terra, & absconditum steterat*. Bollandi Continuatores allegavimus arbitrantes, ante annum 1041. ex priore Crypta translatum in aliam fuisse Ecclesiam *Sancti Secundi Martyris* corpus. An ergo hoc circiter tempore Veneta translatio acciderit? Dicendum foret, *Bassorum* gentem, cultus & observantiæ causa erga sacras exuvias tunc translatas, Ecclesiam in Insula erexisse, eamque cum Monasterio Virginibus tradidisse Benedictinis: aut certe jam erectam Ecclesiam sacris exuviis, quæ eo circiter tempore translatæ fuerint, locupletare voluisse: adeoque Insulam, quæ pridem *Sancti Erasmi* vocabatur, vocatam deinceps esse etiam *Sancti Secundi*, ut vetustæ Chartæ testantur.

Mirum attamen videri posset, toto illo, quod ab anno 1041. fluxerit ad annum 1213. spatio temporis, nullam apud Astenses de Sacro Corpore erepto ingestam fuisse dubitationem. Verum & illud denique ex Astensium fide constat, minime anno 1213. dubitationem ingestam de Sacro Corpore, quod tunc sublatum fuerit: sed famam utique vulgatam, Sancti Martyris corpus jam *Venetiis esse*. Quidni præterea potuerit *Astæ* aut seculo desinente duodecimo, aut ineunte decimo tertio aliqua in divi honorem solemnitas celebrari, tametsi in monumentis historicis quæ præsto sunt prætermissa: eaque data occasione, Sacrum Corpus a Venetis ereptum fuerit, ut in Patria sicuti *Sancti Secundi* Martyris Ecclesiam, ita Corpus haberent? Hæc in medio relinquo omnia, ne plus æquo traditioni Venetæ addictus videar.

CAPUT XVII.

Privilegia in præsidium Instauratæ disciplinæ concessa. Erectio Congregationis sub titulo Beati Jacobi Salomonii. Studium, sive Collegium institutum. Apostolica Alexandri Papæ VII. confirmatio.

I. *Regularis observantiæ in quinque Cœnobiis instauratæ laus Jo: Baptistæ de Marinis. Privilegia ab eodem concessa.*

SAtis vetustis illustrandis monumentis operam dedimus. Ad nova instauratæ disciplinæ conlata præsidia recensenda, advocamur. Severiorem vitæ rationem, quam

ad Regulæ normam amplexati fuerant, diligentissime colebant *Forojulienses*, *Farenses*, *Justinopolitani*, & *Veneti* in Æde *Sancti Secundi*, & *Rosacienses* alumni: eorumque studia eo dirigebantur omnia, ut periculis amotis, validius erecta firmaretur disciplina.

Cavendum erat, ne aliquando Præfecti eligerentur in Cœnobiis, qui severioris disciplinæ officiis minus addicti, nec ea servarent ipsi, nec aliis peragenda indicerent. Observantiæ molem, tot annorum spatio ac laboribus erectam a Viris probatissimis, brevi tempore vel unus homo demoliri facile poterat. Periculum omne, postulantibus Cœnobiorum alumnis, arcendum procul censuit *Jo: Baptista de Marinis*, Generalis Magister Ordinis: datisque litteris inhibuit, ne ullus prædictis in locis eligeretur Præfectus, qui non ante Regularem professus esset observantiam, eidemque plurium experimento annorum sese addictum non probasset.

Litterarum verba sunt. " Nos F. Jo: Baptista de Marinis S. Th. Professor Ordinis Prædicatorum humilis
" Magister Generalis & Servus. Strictam exactamque Regulæ & Constitutionum nostrarum observantiam, sicuti ubi ea Favente Numine introducta est, fovere ac promovere satagimus: Ita quantiscumque illam præsidiis muniamus, nullum ex iis fore superfluum judicamus. Proinde cum in nostra S. Dominici Venetiarum Provincia aliquot jam Conventus, propitiante Altissimo, prætactæ Sacræ Observantiæ laudabilem rigorem feliciter admiserint; peculiari solicitudine prospiciendum ducimus, ne ibidem ille aliquando ob Prælatorum sive imperitiam, sive exiguum erga ejusmodi disciplinam affectum relaxetur. Quod periculum ut præcaveatur, Harum serie nostrique auctoritate Officii constituimus, volumus, & ordinamus: quod in illis Conventibus supra memoratis, hoc est exactæ Observantiæ deputatis, non possit eligi vel institui Prior, qui non prius per biennium ad minus ibi vel alibi sub ejusdem accuratæ Observantiæ exacta disciplina religiose vixerit: seque eidem serio addictum usu ipso, atque experimento immediate ante per spatium temporis jam prescriptum comprobarit. Quod si secus factum fuerit, totum ex nunc pro tunc irritum, cassum, & inane decernimus & declaramus. Quibuscumque in

" con-

„ contrarium non obstantibus. In quorum fidem &c. „ Dat. Romæ VII. Januarii M. DC. LXI. F. Jo: Baptista de Marinis Magister Ordinis. Reg. fol. 145. F. Bernardinus de Venetiis Magister & Socius. "

Ita nempe periculis, quæ suboriri ex parte Præfectorum Cœnobiis poterant, consultum est. Alia duo timebantur incommoda: quorum alterum Præfecti Provinciæ auctoritate, alterum subditorum importuno discessu poterant inferri. Instauratæ disciplinæ sedulo consulentes Alumni professores, præsidium, ac munimen postularunt a Generali Ordinis Magistro. Favit ille pro votis. " Inhibuit Præfectis Provinciæ, ne Fratres pro libito a „ Cœnobiis observantiæ removerent, ne alios quoscum„ que vellent ad ea mitterent, neve quidpiam demum „ innovarent, nisi prius obtenta in scriptis facultate Ma„ gistri Generalis. Tum etiam pœnam, quam vocamus „ *privationem vocis activæ & passivæ*, in eos intermi„ navit, qui a Cœnobio discederent: exuendosque veste „ scapulari jussit Fratres Conversos ejusdem ausi reos. " Litteræ datæ sunt *Romæ die XXIV. Septembris M. DC. LXI.*

II. *Erectio Congregationis sub titulo B. Jacobi Salomonii. Forma erectionis.*

Hæc omnia plurium annorum spatio, magnorumque impendio laborum, ad instaurationem primevæ disciplinæ in Provincia *S. Dominici* peracta sunt. Nondum vero satis ad perennitatem. Grex erat sine Pastore, quem de voce cognoscerent oves: ipsumque verbo, & exemplo præeuntem tuto sequerentur. Hunc sibi dari, vehementius optabant prædictorum Cœnobiorum alumni; ac novam erigi in eadem Provincia *S. Dominici* Congregationem, quam regeret *Vicarius* ab Ordinis Magistro Generali institutus, delectusque ex instauratæ Disciplinæ cultoribus.

Magno Regularis Observantiæ emolumento, præter Provincias, erigi cœperant in Ordine Prædicatorum Congregationes post annum 1390. quo eximii doctrina & probitate Viri, promovente opus Raimundo de Vineis Capuano, Reformationi manum admoverunt. Hac de re, quantum satis instituto nostro, egimus Capite II. Non una vero erigendi Congregationes forma, ac ratio fuit. Avulsæ fuerunt aliquæ a Provinciis, detractæque Provincialium Præfectorum curæ, ac regimini. Alia fuit aliarum forma. Simul namque parebant ipsæ Præfecto Provinciæ, ac novo Vicario; inter utrumque diviso regimine,

ne, distributisque regiminis muneribus. Utriusque formæ Congregationes inspicere libet apud Fontanam in suo Constitutionum, & Capitulorum Generalium Volumine, Parte II.

Hujusce rationis *Congregationem*, ex quatuor Cœnobiis, *Forojuliensi*, *Favensi*, *Veneto S. Secundi*, & *Justinoppolitano*, ac *Rosaciensi Domo* erigendam, postulabant Alumni, cum minus displicere Præfectis Provinciæ posset, ejusdemque Provinciæ integritatem non infringeret. Morem gessit Jo: Baptista de Marinis: datisque litteris Congregationem erigit sub nuncupatione *B. Jacobi Veneti*, seu *Salomonii*: Petrum-Martyrem Degnam, regularibus disciplinis in Cœnobio *S. Secundi* egregie institutum, renunciat Vicarium Generalem: ac singula munera a novo Vicario, Præfectoque Provinciæ obeunda recenset. Litteras profero. " In Dei Filio sibi dilecto admodum " Rev. P. F. Petro Martyri degna Provinciæ nostræ S. Do-" minici Ordinis Prædicatorum, F. Jo: Baptista de Ma-" rinis S. Th. Professor ejusdem Ordinis humilis Magi-" ster Generalis & Servus salutem. Ingeniose observavit " Gilbertus Abbas, quod tametsi Lucæ XI. unicus tan-" tum commemoretur Fortis armatus, qui custodiat atrium " suum, omniaque ille in alta pace contineat; attamen " Canticorum III. circa Regium Salomonis lectulum " multiplicentur armati Custodes: & quidem numeren-" tur sexaginta Viri, iique delecti ex fortissimis Israël, " quibus illæ committantur excubiæ. Nempe, inquit Ci-" tatus Gilbertus, *uberior hic commemoratur custodia*, " *quia verior est gratia lectuli, quam atrii*. Quasi dicat: " si atrio ubi minor est a seculo quies, sufficit una sim-" plex custodia: at interiori cubili Salomonis, ubi sine " strepitu arctior Contemplantium silet recessus, multi-" plicandi sunt custodes, ne quid facile turbari, aut se-" cretioris Observantiæ quies possit interrumpi. Inde est, " quod & nos, quorumdam nostrorum in Provincia S. Do-" minici Conventuum arctiori Observantiæ, tanquam su-" perni Salomonis interiori cubili, suam quoque pervi-" gilem custodiam duxerimus multiplicandam: videlicet " ultra communes sui Provincialis excubias, peculiarem " ipsis addendo Custodem, seu Vicarium ex fortissimis " Israël, qui dictorum Conventuum securiori quieti, " immunitati, profectui cominus semper invigilet, ne

" quid

„ quid palam aut furtim irrepat, quod vel exactissimæ „ illic disciplinæ sacrarium contaminet, vel studiosioris „ contemplationis pacata exercitia relaxato aditu inter- „ rumpat. Quod quidem consilium eo fidentius luben- „ tiusque amplectimur, quo instantius ac opportunius „ hujusmodi saluberrima provisio, nostro Ordini tam „ intra quam extra Italiam haud peregrina vel inusita- „ ta, tum ab ipsismet illorum Conventuum Strictioris- „ que Observantiæ affeclis, tum ab aliis Viris conspi- „ cuis, atque gravissimis unanimi suffragio exoptatur. „ Quorum pio ac rationabili voto sic quidem annuere „ decrevimus, ut nihilominus supradictæ Provinciæ sua „ perstet inviolata membrorum omnium integritas, su- „ bordinatio, ac primæva compages; ita quod ex hac „ paucorum Conventuum sub uno Vicario nova conjun- „ ctione nulla eorumdem fiat a communi Provinciæ cor- „ pore disjunctio: nec proprii Vicarii ceu novi Custodis „ adjectio veterem Provincialis custodiam statione dimo- „ veat, sed adjuvet potius, fidoque sublevamine concor- „ diter suffulciat. Itaque Harum serie Te admodum Rev. „ P. Magistrum F. Petrum-Martyrem Degna præfatum „ absolventes prius, absolutumque fore censentes ab om- „ ni vinculo Excommunicationis, & quovis alio Eccle- „ siastico impedimento, si quo esses innodatus, ad effe- „ ctum præsentium duntaxat consequendum, auctoritate „ nostri Officii, & ad solum effectum Regularis Obser- „ vantiæ tuendæ ac promovendæ in nostris Conventibus „ S. Secundi, Civitatensi, Farensi, Rosaciensi, ac Ju- „ stinopolitano, ac si qui alii Conventus hujus Provin- „ ciæ successivo tempore eumdem arctioris Observantiæ „ rigorem fuerint amplexati, aut pro eadem noviter „ fundati, instituimus, damus, præficimus: institutum- „ que, datum, ac præfectum declaramus Vicarium Ge- „ neralem præmemoratorum Conventuum seu locorum, „ salva auctoritate Patris Provincialis pro tempore quo- „ ad annuam eorumdem personalem visitationem, & „ Priorum ibidem Canonicam confirmationem; ita ta- „ men quod ipse nullum inde Religiosum amovere, aut „ alium illuc assignare, vel usum ullius dispensationis in- „ troducere; aut aliquid eorum quæ ad accuratissimam „ & litteralem Constitutionum observantiam illuc in- „ troducta sunt, vel a Te tuisque Successoribus introdu-

„ cen-

„ centur, relaxare, moderari, revocare, aut quoquomo- „ do immutare possit. Cætera ad Te tuumque Officium, „ integro semper biennio a die captæ possessionis impo- „ sterum duraturum, pertinebit supradictis Conventibus „ & locis, tum habitis, tum habendis, speciali cura sem- „ per intendere : inferiores Officiales præmisso maturo „ Patrum consilio instituere, ac destituere: Fratres, assi- „ gnando vel depositando, ab uno ad alium Conventum „ transferre : Cultum divinum, Novitiorum educatio- „ nem, ac Scholarum exercitia ordinare : in ambiguis „ patulum ad Te refugium unicuique, tum Superiori, „ tum Subdito, ad hunc Vicariatum spectanti, præbe- „ re : Priorum tibi subjectorum œconomiæ invigilare : „ ejusdemque Sanctæ Observantiæ non solum firmita- „ tem, sed & incrementa, atque ulteriorem sub divino „ auxilio dilatationem ardentissime promovere. Porro ut „ in hujus excubitoriæ custodiæ ac vigiliarum labore, „ meritorum tuorum opulenta stipendia ex Obedientiæ „ thesauris feliciter duplicentur; præcipimus Tibi in vir- „ tute Spiritus Sancti, Sanctæ obedientiæ, sub formali „ præcepto: quatenus hoc onus, novumque Vicarii Offi- „ cium ad effectum, uti supra commemoravimus, in- „ cunctanter & sine replica in te suscipias: atque ex vi „ hujus muneris Tibi injuncti viis omnibus Regularis „ Observantiæ incolumitatem, progressum, quietem, ve- „ lut ad bella doctissimus fideliter propugnes: ensemque „ hunc, quem eo fine Tibi porrigimus, jugiter super „ femur tuum circumportes, ut te Custode semper in „ tuto sit is quem diximus, lectulus Salomonis. Sub „ eodem præcepto formali mandantes omnibus ac sin- „ gulis nostræ curæ subjectis, ut Te tanquam verum „ & legitimum Vicarium supradictorum Conventuum „ suscipiant & revereantur. In nomine Patris & Filii & „ Spiritus Sancti Amen. Quibuscumque in contrarium „ non obstantibus. In quorum fidem &c. Dat. Romæ „ die IV. Augusti M. DC. LXII. F. Jo: Baptista de Ma- „ rinis Magister Ordinis Reg. fol. 142. F. Bernardinus „ de Venetiis Magister & Socius. “

III. *Erectionem Congregationis irrito conatu impugnat Præfectus Provinciæ. Novæ Præfecturæ consensum præbent Alumni Forojulienses. Ambrosii Schozonski elogium.*

Vix Roma acceptum diploma, Regio placito firmatum est ad executionem *anno* eodem *1662. die 11. Augusti*. Rei notitia pervulgata, decrevit cum suis *Felix Bertonus*, qui Provinciam *S. Dominici* administrabat, adversum lit-

litteras Magistri Generalis agere. Supplicem Libellum Principis Majestati obtulit, " quo auctoritati suæ, Pro-
„ vinciæque integritati inferri detrimentum querebatur:
„ ac etiam violari significabat Senatus consulta, anno
„ 1641. die 17. Julii, & anno 1646. die 27. Septembris
„ data: adeoque postulabat, novam suspendi Præfectu-
„ ram debere, novique *Generalis Vicarii* potestatem, ac
„ munera cohiberi."

Repositum illico fuit: "Senatus consultum anno 1641.
„ latum integrum consistere: agi nempe in eo de Cœ-
„ nobio *S. Secundi*, quod Principis auctoritate adscriptum
„ fuerat Provinciæ *S. Dominici*: adjectasque, Principe
„ jubente, conditiones nec minui, nec tolli nova Con-
„ gregationis erectione, aut Vicarii Præfectura. Falso
„ allegari Senatus consultum anni 1646. illudque vocari
„ potius debuisse *decem Virum* decretum, quod ad rem
„ minime facit: quove Præfectorum Provinciæ facultas
„ de loco Fratrum disponendi adseritur, firmaturque.
„ Novam erigi in Provincia *S. Dominici* Congregatio-
„ nem a Generali Magistro Ordinis Prædicatorum, pro
„ jure quod ipsi procul dubio convenit, optimoque con-
„ silio tutandi ac promovendi Regularem Observantiam,
„ pluriumque adinstar Congregationum quæ intra, &
„ extra Italiam institutæ jam fuerant. Merito demum
„ ac rite litteras prædictas Regio beneplacito munitas
„ fuisse ad executionem: eisdemque præter fas omne in-
„ tercedere Præfectum Provinciæ *S. Dominici*." Momenta partis utriusque in frequenti amplissimo Cœtu libraverunt Conscripti Patres: latumque Senatus decretum eodem *anno die XVII. Septembris*; quo *rejiciendum Felicis Bertoni postulatum* decernitur.

Læti erant Alumni *S. Secundi* de victoria, quæ maximum Regulari disciplinæ emolumentum adferebat: eratque auspicium propagationis, & perennitatis. Missum diploma est, Regio firmatum placito, ad *Forojulienses* Alumnos, quorum consensus ob ea, quibus potiebantur, præclara ac peculiaria privilegia exposcebatur. Ultro lubentique animo consensere omnes: datique consensus Tabulæ scriptæ sunt *anno M. DC. LXII. die XX. Septembris*. Hisce vero subscriptos legimus *Marcum-Antonium Sternum Priorem*, *Ambrosium Radium*, *Dominicum Traversum*, *Hyacinthum Liniacensem*, *Hyacinthum Leitsperger Germanum*,

num, *Ambrosium Schoponski Novitiorum Magistrum*, *Antonium Pernigonum Subdiaconum*, *Hieronymum Zanuttinum*, *& Henricum Cudicium Clericos*, *Thomam-Antonium Masaium Tironem*, seu Novitium simplicem ut vocamus. Litteras easdem misit Sternus ad Fratres domus Rosaciensis, *Petrum-Martyrem Braidam loci Vicarium*, *& Hyacinthum Curtium*, qui totis ulnis eas amplexi sunt, seque novæ Præfecturæ sponte submiserunt.

Laudis commemorationem meretur *Ambrosius Schoponskius* Polonus, quem inter Forojulienses Alumnos connumeratum legimus. Plures annos in Congregatione legitimis imbutus fuit institutis: ipseque Tirones alios imbuit. In Patriam redux Joanni Sobieskio Regi Carissimus fuit, eidemque a Confessionibus. In Provincia Poloniæ erexit Congregationem sub Titulo *S. Ludovici Bertrandi*: quam Generalium Magistrorum studio promotam, & auctam *confirmavit*, *ac in perpetuum stabilivit cum juribus*, *gratiis*, *& privilegiis* consuetis *Augustinus Pipia* in Generalibus Comitiis Romæ anno 1721. celebratis, in quibus idem electus est Generalis Magister Ordinis.

IV. *Erigitur Studium sub titulo Collegii in Veneto S. Secundi Cœnobio. Litterarum peritia, ac reformati mores sibi mutuo prosunt. Epistolarum Dominici Peccioli fragmentum.*

Instaurata disciplina regulari, eademque in Congregatione validissimis præsidiis munita, studium promovendum erat Sacrarum litterarum, quæ firmitatem adferunt disciplinæ, & ab ista vicissim emolumentum accipiunt. Nulla vitæ ratio studiis aptior haberi potest, quam quæ a seculi strepitu semota, frugalitati ac rigori assueta, beatique otii plena, ad lectiones, meditationesque, improbosque studiorum labores facile disponit animum: neque ulla animi exercitatio magis proficua Regulari observantiæ, quam quæ in sacris litteris addiscendis, tradendisque tota insumitur.

Scientiæ, morumque nexum voluerunt Religionis nostræ propagatores: nihilque collapsæ disciplinæ instauratoribus antiquius fuit, quam litterarum cultum diligentius promovere. Hocce de argumento litteras junioribus quibusdam, qui Regularis observantiæ officiis in Veneto *S. Dominici* Cœnobio excolebantur, aptissimas dedit Dominicus Pecciolus Pisanus, pietate & eruditione conspicuus, ac Joannis Dominici in restituenda per Italiam disciplina regulari socius. Eas recitat Thomas Antonii Senensis ad Annum M. CCC. XCV. in MS. Codice,

de

de quo egimus Capite II. Pauca describere liceat, ut Viri probatissimi sententia pateat. " Charissimis Filiis „ & Fratribus, *Guillelmo*, *Laurentio*, *Thomæ*, & *Andreæ de Pisis*, Venetiis apud S. Dominicum de Castel„lo existentibus. Firmamentum vestrum, quod Deus „ est, lætificat animam: & in ipso exultavit spiritus meus „ per litteram vestram tam dulcem, tamque suavem.... „ Confirmet igitur Dominus, quod operatus est in vo„bis a Templo suo; qui elegistis potius abjecti esse in „ domo Sancta sua, quam in Tabernaculis peccatorum: „ ut dicere valeatis, *Lætati sumus pro diebus, quibus nos „ humiliasti*; humiles enim spiritu salvabit, & omnem „ populum humilem. Sapientibus non dico plura. Sed „ hoc oro super omnia, ut charitas vestra magis ac ma„gis abundet in scientia, non quidem quæ inflat, sed „ quæ ædificat: scientia quidem quam fundat bonitas, „ quam exigit disciplina. Otium sine litteris mors est, „ & vivi hominis sepultura. Igitur validissimi bellato„res, nemo vos seducat inanibus verbis, ut litterarum „ studia dimittatis. Hic ordo priscorum Patrum fundan„tium Ordinem, qui vocat mundum ad Agni nuptias: „ quibus datum est, semen Zizaniorum & hæresum pur„gare de agro cælestis Agricolæ: quibus collatum ab „ initio fuit docere, sed prius discere. " Tum tria distinguit, *honeste vivere*, *discere*, *ac docere*, quæ Religiosum virum maxime deceant: quæve docenda, atque discenda de *Artibus*, de *Historiis*, de *Sacris Bibliis*, monet ille, ac præscribit. Addit vero: " Tantum vobis ad me„moriam reduco, quod pauci in ista Religione sine „ scientia facti sunt Sancti: sed quotquot Sanctos habuit „ hæc Sancta Religio, in scientiis floruerunt. Hæc di„co perfunctorie: alias forte vivæ vocis oraculo latius „ enarrabo. Agite igitur viriliter, & confortetur cor ve„strum, qui speratis in Domino. "

Hæc habentes præ oculis Priscorum optima exempla Majores nostri, Studium instituí exoptabant in Congregatione: in quo juvenes ad habitum adlecti, incumberent in Scientias, postque absolutum curriculum prævio legitimo examine *Lectores* instituerentur: quive demum scientias profiterentur ac traderent, sibi ad *Gradus*, ut vocamus, viam pararent. Vigebat Patavii, hodieque viget in Cœnobio *S. Augustini* Studium Generale totius

Provinciæ *S. Dominici*. Ad illum mitti locum, ubi severa vitæ ratio ad legum normam composita non servabatur, tum juniores litteris excolendos, tum Lectores quos disponi ad Gradus oportebat, periculi plena res censebatur. Generalem Ordinis Magistrum, quem sibi toties benevolum experti fuerant, postularunt Patres, ut absque ullo Patavini Studii detrimento, Studium quoque in Congregatione sub *titulo Collegii* institueretur.

Simile Collegium erectum ante fuerat in Congregatione *S. Mariæ Sanitatis* in Cænobio *Montis Dei* Neapolitano, auctoritate Comitiorum Generalium, quæ Romæ anno 1650. celebrata fuere. Consuetudines plures, atque dispensationes in eo vigebant, quæ ad profectum Tironum in litteris aptæ videbantur. Hisce exceptis, eamdem Collegii formam Nostrates exoptabant: eorumque votis favit Jo: Baptista de Marinis.

Litterarum, quas dedit, verba sunt. " Fr. Jo: Baptista de Marinis S. Th. Professor Ordinis Prædicatorum
" humilis Magister Generalis & Servus ad perennem rei
" memoriam & firmitatem. Quam utiliter & decore
" Litterarum studia congruant statui Religioso, & præsertim nostro qui ad prædicandum, docendum, confutandasque hæreses peculiariter institutus est, nemo
" expressit luculentius, deduxit clarius, confirmavit validius ipso Angelico Doctore nostro, qui 2. 2. Q. 88.
" huic veritati quintum Articulum insumpsit integrum:
" nec de sola utilitate aut ornamento, sed plane de necessitate resolutoriam pronunciat sententiam, qua diserte affirmat: *Necessarium esse studium litterarum Religiosis ad prædicandum institutis*. Ne igitur novella
" Congregatio nostra B. Jacobi Veneti intra Provinciam
" nostram S. Dominici Venetiarum ad exactum Regularis Observantiæ rigorem specialiter coalita magno ac
" pernecessario isto litterariorum exercitiorum præsidio
" domi suæ destituatur; injecta est Nobis salubris cogitatio, ipsis quoque primariis dictæ Congregationis Patribus una cum suo Capite concorditer idem sollicitantibus, concedendi eidem juxta Ordinis usum & universalem in Provinciis praxim domesticum aliquod
" propriarum Scholarum Athenæum, non quidem sub
" forma titulove Studii Generalis, ne veteri hujus Provinciæ Generali Studio Patavino videamur aut dero-

" ga-

„ gare quidpiam velle, aut certe minus facere: attamen „ ſub nomine & jure Collegii pro ſolis tum Moderato- „ ribus, tum Fratribus Studioſis in dicta Congregatione „ arctioris Obſervantiæ tenorem ſive amplexis, ſive im- „ poſterum amplexuris; ita tamen ut hujuſmodi Colle- „ gii functiones & exercitia neminem ab exacta ibidem „ rigidioris diſciplinæ lege aut eximant, aut impediant, „ ſanctæque in omnibus uniformitati nullum ſubnaſcatur „ ex Scholaſtica occupatione detrimentum . Porro ad „ hunc effectum commodius pleniuſque conſequendum, „ de opportuno Prudentum Conſilio delegimus Conven- „ tum noſtrum S. Secundi prope Inclitam Urbem Ve- „ netiarum, ſiquidem & Inſula minus expoſita eſt occa- „ ſionibus diſtractionum , & tanti Emporii vicinitas fa- „ cilius admittit doctorum Virorum in publicis Actibus „ Litterariis neceſſaria commercia . Proinde Harum ſe- „ rie, noſtrique Officii auctoritate in prænominato Con- „ ventu noſtro S. Secundi , (falva ſemper tum unione „ Provinciæ, tum uniformi obſervantiæ rigore in Con- „ gregatione,) inſtituimus, damus, erigimus; inſtitutum- „ que, datum, & erectum declaramus Studium tam Theo- „ logicæ, quam Philoſophicæ Facultatis ſub Forma, no- „ mine , Privilegiis , & juribus Collegii Scholaſtici ad „ modum Collegii noſtri de Monte dei Neapoli in Con- „ gregatione Obſervantiæ S. Mariæ Sanitatis: ſic tamen „ ut in hoc novo Collegio nulli pateat aditus ſive do- „ cendi , ſive diſcendi niſi qui in præmemoratam Con- „ gregationem B. Jacobi Veneti rite prius fuerit admiſ- „ ſus & incorporatus: idque ſub nullitate omnimoda, ſi „ aliter ſubintravit. Denique admodum Rev. P. Vicario „ Generali ejuſdem Congregationis præcipimus in virtu- „ te Spiritus Sancti , Sanctæ Obedientiæ , ſub formali „ præcepto: quatenus ad formandum populandumque ſu- „ pradictum novum Collegium, diſcipulos ex ſuis quam- „ primum aſſignet profeſſores, ac Moderatores quos ſeor- „ ſim deputavimus ſuis ibidem functionibus admoveat : „ nihilque omittat , quod ad illius Collegii felix auſpi- „ cium, incrementum , & florem viderit pertinere . In „ nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Qui- „ buſcumque in contrarium non obſtantibus . In quo- „ rum fidem , his Officii noſtri Sigillo munitis manu „ propria ſubſcripſimus . Dat. Romæ in Conventu no-

„ ſtro

„ ſtro S. Mariæ ſuper Minervam die XXV. Menſis Apri-
„ lis anno M. DC. LXV. F. Jo: Baptiſta de Marinis
„ Mag. Ordinis. Reg. fol. 156. F. Bernardinus de Vene-
„ tiis Magiſter & Socius. "

Satis non erat Studium ſive *Collegium* in nupera Congregatione erexiſſe, niſi Statuta quoque præſcriberentur ad exercitationes Tironum apte dirigendas, *Moderatorum* quos vocamus diſtinguenda munera, rite inſtituenda examina, atque tempora lectionum officiorumque præfinienda. His omnibus provide, ac prompte conſuluit idem Magiſter Ordinis. Scriptum concinnavit, quod eodem anno 1665. *die XIV. Decembris* tranſmiſit, ſub hoc titulo: *Ordinationes & Statuta pro novo noſtro Collegio in Cœnobio S. Secundi juxta Venetias Congregationis noſtræ S. Jacobi Veneti Obſervantiæ Regularis in Provincia S. Dominici*. Duodecim Capita diſtinguuntur: eaque ſunt *de Rectore Collegii, de diſpoſitione cultus Divini & Chori, de primo Studii Moderatore, de ſecundo Moderatore, de Magiſtro Studentium, de Lectore Philoſophiæ, de lectione Morali, de temporis pro lectionibus & aliis Scholæ exercitiis diſtributione, de diſputationibus publicis tum annuis, tum menſilibus, de vacantiis, de examine Studentium & Lectorum, de horis ſtudii privati*.

Acceptis initio ſequentis anni 1666. mandatis lubenti animo obſequutus eſt, ut par erat, Hieronymus Picinus, qui *Vicariam* Congregationis Præfecturam gerebat. Generaliis Magiſtri litteræ, quibus *Collegii Regens* inſtituebatur *Bonifacius Maria Grandius*, & *Hieronymus Maria Caſtelfrancus Secundus Moderator* ſeu *Baccalaureus*, de more promulgatæ fuerunt coram cœtu Patrum *die XII. Menſis Januarii anno M. DC. LXVI.* eademque die numerus Collegialium, qui ſcientiis operam darent, definitus in Cœnobio *S. Secundi*. Ipſorum nomina refero, *Vincentii Buchi, Thomæ Mariæ de Roman, Petri Martyris Bertagnæ, Hieronymi Zanuttini, Antonii Pernigoni, Ludovici Zanuttini, Jordani Pauloni, Baſilii Ferri, Alberti Grappis, Thomæ Antonii Maſſai, & Vincentii Baldeſſari*. Munus *Bacalaurei* anno inſequente abdicavit Caſtelfrancus: ipſique ſuffectus fuit, Magiſtro Ordinis demandate, *Angelus Dominicus Guinigius*, Romanæ Provinciæ alumnus, moribus & litteris probatiſſimus, deque noſtra Congregatione optime meritus.

Ere-

Erectæ Congregationi, institutoque studiorum Collegio unum deerat ad firmitatem, Sedis Apostolicæ munimen. Alumnorum vota humanissime excepit Alexander Papa VII. quodve exposcebatur diploma, lubentissime largitus est. Accipe illud. " Alexander Papa VII. ad „ perpetuam rei memoriam. In sublimi Sedis Apostoli- „ cæ specula omnium Christifidelium commodis & uti- „ litatibus jugiter invigilantes, ea quæ pro felici Con- „ gregationum Virorum Religiosorum, vota sua Altissi- „ mo in Sanctitate & justitia redere satagentium, statu „ & progressu salubriter constituta atque disposita esse „ noscuntur, ut firma semper illibataque permaneant, „ Apostolici muniminis patrocinio libenter constabilimus, „ & alias opportune desuper providemus, prout ad Om- „ nipotentis dei gloriam ac Religionis incrementum ex- „ pedire in domino arbitramur. Exponi siquidem Nobis „ nuper fecerunt dilecti Filii Fratres Congregationis B. Ja- „ cobi Veneti Ordinis Prædicatorum, a dilecto Filio „ Magistro Generali ejusdem Ordinis in Provincia S. Do- „ minici Venetiarum erectæ & institutæ: quod alias idem „ Magister Generalis regularem Observantiam in dicta „ Congregatione stabilire, ejusque felici progressui pro- „ videre, & Litterarum studia promovere cupiens, bi- „ nas edidit patentes Litteras tenorum, qui sequuntur. „ (*Eas habes superius prolatas.*) Cum autem, sicut ea- „ dem Expositio subjungebat, præfati exponentes præ- „ missa, quo firmius subsistant & serventer exactius, „ Apostolicæ Confirmationis nostræ præsidio roborari, „ & alias opportune sibi ut infra a Nobis indulgeri sum- „ mopere desiderent; Nos specialem ipsis exponentibus „ gratiam facere volentes, & eorum singulares personas „ a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & In- „ terdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & „ pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel „ causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, „ ad effectum præsentium duntaxat consequendum, Ha- „ rum serie absolventes & absolutos fore censentes: Sup- „ plicationibus eorum nomine Nobis super hoc humili- „ ter porrectis inclinati, præinsertas binas memorati Ma- „ gistri Generalis patentes Litteras cum omnibus & sin- „ gulis contentis in illis, auctoritate Apostolica tenore „ Præsentium confirmamus & approbamus, illisque in-

V. Congregationis & Collegii confirmatio ab Alexandro Papa VII concessa.

„ vio-

„ violabilis Apostolice firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Præterea ne de cætero Fratres Professi Congregationis præfatæ ad Conventus supradictæ vel alterius cujusvis Provinciæ dicti Ordinis absque espressa Magistri Generalis ejusdem Ordinis pro tempore existentis licentia transire possint, auctoritate & tenore præsentis prohibemus & interdicimus. Decernentes, easdem præsentes, ac præinsertas patentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere & fore: suosque plenarios, & integros effectus sortiri ac obtinere: ac illis, ad quos spectat & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri debere: ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciæ, ac Congregationis hujusmodi etiam juramento, Confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, Cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XVI. Januarii M. DC. LXVI. Pontificatus nostri anno undecimo. S. Ugolinus. “

Dignum & æquum erat, ut erectæ Congregationis alumnis facilior primo tempore intercluderetur ad Provincias egressus, ne Fratrum numero mitioris vitæ illecebris minuto, grave detrimentum inferretur. Hæc erant Graviorum Patrum vota: hæc annuentis Pontificis mens, qui Congregationis confirmationi adjecit inhibitionem: *ne de Cætero Fratres Professi ... ad Conventus prædictæ*

(S. Do-

(S. Dominici,) *vel alterius cujusvis Provinciæ dicti Ordinis absque expressa Magistri Generalis pro tempore existentis licentia transire possint*. Hanc vero inhibitionem temporum decursu laxari oportuit Apostolica Innocentii Papæ XII. auctoritate, ut infra dicendum.

CAPUT XVIII.

Conlata Basilio Picæ Præfectura Veneti Cœnobii S. Dominici. Ejusdem abdicatio. Obitus Basilii in Insula S. Secundi.

I.

Regularem disciplinam asserendam curat Magister Ordinis in Veneto Cœnobio S. Dominici. Præficit eidem Basilium Picam.

Regularis observantia, tam bonis avibus quinque in locis, domibusque instaurata, & propagata, animos erexit Jo: Baptistæ de Marinis, Generali Ordinis Magistro, ut ampliora cogitaret ipse incrementa, quorum spem maximam faciebat Venetæ Reipublicæ prona, & optima voluntas. Volvebat animo, cœptam olim fuisse magno proventu in Cœnobio *S. Dominici Venetiarum* reformationem, dolebatque collapsam. Novæ Congregationis Alumnorum opera facile sibi suadebat, pessumdatam erigi disciplinam posse: ipsumque exstimulabat ad opus *Ambrosius Fracassinus*, Ecclesiæ *Polensis* in Istria Antistes anno *1663*. renunciatus, qui *Fidei Quæsitorem* plures annos eo in Cœnobio egerat contra Hæreticam pravitatem. Ex Patricia Brixiensi gente ortus, religionis vota in patria nuncupavit in Cœnobio *Sancti Dominici*. Moribus floruit, ac litteris: regularemque observantiam in Conventibus Murianensi, Bergomate, & Brixiano, quos *Prior* administraverat, sedulo promovit. In Veneto Sacræ Inquisitionis tribunali munus *Commissarii* egit: tum Fidei Quesitor Vicetiæ, deinde Venetiis renunciatus fuit. Ad insulas *Polenses* ipsum evexit Alexander VII. Fontanam consule in Theatro. Romam profectus, ut Pontificali ordinatione initiaretur, cum Generalem Magistrum inviseret, *ad Tribunal Christi provocabat* ipsum, *nisi Cælum novum, & terram novam in Veneto S. Dominici Cœnobio faceret*. Hæc legimus in Libello, quem ipse Generalis Magister Romæ tradidit *Petro Basadonnæ*, Equiti, ad Romanum Pontificem Veneto Oratori.

Conatus omnes exerendos censuit ille, ut novam vineam Domini Sabbaot plantaret. Basilium Picam delegit, quem Cœnobio præficeret: Virum in agendis negotiis dexterrimum, fervidumque severioris disciplinæ cultorem, ac Venetis Patribus morum suavitate gratissimum. Innotuit alumnis prædicti Cœnobii mens optimi Generalis: coactoque cœtu Patrum, quid agendum foret, nulla injecta mora proposuit, *Jo: Baptista Natalinus*, qui locum regebat. Malis occurendum scilicet, quæ Generalis Magistri iram exciverant, Patres decreverunt. Ita legere licuit in Libro II. Consiliorum, quem olim Dominicus Armanus humanissime communicaverat.

Optimum consilium brevi evanuit. Cœpto pergens Generalis scribi diploma jussit: misitque illud ad Basilium Picam, quem Cœnobio *S. Dominici* Præfectum instituebat, ut detritam legum observantiam instauraret. Litterarum verba sunt. " In Dei Filio sibi dilecto admodum Rev. P. Magistro F. Basilio Pica de Neapoli. „ Gloriosum Evangelistam Marcum pro multis encomiorum titulis laus ista singulariter commendat; quod quo „ erat in Religiosam vivendi normam affectu & Zelo, „ non modo primitivam Alexandrinorum Ecclesiam ad „ exactissimam Cœnobiticæ disciplinæ exemplar Santissime efformavit: sed insuper pro iis, quos arctioris Observantiæ tenuisset desiderium, Anachoretici instituti „ primam in Ægypto ideam delineavit: unde tota Ægyptiorum Monachorum Sancta propago uni Marco suam „ deberet originem, & venustatem. Certe si hoc studium fuit huic Evangelistæ adhuc mortali, eidem jam „ immortali nonnisi summe & probari poterit, & placere: si nempe rursus in Ecclesia sua, si Populo suo cui „ divus Tutelaris nunc e Cælo præsidet, si in Urbe sua „ cui felici præmio sui Corporis thesaurum concredidit, „ si inquam in illo Venetiarum augusto Emporio juxta „ Sacra sua Lipsana reviviscat primus ille Cœnobiticæ „ disciplinæ vigor, ac veluti afflante ejusdem Marci spiritu Viri Religiosi ad primitivam sui Regularis instituti formam, & legum ideam erigantur. Hoc vero, „ ut illic in multis aliorum Ordinum Ascetis, & Asceteriis jam factum supponimus: ita in nostris desiderari „ non patiemur, æquissimum arbitrantes quod in Cœnobio nostro Veneto, cui a Sanctissimo Patre nostro

„ Do-

„ Dominico titulus est ac speciale præsidium; in eo No-
„ bilissimo sinu illius Urbis, quæ saluberrimarum le-
„ gum suarum accurata & vigili observantia reliquas to-
„ tius orbis Respublicas antecellit, pariter nostri Cœno-
„ bitæ vivant ex veteri norma a S. P. Dominico con-
„ stituta: suarumque legum exactam, integram, littera-
„ lemque observantiam redivivo ardore ac spiritu perfe-
„ ctissime æmulentur. Porro ut id quantocius assequa-
„ mur, non alium quam Te supranominatum, cujus in
„ hoc genere dexterrimam efficacitatem zelum, affe-
„ ctumque plane Marcianum pridem experti sumus, du-
„ cem illis, atque choragum præficiendum curavimus;
„ ut quod alibi eximio cum fructu prosperrimisque suc-
„ cessibus, Dei opitulante gratia præstitisti, hic itidem
„ pari fervore auspiceris, promoveas, atque consummes:
„ unum hoc totis viribus curando, quatenus sub tua
„ sollicita & exemplari Præfectura noster ille Conventus
„ S. Dominici ad tanti nominis adamussim, æquis Ob-
„ servantiæ ponderibus, perfectissime componatur. Proin-
„ de harum serie absolventes Te prius, absolutumque
„ Te fore censentes ab omni, si quo forte tenearis, Ex-
„ communicationis aut alterius cujuscumque Ecclesiastici
„ impedimenti vinculo, ad effectum duntaxat præsen-
„ tium rite obtinendum, auctoritate Sedis Apostolicæ
„ nobis ad hujusmodi Sanctum opus diserte & expresse
„ delegata, Te admodum Rev. P. Magistrum F. Basi-
„ lium Pica instituimus, damus, præficimus; institutum-
„ que, datum, ac præfectum declaramus Priorem, Ca-
„ put, & Pastorem præmemorati Conventus S. Domini-
„ ci Venetiarum, cum omni ea in Spiritualibus & Tem-
„ poralibus facultate, jurisdictione, & potestate, qua
„ cæteri in Ordine nostro Priores Conventuales ex præ-
„ scripto Sacrarum Constitutionum, decretis Capitulo-
„ rum Generalium, Privilegiis Apostolicis, & quavis
„ probata legitimaque Consuetudine potiri solent ac de-
„ bent. Ut autem sub hac gravi, tibique inexpectata cu-
„ rarum mole sublimis palma tuorum meritorum assur-
„ gat robustior, altiusque ramorum ac laborum pari in-
„ cremento effrondeat; præcipimus Tibi in virtute Spi-
„ ritus Sancti & Sanctæ Obedientiæ sub formali præce-
„ pto, quod istud Pastorale officium & onus intra hora
„ rum sex spatium ab harum Patentium exhibitione

„ computandum, incunctanter & sine replica suscipias: „ & in administrando perarduo munere, ut strenuum „ divi Marci discipulum & imitatorem decet, Leonem „ alatum, impavidum, oculis ante & retro plenum, & „ simul discreta Hominis manu sub pennis præditum, „ pro Sanctæ Observantiæ tutela Te satagas exhibere: „ & Tibi commissum opus fac tanquam Evangelistæ, „ ministerium tuum imple. Sub eodem formali præce- „ pto, & adjecta insuper pœna Excommunicationis la- „ tæ sententiæ, necnon privationis graduum, officio- „ rum, & utriusque vocis, aliisque arbitrariis ipso facto „ incurrendis, prohibemus universis & singulis nostræ „ curæ cujuscumque locorum subjectis, quocumque ti- „ tulo, dignitate, & munere censeantur, ne Te ullo „ imaginativo modo vel colore ab ingressu & executio- „ ne tui pastoralis Officii, seu ab introductione ac pro- „ motione Regularis Observantiæ ibidem, directe vel „ indirecte, per se vel per alios, clam vel palam, im- „ pediant, oppugnent, vel turbent: quin potius in ad- „ juvando tam pio Opere conentur certatim Tibi suc- „ currere, quoties id flagitaveris. Denique sub ejus præ- „ cepti districtione mandamus omnibus Fratribus nostris „ ad eumdem Conventum quoquomodo spectantibus, „ atque imposterum spectaturis: quatenus Te tanquam „ legitime institutum Priorem ac Prælatum suum humi- „ li promptitudine admittant, agnoscant, revereantur: „ Tibique juxta exactissimam Ordinis disciplinam, ac „ Religiosæ perfectionis regulas modeste, tranquille, fi- „ lialiter subsint, atque obtemperent; non quidem ut ser- „ vi sub lege, sed tanquam liberi sub gratia constituti. „ In Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. „ Datum ex Loco nostro S. Pastoris Prænestinæ Diœce- „ sis die XVI. Maii M. DC. LXIII. F. Jo: Baptista de „ Marinis Magister Ordinis. Reg. fol. 148. F. Gregorius „ Areilza Magister Provincialis Terræ Santæ & Socius."

II. *Cœnobii Alumnos de loco amovendos jubet idem Generalis Magister. Difficia cientur. Regimen invitus ad,unus Prea, quod abdicat post sex menses.*

Difficilem arduamque imponi sibi provinciam, statim intellexit Basilius. Difficultates ipse persenserat Magister Generalis: quibus obviam ut iret, binas direxit Epistolas ad Jacobum Altovitum, Sedis Apostolicæ apud Serenissimam Rempublicam Legatum, Præfecto Provinciæ Lombardiæ tradendas. Priore in Epistola mandabat: *ut Fratres omnes Lombardos* (Italica verba latine refero,) *cum*

cum Natalino Priore, exceptis Quæsitore Fidei ejusque Ministris, nulla injecta mora de Cœnobio amoveret: eosque in alia transferret Provinciæ loca. In altera eidem Præfecto *inhibitum* significabat: *ne novorum Incolarum, quorum delectum Petro Martyri degna, Congregationis Vicario, commiserat, ingressum ullo modo impediret, pacemque turbaret*. Datæ leguntur ambæ Litteræ *die XVII. Maii M. DC. LXIII. e Loco S. Pastoris*.

Sic agebat Magister Generalis pro facultate officii, quo potiebatur, maximeque auctoritate Apostolica, quam Romanus Pontifex demandaverat. Nihil vero novum, quod frequentius in Ordine, data occasione, factitatum non fuerit. Litteras Raimundi Capuani anno 1394. datas ad Joannem Dominici, eximium Regularis disciplinæ per Italiam instauratorem, vulgavimus Capite II. num. VI. queis ipse *Vicarius Generalis in Universa Italia* renunciatur: eidemque facultas conceditur *visitandi* Conventus Italiæ, *reformandi . . . expellendi* Fratres, *conducendi, alienandi, assignandi*: inhibitione adjuncta, ne *aliquis inferior*, quacumque fulgeat dignitate, *se quomodolibet intromittere possit sine* Magistri Generalis *licentia speciali*. Pontificium insequente Capite IV. num. V. memoratur *Pii Quarti* diploma, quo Justiniani Generalis Ordinis Magistri auctoritas rata, firmaque habetur, ut valeat, *si videbitur*, ad opus Reformationis promovendum, *Fratres, vel eorum majorem partem a Venetis domibus amovere*, aliosque substituere alumnos, qui Regularem disciplinam fideliter profiteantur. Julii II. exstat diploma apud Fontanam Titulo de Magistro Ordinis, concessum Thomæ de Vio Cajetano, datumque *Romæ die IV. Novembris M. D. XI. Pontificatus anno VIII.* quo summus ille Ecclesiæ Christianæ Hierarcha *pro argumento vitæ Regularis vult & declarat: quod Magister Generalis pro tempore possit in favorem Regularis vitæ eximere ... Conventus a cura & jurisdictione Priorum Provincialium ... quamvis secundum Constitutiones* Ordinis, & *Statuta ac Privilegia Apostolica, fundationes Monasteriorum nonnullorum specialiter cautum sit, ut Provincialibus subsint*. Alio quidem diplomate, quod *die XVIII. Martii M. D. V.* datum legitur apud Fontanam Titulo de Conventibus Observantiæ, *inhibuerat* idem Julius II. *universis & singulis Fratribus de Observantia: ne Conventus ... reformatos*

aut

aut reformandos ... a regimine Provincialium, quibus juxta Constitutiones dicti Ordinis subjici debeat, distrabere aut eximere curent; at omnem submovent, quæ verba adjiciuntur difficultatem, *Sine tua speciali licentia*, hoc est Generalis Magistri Ordinis. Quid? quod ipsi demum Jo: Baptistæ de Marinis facultatem Innocentius X. litteris *die VII. Julii M. DC. L.* datis largitus fuerat: ut muneris sui partes felicius, ac validius explere posset, etiam *amotione, & nova deputatione cujuscumque Prioris Provincialis, seu Vicarii, aut Prioris cujuslibet dicti Ordinis Conventus, ac Monasterii vel domus*. Hanc sibi delegatam potestatem memorat Generalis Magister in litteris, ad Picam datis: *auctoritate*, inquiens, *Sedis Apostolicæ nobis ad hujusmodi Sanctum opus diserte, expresseque delegata*.

Hæc Generalis Magistri mandata displicebant alumnis Cœnobii *S. Dominici*. Tum ipsi tum eis adjunctus *Eustachius de Bononia* Præfectus Provinciæ Lombardiæ, decreverunt: litteras admittendas fore, quibus *Basilius Pica* Cœnobio præficiebatur, disciplinæque Regularis injungebatur instauratio: rejiciendas vero binas alias, quæ Fratrum alumnorum amotionem, ingressumque imperabant novorum Incolarum, qui e Congregatione recens instituta deligerentur. Itaque Litteræ priores eodem anno 1663. *die IV. Junii* Regio munitæ sunt ad executionem decreto.

Adversum alias primus intercessit Eustachius de Bononia apud Altovitum, Sedis Apostolicæ Legatum, *die Lunæ XVIII. Mensis Junii M. DC. LXIII. Veneriis in Palatio Apostolico*. Verebatur scilicet, detrahi Provinciæ suæ aliquando Cœnobium posse, quod Fratres e Congregatione delecti incolerent. At laudato Basadonnæ, qui Romæ apud Pontificem agebat Reipublicæ Oratorem, palam testatus fuerat in litteris eidem oblatis Magister Generalis: *detractum Provinciæ Lombardiæ se nolle S. Dominici Cœnobium*. Id vero rite cæteroqui, ac recte fieri potuisse, frequentissima evincunt exempla tot in Congregationibus, instaurandæ disciplinæ causa, post annum 1390. erectis, aut ampliatis. Ipsa Congregatio Lombardiæ, quæ postea *Provincia utriusque Lombardiæ* nuncupata est, ex Cœnobiis tota coaluit, quæ a Provinciis Lombardiæ inferioris, & superioris, aliisque fuerant avulsa. Ipsa demum Veneta *S. Dominici* domus suberat Peræfecturæ Cœnobii *SS. Joannis*

annis & Pauli: unaque Reformationis caufa fuit, ut ipfi fubtraheretur.

Nihil ergo interceffionem Præfecti Lombardi moratus *Altovitus*, voluit Picam pro mandatis Roma acceptis comitari ad Cœnobium *S. Dominici*, ut ipfum mitteret in Præfecturæ poffeffionem. Id factum *die Mercurii XX. Junii M. DC. LXIII.* Inftitutionis litteræ coram palamque lectæ, ac vulgatæ funt de more: fimulque alumni Fratres, qui convocati fuerant, libellum *Appellationis* ad Sedem Apoftolicam interpofuere, alioque fcripto libello præfidium Principis implorabant. In eam itum eft fententiam, qoæ nimium commotos animos componere poffet: " binas videlicet fæpe memoratas Generalis Magiftri litteras pro non acceptis habendas: Præfecturam Bafilii Picæ ratam, firmamque fore: ferioque curandum, ut collapfa in Cœnobio S. Dominici Regulari difciplina erigeretur. " Hæc *die III. Augufti* ejufdem anni peracta funt.

Ad Cœnobium *Farenfe* pridem fecefferat *Bafilius*, cum deo confulturus, quid in arduo negotio agendum fibi foret, graviorum quoque Virum confiliis non prætermiffis. Parum erat, demandatam capeffere Præfecturam: fed emolumentum regulari Obfervantiæ fperari vix poterat. Cur ergo gemendum illi fuerat, nullo proventu, fub tanta curarum mole? Dum hæret ille dubius & anceps, Scriptum *Julii Clementis Scoti* Placentini, qui inter jurifconfultos celebritate nominis ea tempeftate florebat, fpargitur in vulgus, quo ipfum ex nimia mora jure decidiffe conlatæ Præfecturæ oftendebatur. Utinam tam gravi moleftia levari potuiffet Bafilius. Amicorum confilio, graviffimorumque Virum auctoritate pollentium mandatis adductus, regimen denique adfumpfit. Sex Menfes tenuit Præfecturam, ipfe folus difciplinæ, & obfervantiæ cultor.

In Cœnobium *S. Secundi* adulto anno 1664. revertitur. Magna lætitia a fuis exceptum, brevi rapuit mors immatura. Litteris encyclicis eam nunciarunt mœftiffimi Fratres, quarum partem jam defcripfimus. Quæ fequuntur, hæc funt. " Laboribus, ftudiis, vigiliis, macerationibus, itinerum incommodis, immatura obvenit illi fenectus: quare cum Apoftolo confummato curfu, poft undecim dierum decubitum acuta victus febri deceffit.

III. *Ejufdem Bafilii obitus in Cœnobio S. Secundi. Elogium ipfius in Comitiis Generalibus.*

" Qua-

„ Qualis Viri vere Apostolici fuerit transitus, quam transegit eo usque vita compertum facit : ad annos siquidem tres supra quinquaginta honestatem undique spirans, morum & operum bonorum clarum exemplar, severioris observantiæ tenorem sic in se expressit, ut supra non contra legis præscriptum, quo perfectionem attingeret, plura impleret. Paupertatis propemodum extremæ constantissime amator, locupletem virtutum animam eo plus ditavit: semper studiosus, talenta quæ gratis acceperat, dandi gratis. Sic ab humanis liberrimus, libere declamare potuit in scelera : nec prædicatio ejus aut sermo in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: quod nedum concione publica, sed & privatis colloquiis tam munifice Dei dono adeptus est, ut nemo dici queat quod ad ipsum accesserit, qui non melior abierit. Sic prædicator gratiæ nec sillabam, quin referretur ad finem gloriæ, promere fuevit : nec nisi firme de Deo colloquebatur. At debuit rivos claudere, postquam fluenta super aridam suderat, ad flumen cujus impetus lætificat Civitatem Dei, illuc saliendo. Obmutuit itaque supremis diebus duobus, exsiccatis faucibus, lingua : fuitque pacis internæ, qua placide mortem aspexit, silentium index. Viguit tamen in eo mens vigil semper, nec ægre tulit quas sponte subierat sanus, corporeas passiones. Quid, nisi cupio dissolvi corde repeteret, qui vitam nihil fecit pro Deo, pro proximo? Sollicito ante hæc desiderio, Exomologesi expiatus, Synaxi munitus, Sacra denique vegetior factus unctione, præcinctusque haud potuit ultra extra Patriam morari. Nocte igitur, quæ Magni Dionysii præcessit Festum, qui & ipse Prædicator divinus, vallem lacrymarum reliquit, ad Thabor quod pie creditur perventurus. Urbi Venetiarum, omnique populo spiritualiter proficuus & carus legatum diuturni mœroris, dolentisque memoriæ vel nolens signavit. “

Tumulo honorifice mœrentes Fratres corpus condiderunt in Sacello *S. Francisci*, quod etiam titulo *Crucifixi* insignitum nuncupatur. Post septem annos, & sex Menses, anno scilicet 1672. die 10. Maii in Odæum translatum est: posituſque lapis cum sequente Epigraphe: *Ossa Venerabilis P. F. Basilii Picha, verbo, vita, doctrina spe-*

spectatissimi, *Concionatoris eximii*, *Regularis Observantiæ promotoris zelantissimi*. *Obiit die VIII. Octobris M.DC.LXIV.* Viri præclarissimi merita, litteris prædictis recitatis, celebrata sunt in Generalibus Provincialium Comitiis, in quibus *Thomam de Roccaberti* anno 1670. elegerunt Patres Generalem Magistrum Ordinis. Ipsius elogium recenset Jacobus Echard Tomo II. Scriptorum Ordinis Prædicatorum. In errorem incidit Cl. Scriptor, dum narrat: Basilium nostrum *SS. Joannis & Pauli Cœnobium* Venetiis *Priorem electum* sapienter administravisse. Datum ipsum Priorem *auctoritate Generalis Magistri* scribere debuerat; ac Cœnobio *S. Dominici* præfuisse, quod in ea situm est Urbis regione, quæ vulgo *Castellum* appellatur.

CAPUT XIX.

Cœnobium Conellianense, olim Cruciferorum, Alumnis Congregationis concessum. Erectio Monasterii Sororum tertii Ordinis. Hieronymi Picini virtutes, gesta, obitus.

I. *Conellianense Cruciferorum Cœnobium supprimitur. Ejusdem primordia in Civitate Conelliani indagantur.*

CŒnobia tria Congregationi nostræ intra breve annorum spatium, magno Regularis disciplinæ emolumento accessere, *Conellianense*, *Valvasonense*, ac *Venetum SS. Rosarii*. Parvorum Conventuum, ac Ordinum Fratrum *Cruciferorum*, & *Jesuatorum* suppressio dedit ansam incremento, quod ipsius Congregationis alumni bona fama, diligentique opera compararunt. *Conellianense* primum acquisitum est.

Conellianum, quod aliis *Coneglanum*, vernacule *Conegliano* dicitur, Civitas est in Marchia Tarvisina Diœceseos *Cenetensis*, cæli salubritate, fertilitate agri, colliumque corona laudatissima. Paret Venetorum dominio. In colle eminet castellum, jacent in planitie Suburbia: in quorum altero pertinebat ad Fratres *Cruciferos* Ecclesia *S. Martini* cum animarum cura. Mediocre Cœnobium erigi cœptum *anno* 1549. perfectumque *anno* 1554. in Vetustis chartis legimus, quæ adservantur in Archivo. Longe ante locum incolebant Cruciferi, quorum primus ingressus Monumentorum defectu latet.

Animarum curam, juraque Parochialia jam feculo quartodecimo prædictæ Ecclefiæ adnexa, eademque Fratribus Cruciferis commiffa, certo fcimus. Appellationis charta in Archivo fervatur, quam *Aleander de Venetiis Ordinis Cruciferorum, Prior ac Curatus Ecclefiæ S. Martini de Coneglano, ac curam animarum exercens in Burgo Veteri, & pertinentiis Coneglani* ad Sedem Apoftolicam *anno M. D. LXXXIII.* interpofuit *a quodam afferto Monitorio* Excommunicationis latæ per Michaelem Turrianum *Epifcopum, & Comitem Cenetenfem*; in eaque num. 3. hæc habentur, quæ temporariam notam patefaciunt: *Quia ab annis ducentis & ultra, adeoquod nulla eft hominum memoria in contrarium, femper & continuis temporibus Reverendi Priores S. Martini, tanquam Curati, & curam Animarum exercentes in Burgo Veteri, & pertinentiis coneglani &c.* Quo ducentorum & ultra annorum numero computato, conceffa prædictæ Ecclefiæ jura Parochialia Seculo quartodecimo, certo colligimus. Quo vero feculi anno, quave data occafione, adhuc ignotum: neque illucet Cruciferorum ingreffus in Civitatem Conelliani epocha.

II. *Diffidium Cruciferorum cum Archipresbytero Conellianenfi nuper inftituto.*

Memorati diffidii referre caufam, difpendium operæ non fuerit. Gregorius XIII. *nuper*, (anno fcilicet 1582.) *Parochialem Ecclefiam, Plebaniam nuncupatam S. Leonardi*, in fummitate Collis pofitam intra Civitatis mœnia, *in Collegiatam Ecclefiam* erexerat: conftitueratque *dignitatem inibi principalem pro uno Archipresbytero*, qui præminentia potiretur, *& curam animarum exerceret*.

Aucta Ecclefiæ dignitate, diffidium erupit novum Archipresbyterum inter, Presbyterumque Curatum *S. Martini* ex Ordine Cruciferorum, de loco tenendo, cum fimul ambo ad folemnes fupplicationes, fimilesque Sacras coitiones convenirent. Partis utriusque poftulata narrat Gregorius. Siquidem *Prior domus S. Martini Ordinis Cruciferorum, prætextu quod ipfe, antequam dicta Ecclefia in Collegiatam erecta effet, in Solemnibus ac aliis Proceffionibus, fepelliendisque mortuis, & aliis actis publicis ad manum finiftram tunc Rectoris dictæ Ecclefiæ incedere foleret; prætendebat etiam hodie ad dictam manum Archipresbyteri ... incedere debere*. Ex adverfo *ipfe Archipresbyter, Canonici, & Manfionarii, cum ipfius Ecclefiæ ftatus & effentia immutati fint, dictum Priorem*

non

non amplius in publicis actibus bujusmodi ad sinistram ipsius Archipresbyteri incedere debere, sed cum suis Fratribus Crucem suæ Ecclesiæ sequi affirmabant. Pugnaces ortæ sunt contentiones. Frustra *Cenetensis* Antistitis adhibita auctoritas: debueruntque Ecclesiasticæ censuræ interminari. Provocationis ad Sedem Apostolicam libellum memoravimus. Diploma dedit Gregorius *Romæ die XXIX. Octobris M. D. LXXXIII. Pontificatus anno duodecimo.* Dissidiis finem imponit Summus Pontifex: favetque Archipresbyteri & Canonicorum postulatis, aliaque constituit quæ controversias emergentes rescindunt.

III. *Veneto Cruciferorum Cœnobio adnexum fuerat Conellianense. Primi Cœnobio origo.*

Longe ante hæc tempora Conelliani exceptos Cruciferos, adnotavimus. Tenebant illi Ecclesiam *S. Martini* sine cura Animarum: simulque Sacella duo, proximum alterum sub titulo *S. Lazari*, alterumque *S. Laurentii* extra Civitatem in vicino Colle constructum. Episcopo Cenetensi, ac Canonicis Cathedralis Ecclesiæ pleno jure suberant prædicta Sacella cum Ecclesia *S. Martini*. Secularis Presbyter institui consueverat Sacellarius, qui divinis quotidie operaretur, exciperetque in domibus annexis infirmos, ac peregrinos. Eo se munere abdicante Presbytero, qui *Aldrighettus* vocabatur, tria prædicta Sacella tradere Fratribus *Cruciferis* cogitarunt Episcopus, & Canonici Cenetenses; eademque Veneto eorum Monasterio subjicere, quod titulo *S. Mariæ* nuncupabatur.

Tabularum exemplum, quas laceras, sine principio, fine, ac anno, invenit inter *Scripturas antiquas* Archivi Cenetensis, descripsit Rovier, *publicus Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, & Curiæ Episcopalis Cenetensis Cancellarius.* Seculo sextodecimo vivebat: ejusque nomen Chartis, quæ præsto sunt, *anno M. D. LII.* consignatis subscriptum legimus. Easdem proferre Tabulas hoc loco placet ...... " Canonici cum eodem Domino
" Episcopo considerantes, quod Redemptori omnium
" certissime noscitur esse gratum, si fiant in terris ope-
" ra misericordiæ & charitatis, per quæ mendici suble-
" ventur; pauperes peregrini & advenæ certum non ha-
" bentes refugium, dum necessitatis eis occurrit articu-
" lus, sustententur: eapropter idem D. Episcopus, &
" Canonici memorati, ac idem Procurator, nominibus
" antedictis, ob reverentiam Dei & suorum remedium
" peccatorum, Ecclesias S. Martini de Coneglano, &

 " SS. La-

„ SS. Lazari & Laurentii, ad eorum collationem & investituram pleno jure ſpectantes, nunc vacantes per renunciationem Presbyteri Aldrighetti in manibus dicti Domini Epiſcopi factam earumdem Rectoris, ad quas multi tam infirmi quam pauperes propter loci diſpoſitionem habent neceſſario declinare, & hoſpitari ibidem: & talibus ſic declinantibus & hoſpitantibus utplurimum ad ſubveniendum eisdem in neceſſariis, propriæ ipſarum Eccleſiarum non ſuppetunt facultates; & propterea unionem quoque fieri, cum inſtantia poſtulatur ab eodem D. Epiſcopo & Canonicis: pro parte Capituli Conventus Fratrum S. Mariæ Cruciferorum de Venetiis fuit cum inſtantia ſupplicatum, quatenus ſupradictas Eccleſias SS. Martini, Lazari, & Laurentii unire cum dicta Eccleſia S. Mariæ Cruciferorum & ſuo Monaſterio de ſpeciali gratia dignaretur, cum earum ipſarum conditio fieret melior, & recipient augmentum Eccleſiæ memoratæ; & maxime etiam cum Prior & Conventus dicti loci S. Mariæ Cruciferorum ſe offerant poſt unionem prædictam, hoſpitalitatem opportunam & debitam in futurum continuo obſervare, & per Priorem & Conventum dicti Loci, qui pro tempore fuerit, perpetuo facere obſervari. Quare volentes ſupradicti Dominus Epiſcopus & Canonici ſtatum dictarum Eccleſiarum per hoſpitalitatis hujusmodi obſervantiam ampliare, & ex hoc annuere juſtis & piis votis Supplicantium prædictorum, ſuper hoc præmiſſo ſolemni tractatu, & habito ſuper his previo unanimi & concordi conſenſu totius Capituli Cenetenſis, ſuis & ſuorum Succeſſorum & Eccleſiæ Cenetenſis nominibus, dictas Eccleſias ſuas Sanctorum Martini, Lazari, & Laurentii cum ipſa Eccleſia S. Mariæ Cruciferorum irrevocabiliter univerunt: ipſasque & earum quamlibet, ipſi Eccleſiæ & Monaſterio Cruciferorum, pro tenendo hoſpitalitatem prædictam, donationis titulo conceſſerunt atque dederunt diſcreto Viro F. Philippo Presbytero, Priori dicti loci Cruciferorum, recipienti & ſtipulanti ſuo nomine, & vice & nomine dictæ Eccleſiæ S. Mariæ & Fratrum & Succeſſorum ſuorum, cum omnibus & ſingulis poſſeſſionibus & juribus & bonis ad ipſas Eccleſias Sanctorum Mattini, Lazari, & Laurentii quoquo-

„ mo-

„ modo spectantibus Transferentes in ipsum F. Philip-
„ pum Presbyterum, recipientem nomine quo supra,
„ omne ipsorum Domini Episcopi, Canonicorum, &
„ Ecclesiæ Cenetensis jus, jurisdictionem, auctoritatem,
„ & potestatem perpetuam, quam in ipsis Ecclesiis vel
„ earum altera per se habebant, vel eis spectabat vel
„ spectare poterat de jure vel de consuetudine observa-
„ ta. Renunciantes ex tunc specialiter & expresse, ac
„ voluntarie & deliberato animo, omni juri & jurisdi-
„ ctioni, ipsis Domino Episcopo, Canonicis, & Ecclesiæ
„ Cenetensi in ipsis Ecclesiis quomodolibet competenti
„ vel competituris. Promittentes etiam & jurantes, præ-
„ dicta omnia & singula in hoc Contractu contenta fir-
„ miter observare: nec contra ea, vel eorum aliqua ve-
„ nire per se vel alios, de jure vel de facto, in judicio
„ vel extra. Pro quibus omnibus & singulis ... "

Vestigium nullum apparet, quod Episcopum Cenetensem, Cruciferis benevolum, patefaciat; indicetque notam temporis, quo fuerint ipsi in Civitate *Conelliani* excepti. Satius fuerit tempora notare, ac originem pandere *Veneti* Cruciferorum Monasterii, cui Sacella Conellianensia adnexa fuisse, allegatæ Tabulæ diserte docent. Andreas Dandulus in Chronico, gesta narrans Dominici Mauroceni Ducis post annum 1151. & ante 1155. in Editione Mediolanensi inter Scriptores Rerum Italicarum a Muratorio vulgatos, vel etiam ante annum 1154. ut MSS. alii Codices notant, hæc habet: *Hoc tempore Cletus Graufoni Ecclesiam, & Hospitale, S. Mariæ vocabulo, in proprio fundo construens, Ordini Cruciferorum illa postea obtulit cum terris & aquis coadhærentibus bonis avere Graufoni ejus hæres deinde dotavit*. Correctum in aliis MSS. Codicibus textum legimus: *quam*, (Ecclesiam S. Mariæ a Cleto Graufoni erectam,) *terris & aquis coadhærentibus Bonus Savore Gausoni ejus hæres deinde dotavit*. Scribit Marinus Sanutus in Vitis Ducum, quas inter Scriptores Rerum Italicarum editas habemus: Ecclesiam prædictam bonis instructam fuisse a Viro quodam, quem appellat *Buonsaver Gausoni*. Hunc *Bonum Aurium* vocat Sansovinus: ac *Bonus habere Gausonus* de *Confinio Sanctæ Sophiæ* legitur in Tabulis hac de re confectis, vulgatisque a Flaminio Cornelio, Amplissimo Senatore Veneto, in Decade Secunda Ecclesia-

rum

rum Venetarum. Tabulæ datæ ſunt *anno a Nativitate 1170. Menſis Decembris Indictione quarta*: quæ nempe a Septembri præcedenti inceperat. Loco demum *Cleti Grausoni* legit Sansovinus *Petrum Guſoni*: idemque nomen, & cognomen in aliquibus Codicibus inveniri, adnotat Sanutus.

Eccleſiam cum Hoſpitali obtinuiſſe Venetiis *anno* 1148. memoratos Cruciferos, narrat laudatus Sanſovinus: annumque 1150. deſignat Sanutus. At eamdem poſt annum 1151. conſtructam, *poſtea* fuiſſe Cruciferis oblatam, eiſque conceſſam, docet Dandulus. Quo id anno contigerit, ignotum incertumque. Sub Alexandro III. non pauci opinantur, Cruciferos ortos, eosque in Ordinem redactos: nec enim fabellam tenemus, quæ ad vetuſta *Cleti Romani Pontificis* tempora refert eorum originem: ipſorumque vulgo adſertam ſub Alexandro confirmationem, reformationemque, pro ipſa Ordinis inſtitutione tuto habere poſſumus. In Sedem Apoſtolicam anno 1159. conſcendit ille: adeoque poſt hunc annum a *Cleto Grauſoni* exceptos Cruciferos in Ædibus, quas antea paraverat, dicendum eſt.

Ex hoc Cœnobio miſſi poſtea Fratres Conellianum, tria conceſſa ab Antiſtite, & Canonicis Cenetenſibus regebant Sacella: ſeque in opere hoſpitalitatis exercebant. Alias poſt temporis decurſum proximas ædes erexerunt ipſi, aut ampliarunt, infirmis curandis, excipiendisque peregrinis deſtinatas, cum parva Eccleſia ſub nuncupatione *S. Joannis*. Inter hanc, aliamque *S. Lazari* jam memoratam medium tenet locum, quæ divo Martino ſacra eſt. Detrimenta plura labente tempore paſſus fuerat Cruciferorum Ordo: quæ narrat omnia Alexander VII. in Conſtitutione data *die XXVIII. Aprilis anno M.DC.LVI. Pontificatus anno ſecundo*. Nempe *ex vigintiquinque Monaſteriis, quibus dictus Ordo in univerſum conſtabat, viginti & unum in vi Conſtitutionis fel. rec. Innocentii Papæ X. quæ incipit Inſtaurandæ, ſuppreſſa fuerant*: quatuor duntaxat adhuc exſtabant, *Fratresque ad paucos redacti* nimium *a primævo inſtituto deſciverant*: adeoque Ordinem, qui *in Eccleſia Dei penitus inutilis* evaſerat, extinguendum, ſupprimendum, abolendum cenſuit Pontifex.

IV. *Ipſorum Crucifero-* Cruciferorum ſuppreſſio animos addidit humaniſſimis

Co-

Conelliani Civibus, ut Fratribus Prædicatoribus e Congregatione nostra, quos bona fama florentes satis noverant, locum in Civitate tradendum curarent, jam semel ac iterum antea oblatum. Modica pensio, quam primum *Carolus Carafa* Apostolicus Legatus apud Venetos Patres, ac deinde *Jacobus Altovitus* in eadem Legatione Veneta Successor constituerant, impar censebatur ad sarta tecta Ecclesiæ & Sacellorum, ac onera Parochialia congrue sustinenda. Cœnobium, ac reliqua ædificia sæpius hastæ subjecta, vendi nondum poterant: detrimenta in dies augebantur, animarumque cura negligenter administrabatur. Hæc erant præcipua argumenta, quæ pronam ipsis pollicebantur, ac propitiam Principis voluntatem, facilemque Legati Apostolici consensum.

...rum Ædes cum Ecclesia S. Martini, aliisque Sacellis S. Joannis, & S. Laurentii conceduntur Alumnis Congregationis.

Cœtu coacto *anno M. DC. LXIV. Indictione II. die Dominica XXVIII. Decembris*, propositum fuit: " nihil „ antiquius habuisse Majores, quam ut Regularium Vi„ rorum Cœnobiis, veluti propugnaculis, Civitas mu„ niretur: eo consilio *Canonicos Regulares*, *Franciscanos* „ *Conventuales*, *Observantes*, & *Capucinos* retroactis tem„ poribus exceptos: Familiam desiderari *Fratrum Prædi*„ *catorum*, Alumnosque novæ Congregationis sub titu„ *lo B. Jacobii Salomonii* erectæ maxime florere morum „ probitate, ac literarum peritia: hos facile ejectis Cru„ ciferis substitui posse, magno cultus Dei ac Virginis „ Deiparæ incremento, magnoque Civium spiritali pro„ ventu: adeoque totis viribus de eorum ingressu in Ci„ vitatem, si placeat, agendum apud Principem, Sedis „ Apostolicæ Legatum, & Congregationis Vicarium Ge„ neralem. " Cœtus universi, cui præsidebat *Hieronymus Battalia* Patricius Venetus, Civitatis Rector, adprobata calculis res est: designatique fuerunt *Hieronymus Sarcinellus*, & *Hieronymus Montalbanus*, præstantissimi Cives, qui Venetias proficiscerentur, sine mora negotium pertractaturi.

Facile consensum obtinuere *Hieronymi Picini*, qui *Vicariam* gerebat Congregationis præfecturam: eidemque placuit, ut Animarum cura a Sacerdote Seculari titulo *Vicarii amovibilis* exerceretur, quem nominare ac eligere juris esset Prioris, simulque Patrum a Consilio. Rem impigre agentibus Civibus Conellianensibus morem gessit *Jacobus Altovitus*. Certior namque factus ab Antistite Ce-

Cenetensi, *Albertino Barisono*, aliisque Testibus fide dignis, de proventuum sufficientia qui ad duodecim saltem alendos Fratres juxta Pontificum statuta requirebantur, decretum denique tulit pro votis. Nihil scilicet prætermittebat ille, ut beneficiis cumularet Fratres, quos impensius pro summa diligebat humanitate.

Decreti verba sunt. " Die Sabbati II. Mensis Maii
" M. DC. LXV. Venetiis in Palatio Apostolico. Illu-
" strissimus & Reverendiss. Pater ac D. D. Jacobus Al-
" toviti, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus
" Athenarum, SS. D. N. Papæ Prælatus Domesticus, ac
" in toto Serenissimo D. D. Venetorum Dominio Nun-
" cius Apostolicus. Habita diligenti consideratione Sup-
" plicationi sibi humiliter porrectæ parte & nomine Ma-
" gnificæ Communitatis Civitatis Coneglani, & diligen-
" ter perpensa parte per eam capta in eorum Consilio
" die XXVIII. Decembris M. DC. LXIV. super ardenti
" affectu & desiderio introducendi Patres S. Dominici de
" Observantia in suppressum Conventum S. Martini illius
" Civitatis: attento uberi animarum fructu, qui inde spe-
" ratur tum ob Civitatis peculiarem devotionem erga di-
" ctum Ordinem, ex quo in illa & tota diœcesi Cene-
" tensi nulla alia hujus Ordinis Domus extat; tum ob
" ipsorum Patrum Dominicanorum de Observantia noto-
" riam pietatem, & spiritualia opera per eos exerceri so-
" lita, præsertim SS. Rosarii: super quibus etiam coram
" receptæ fuerunt informationes Illustrissimi & Reveren-
" dissimi Domini Episcopi Cenetensis. Facta etiam dili-
" genti calculatione, commode duodenarium numerum
" Religiosorum ex certis reditibus & ex largitionibus fi-
" delium, (attenta maxime Regionis ubertate, populo-
" rum devotione & pietate, & eorumdem Fratrum de
" Observantia frugali vivendi norma, de quibus omnibus
" constat tam ex publicis documentis in Actis exhibitis,
" quam ex juratis depositionibus fide dignorum Testium
" formiter in Curia examinatorum,) sufficientem su-
" stentationem fore habiturum: visis denique videndis,
" & consideratis merito considerandis, censuit ad majo-
" rem Dei Omnipotentis, & B. Mariæ Virginis gloriam
" concedendum esse, prout præsentium tenore concessit
" & indulsit, ut in suppresso Conventu S. Martini Ci-
" vitatis Coneglani, & ad gubernationem & regimen
" il-

„ illius Ecclesiæ possint admitti Fratres Ordinis S. Do-
„ minici de Observantia, in numero tamen non minori
„ duodecim, ibique vivere juxta formam suarum Con-
„ stitutionum; non obstantibus quibuscumque in contra-
„ rium, & præcipue Apolitia seu decreto venditionis
„ ejusdem Conventus diei &c. Cum hoc quod Anima-
„ rum cura exerceatur per Sacerdotem Secularem eligen-
„ dum, præsentandum, ac removendum a Patribus a
„ Consilio in præfato Conventu pro tempore degentibus
„ toties, quoties sibi expedire visum fuerit: semper ta-
„ men approbandum ad Sacramentorum administrationem
„ per Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Or-
„ dinarium. J. Archiepiscopus Athenarum Nuncius Apo-
„ stolicus. Stephanus Rosata Cancellarius. "

Dum hæc agebantur apud Legatum Apostolicum, supplex quoque libellus datus fuerat *Aloysio Pisano*, ejusque Collegis, divi Marci Procuratoribus, qui suppressorum Conventuum curandis bonis præfecti fuerant. Momentis adductis, quæ superius indicata sunt, pro Fratrum Prædicatorum ingressu Amplissimos Patres exorabant *Sarcinellus*, & *Montalbanus*. Notitia rei ad Senatorum cœtum delata, propitium decretum latum est. " Facultas
„ prædictis divi Marci Procuratoribus, vulgo *de Supra*,
„ conceditur: ut Alumnis novæ Congregationis Ordinis
„ Prædicatorum tradatur Ecclesia *S. Martini*, cum Sa-
„ cellis *S. Joannis*, & *S. Laurentii*: adeoque pro Regia
„ munificentia Satis Conellianensium votis fiat. " Consignatum legimus Senatus consultum *die V. Junii*. Ejusdem *anni M. DC. LXV.* Principis voluntati obsequentes Pisanus, & Collegæ, executioni rem mandarunt, confectis Tabulis *anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi M. DC. LXV. Indictione tertia die vero XI. Mensis Junii in Procuratia S. Marci de supra*; recipientibus vice ac nomine Hieronymi Picini Vicarii Generalis, qui Urbe aberat, Thoma Bona Præfecto Cœnobio *S. Secundi* & Bonifacio Maria Grandio. Hoc idem Instrumentum Picinus, in Urbem redux, ratum habuit *die XXII. ejusdem Mensis Junii:* idemque *aliena manu transumptum confecit*, *complevit*, *roboravit* propria subscriptione, proprioque sigillo *Joannes Negri Notarius publicus suprascriptæ Procuratiæ*. Eadem quoque *undecima* die Mensis Junii litteræ a Pisano, & Collegis datæ sunt: altera ad Antistitem Cene-

tensem, ad loci Rectorem altera; queis mandabatur, ut in Ecclesiæ, Sacellorum, & Cœnobii possessionem mitterentur Prædicatores *de Observantia*: remque jussam perfecerunt *Gabriel Medius* Vicarius Foraneus loco Antistitis, & *Claudius Avogadrus* Civitatis Præses.

V.

Primus Cœnobii Prior instituitur Angelus Nuzza. Ædes reparantur novis Incolæ. Magnificum Templum Hieronymus Picenus inchoat, perficiunt Alumni successores.

De re commonefactus *Jo: Baptista de Marinis*, Generalis Magister Ordinis, læto gratoque animo Congregationis, quam ipse erexerat, incrementa percepit: ac lubens diploma dedit *die IV. Julii* ejusdem *anni M. DC. LXV.* quo primum Priorem Cœnobio præficiebat *Angelum Nuzzam*. Is Grotolam in Apulia habuit patriam: sed vota religiosæ Professionis emisit in Florentino *S. Mariæ Novellæ* Cœnobio, ut ex Regesto Priorum addiscimus. Litteris ac scientiis addiscendis, docendisque diu exercitus, Magister S. Theologiæ renunciatus est. Regularem coluit, promovitque observantiam in Insula *S. Secundi*, Basilio Pica Cœnobii Præside. Præfecturam sibi commissam capessivit *die XXVI.* ejusdem *Julii Mensis*.

In Regesto Priorum hæc posterorum memoriæ tradita legimus: laudatum Virum, *probitate & doctrina insignem, deque Conventu optime meritum, diem suum clausisse, naufragium in mari passum, dum devotionis gratia ad Sacram divæ Mariæ Magdalenæ Baumam visendam, Massiliam tenderet anno M. DC. LXIX.* Id accidisse *Mense Octobri* colligimus ex alia Nota, qua misera sors eadem narratur *Nicolai de judicibus*, qui Provinciæ Dalmatinæ alumnus, novo Cœnobio, cum esset patria Conellianensis, adscriptus fuit *die VIII. Februarii anno M. DC. LXVI.* eidemque Nuzzæ comes itineris datus fuerat. Honoris causa erga probatissimum Virum, appictam notam refero: *Dum ad Sacras divæ Mariæ Magdalenæ Reliquias visitandas tenderet per mare, navi infeliciter fracta, naufragio vita cessit. Sic post variarum tribulationum ignes per aquas ductus est in refrigerium, ut pie creditur, anno Domini M. DC. LXIX. Mense Octobri.*

Regimen Cœnobii exercuit, qua decet prudentia, ac sedulitate *Angelus Nuzza*, Fratribus, omniumque Civium ordinibus gratissimus. Nullo injecto impedimento, Sodalitia duo, sub nuncupatione *Nominis Jesu* alterum, alterumque *Rosarii* Virginis deiparæ, quæ in Ecclesia *S. Mariæ* in monte, idest in Colle posita intra Civitatis mœnia, instituta dudum fuerant, ad Ecclesiam S. Martini

tini *die IV. Augusti* divo Dominico sacra, frequenti Sodalium caterva sequente, translata sunt. Ædium quoque detrimenta sarciri cœperunt, ut legitimo Alumnorum numero decens locus pararetur: promovitque opus eleemosynarum largitionibus *Aloysius Canalis* Patricius Venetus, quem Basilio Picæ Fratribusque nostris addictissimum alio loco diximus.

Præfectos Cœnobio pro sua auctoritate, cum Electorum numerus a lege statutus nondum haberetur, Priores Provinciales ad annum usque 1673. instituerunt: qua ratione post *Angelum Nuzzam* institutos, creatosque legimus in Catalogo Priorum, *Hieronymum Mariam Castelfrancum* anno 1667. *Hieronymum Picinum* anno 1669. *Petrum-Martyrem Degnam* anno 1671. die 27. Januarii, & anno eodem die 7. Septembris *Raphaëlem Tomasellum*. Successit *Hieronymus Picinus* iterum, quem pro jure Alumni *Priorem* elegerunt anno 1673.

Incrementa Cœnobii provehere, sedulo studuit Vir probatissimus. Magnifici Templi constructionem insequente anno 1674. adgressus est. Divinam providentiam habuit pro thesauro, unde pecunias hauriret ad operis consummationem. Completum, perfectumque non vidit illud, cum anno duntaxat 1683. imponi tectum potuerit: ipseque anno superiore migraverit e vita. Qui successere Præfecti, sedulam operam navarunt, ut domum Dei perficerent, strato lapidibus quadratis pavimento, ornato picturis fastigio, marmoreis aris erectis, confectisque ex cælata nuce Sedilibus Odæi. Quod supererat Bematis pavimentum, selectis marmoribus ornavit *Augustinus Vitallianus* anno 1730. quo Cœnobii præfecturam tenebat. Jamvero novum Templum, non solum *divi Martini* ut antea, sed etiam addito *Sanctæ Rosæ* titulo nuncupatum voluere Fratres.

VI. *Novi Cœnobii erectio. Bibliotheca. Vetustum MS. Officium de Venerabili Sacramento.*

Ædes hactenus incoluerant alumni, quas primo Cruciferi erexerant, refecerantque Majores nostri, aut nimium angustas parumque solidas construxerant. Partim ergo vetustate labascebant. Quæ supersunt dormitoria cubicula, & communes officinæ, & Cœnobiorum reliqua loca, nec usibus Fratrum, neque tironibus qui ad habitum adleguntur commodius excipiendis, satis apta videbantur. De novo Cœnobio erigendo deliberatum est. Formam delineavit *Georgius Massarius*, Architectus Venetus: pri-

musque lapis anno 1744 positus, *Jo: Thoma Bardellino*, patria Brixiano, loci præfecturam gerente. Pro eo pecuniarum qualicumque subsidio, quod ex victu Alumnorum ac vestitu colligi reliquum potest, ædificium peragitur: illudque spes est fore, ut intra breve spatium temporis compleatur.

Bibliothecam memorare præstat, ut grati animi monimentum hoc etiam in Opere ad seros posteros traducatur erga *Hieronymum de Petrucciis*, Patricium Conellianensem, piissimum Presbyterum, juris utriusque Doctorem, qui libros suos, ad jus Canonicum & Civile præsertim spectantes, Cœnobio nostro tradendos legato reliquit. Vita migravit Vir præclarissimus anno *1691*. die 4. Julii. Typis edita Bassani anno *1687*. apud Jo: Antonium Remondinum prostat, ab ipso elucubrata, *de superstitiosa vulnerum curatione per sympathicam pulverem dissertatio*. Litterariam supellectilem augere pergunt Alumni.

Vetustum Breviarium MS. juxta *Ritum Fratrum Ordinis Prædicatorum* adservatur, in quo peculiare quoddam legitur Officium *de Venerabili Sacramento*. Eadem scilicet atque in Officio, quod a Sancto Thoma Aquinate confectum legimus, habentur *Capitula* & *Hymni*, & Noturnorum *versiculi*, & *lectiones de Homilia*, ac *Responsoria Horarum*: cætera longissime differunt omnia: ac priores sex lectiones ex Bulla Urbani IV. desumptæ sunt. Lato, accuratoque hacce de re egi calamo in Opere *de Gestis, & Scriptis, ac doctrina Sancti Thomæ Aquinatis*, Dissertatione XXI. Capite IV. Satis hoc loco fuerit admonere I. Ex Ordine Prædicatorum fuisse Auctorem: qui sibi nempe in eo *de Venerabili Sacramento* Officio elucubrando imitandum proposuit Officium *Sancti Dominici*. 2. In aliquo Germaniæ Cœnobio in usu fuisse Breviarium, quod istud complectitur peculiare officium; cum plura in Litaniis *Sanctorum nomina* insint, qui peculiari apud Germanos colebantur veneratione. 3. Eo spatio temporis adhibitum videri prædictum de *Venerabili Sacramento* Officium in aliquo, uti admonebam, vel aliquibus Germaniæ Cœnobiis, quod ab instituta anno *1264* per Urbanum IV. solemnitate effluxit ad annum *1316*. quo universa eamdem solemnitatem recepit Ecclesia. 4. Beato Alberto Magno tribui quidem apud Jacobum

bum Echardum *Officium de corpore Christi*, quod *non esse in usu communi Ecclesiæ* adnotarunt ætate sua Laurentius Pignon, & Ludovicus Valleoletanus: at Officium quo de agimus, gravi conjectura nulla dici illud posse, quod Albertus confecerit. 5. Hoc denique Officium nostrum distare longe lateque ab ea verborum proprietate, & sublimitate sententiarum, quas nemo non deprehendat in Officio Sancti Thomæ. Citatam consule Dissertationem.

VII. *Sororum Tertii Ordinis Monasterium Picinus erigit. Indicantur primordia Monasterii Conellianensis S. Rochi, & Opitergini Sancti Spiritus.*

Spiritus etiam Sancti Templa ut expoliret, ornaretque probatissimus Picinus, operam omnem conferebat, sibi nihil suisque commodis indulgens. Fuere Virgines, quibus ille dux erat in stadio virtutum, quæ meliora æmulantes charismata, vitam agere exoptabant Cælesti sponso dignam, *Sororum Ordinis* legitimis compositam institutionibus. Gynæceum exstat in Civitate, quod Civium Conellianensium sumptu erectum fuerat prope Parœciam *Sancti Rochi* in Suburbio *del Rifosso*: idemque satis larga pecuniarum summa, quam *Joannes Condulmerius*, Rector Parœciæ *Sanctis Michaelis de Ramera*, testamento legaverat ad sacras Virgines alendas munificentissime donatum. De his certior factus Summus Ecclesiæ Pontifex, Urbanus VIII. tum Virginum ingressum, qui primum fuere duodecim, lubens firmum ratumque habuit: tum delicatulo indulgens sexui, severiores instituti laxare leges quasdam dignatus est: easque demum jurisdictioni, directioni, & arbitrio Cenetensis Episcopi obnoxias declarat. Diploma datum est *Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XL. die XVII. Aprilis, Pontificatus anno decimo octavo*. Facultas quoque facta, ut ex alio viciniore Monasterio educerentur Virgines, quæ Sanctimoniales Novitias in *Conellianensi* Gynæceo conclusas Regularis disciplinæ officiis imbuerent: eductæque fuerunt ex Monasterio, quod *Opitergii* florebat, hodieque floret. Hujusce primordia ad annum 1548. pertinent, quo Paulus Papa III. erectionis diploma dedit *Romæ apud S. Marcum Quinto Kal. Maii Pontificatus anno quartodecimo*, apud Bremondum Tomo IV. Bullarii.

Minus placebat mitigata vivendi ratio, quam in Gynæceo *S. Rochi* ducebant Sorores. Nova domus cogitabatur, in qua severiora cuncta *Institutionum* officia colerentur: ac visa quoque facilior fuit, & convenientior

So-

Sororum Tertii Ordinis Congregatio, quam ipse *Picinus*, ac Alumni Prædicatores de Observantia regerent. Optimum consilium probavit, promovitque patrocinio, & eleemosynis *Aloysius Canalis*, quem sæpius honoris causa memoravimus. Ædes non longe a Cœnobio coëmptæ sunt, ad ususque consuetos aptatæ. Parva Ecclesia ad sacras peragendas functiones erecta; eoque in loco probatissimæ Virgines conclusæ. Sacro Gynæceo initium dedit Soror *Maria Dominica a Corde Jesu*. Parentibus Conellianensibus, *Antonio Sangallo*, & *Francisca della Marta*, nata est, *Maria Magdalena* sacris in undis vocata. Vitam ejus typis Venetis Modesti Fenzi, nomine suppresso, Italice edidit anno 1742. Franciscus Sarcinellus, nobilitate, moribus, & litteris clarus.

Regulas digessit aptissimas *Picinus*, quas decerpsit ex Constitutionibus Sororum. Typis easdem Italice vulgavit *anno M. DC. LXXV. apud Antoninum Bosium Venetiis*. Titulus est: *Regole da osservarsi dalle Terziarie Domenicane di Conegliano, estratte dalle Costituzioni del Padre S. Domenico*. In tria supra viginti Capita distributæ Regulæ sunt, hoc modo 1. De officio chori, aliisque precibus. 2. De suffragiis mortuorum. 3. De Jejuniis. 4. De cibo, ejusque qualitate, & quantitate. 5. De infirmis. 6. De lectis. 7. De vestitu. 8. De silentio. 9. De exomologesi, & Sacra synaxi. 10. De recipiendis. 11. De Novitiabus, earumque instructione. 12. De professione. 13. De manuario labore. 14. De Sororum egressu a Domo. 15. De culpa levi. 16. De culpa media. 17. De culpa gravi. 18. De culpa graviore. 19. De culpa gravissima. 20. De publica culparum accusatione. 21. De vita communi. 22. De institutione Priorissæ, aliarumque Officialium. 23. De consilio, & Capitulo. Vidit easdem, expendit, ratasque habuit *Jo: Thomas de Rocaberti*, Generalis Magister Ordinis, litteris datis *die XXI. Novembris anno M. DC. LXXIV.* subscribente *Emmanuele Pereyra Magistro Provinciali Terræ Sanctæ*. Paullo post Picini obitum, Sororum curam ac Sacri loci regimen dimiserunt, abdicaruntque Nostrates: ipsæque Antistitis Cenetensis jurisdictionem subjere. Id accidit, *Petro Martyre Degna* regimen Congregationis tenente: quod ipse anno 1682. die 19. Decembris capessiverat. Ex hoc Gynæceo ducit originem, quod *Maceratæ* postea erectum est.

Pici-

Picini egregii Viri obitus, quem memoravimus, contigit *anno 1682. die I. Novembris* in Cœnobio Conellianensi. Patriam habuit Venetias, *Caroli* nomine Sacris in undis infignitus. Forijulii in Cœnobio *S. Dominici* nomen Ordini dedit, *Hieronymus* appellatus. Vota profeffionis *anno 1651. die 4. Junii* emifit: ejusque loci alumnus declaratus eft. Studia coluit, quæ maxime ad habendas e fuggeftu conciones ipfum difponerent: eoque Verbi minifterio ftrenue ad plures annos cum animarum fructu defunctus, *Prædicator Generalis* renunciari meruit. Legum obfervantiæ tenaciffimus, juvenum tirocinium Juftinopoli, & Conelliani magno emolumento rexit. Singulari fuavitate præditus, ac prudentia præftans, totius Congregationis Præfecturam quater geffit. Hanc, fibi a *Jo: Baptifta de Marinis* prima vice demandatam, adfumpfit in Cœnobio *S. Secundi* anno *1664.* die 11. Septembris: eamdemque iterum capeffivit, litteris confirmationis ab eodem Generali Magiftro acceptis, anno *1666.* die 12. Novembris. Tertium Vicarius renuuciatus eft a *Jo: Thoma de Roccaberti*, litteris ejus coram Fratrum cœtu de more vulgatis in Veneto Collegio *Rofarii* anno *1670.* die 5. Decembris: idemque munus quartum fufcepit, ab *Antonio de Monroy* impofitum, litteris in Cœnobio *Conellianenfi* lectis anno *1680.* die 17. Decembris. *Moritur*, (verba funt in Regefto Vicariorum,) *in officio Vicariatus I. Novembris M.DC.LXXXII. patientiæ, ac Regularis obfervantiæ exemplar.*

VIII. *Hieronymi Picini virtutes, gefta, obitus.*

Cœnobium quoque Conellianenfe, quod ipfe primum Vicarius Generalis comparavit, Fratribus Civibusque loci gratiffimus, rexit datus Prior anno *1669.* electusque anno *1673.* atque confirmatus anno *1675.* & *1677.* In eodem Cœnobio pie deceffit e vita. Mœftiffimi Fratres, virtutes, ac merita compendio colligentes, fequentem Epigraphem pofuerunt: *Sit in benedictione memoria admodum Rev. Patris F. Hieronymi Picini Veneti, Lectoris, ac Prædicatoris Generalis, necnon Congregationis B. Jacobi jam quarto Vicarii Zelantiffimi. Qui qua fubditus, qua toties Prælatus, extitit exactiffimæ obfervantiæ vivum exemplar, ftudiorumque cultor. Qui in cumulum actuofæ indefeffæ vitæ Afceterium proximum Tertii Ordinis fundavit, promovit, & auxit. Sola divina innixus ope huic amplo ædificando Templo, de quo die noctuque ægre difcede-*

debat, cum sacra Turri ultimam imposuit manum: singula in eo completurus, nisi maturuisset Cælo, ætatis anno LVII. in articulo vespertino Ave faustæ Sanctorum Omnium Festivitatis, Salutis M. DC. LXXXII. Sepultum jacet Corpus ejus in Bemate Ecclesiæ.

CAPUT XX.

Cœnobium Valvasonense S. Mariæ Gratiarum. Vetusta, ac recentia Monumenta.

I. *Cœnobium Valvasonense in Provincia Forijulii, primum alumnis Congregationis Sanitatis traditum, tum Prædicatoribus de Observantia.*

EOdem anno 1665. quo Cœnobium *Conellianense* in Marchia Tarvisina, aliud in Oppido *Valvasoni* in Provincia Forijulii, Dynastarum loci munificentia, aquisiverunt Congregationis nostræ Alumni. Rem totam posteritatis memoriæ servat Epigraphe in marmore scalpta, quæ visitur in dextro latere Bematis. *Perenne posterorum Monumentum. Religiosum Cœnobium huic adjacens Templo ab Illustrissimo Comite Jacobo Georgio, Duce Cucaneæ ac Valvasoni, anno M. CCCC. XCV. erectum, dotatum, Ordinique Servorum B. Mariæ donatum: a Beatiss. D. Alexandro VII. anno M. DC. LIX. sub hasta venditum, Illustriss. Comes Cæsar, Cucaneæ, Valvasoni, & Fratæ Dominus, ære suo emit: ipsumque anno M. DC. LXV. annuentibus Apostolico Nuncio, & Veneto Senatu, adjecto antiquis redditibus annuo censu centum & quadraginta ducatorum, Religiosis Observantiæ Ordinis Prædicatorum Congregationis B. Jacobi Salomonii pia liberalitate donavit. Inter cætera vero pacta donationis publico Instrumento firmata, sibi suisque futuris Heredibus juspatronatum, & absolutum super eumdem Conventum illiusque bona reservavit Dominium, si quando scilicet aut ab Apostolica Sede supprimeretur, aut si Religiosi in eo degentes a suarum observantia Constitutionum deficerent. Quo in utroque casu dicti Heredes tenentur eidem Conventui de aliis Religiosis Observantibus providere: quos si obtinere nequirent, tot Seculares Sacerdotes instituantur, quot ad omnia hujus Ecclesiæ onera Missarum adimplenda sufficiant.*

De Familia benefici Viri, quæ splendore generis, originis antiquitate, ac titulis honorum clarissima est, lato cala-

calamo agunt Scriptores Rerum Forojulienſium. Gens eadem in plures Familias diviſa, e Caſtellorum nomine, quæ jure Feudi obtinuit, varia ſuſcepit cognomina. *Valvaſon* Caſtellum, aut Oppidum ad fluvium Tiliaventum jacet in diœceſi *Concordienſi*, medium ferme inter *S. Vitum*, & *Spilimbergum*.

Cœnobii, quod in eo loco poſitum eſt, primordia refero, ac illuſtro. Prodigium accidiſſe fertur, ſeculo quinto decimo, quod anſam dedit novæ Parochialis Eccleſiæ erectioni, vetere conceſſa Reformatis Alumnis Congregationis *Servorum*, ut appellari ſolent, *Beatæ Mariæ*. Dum lineos pannos, ac mappas e ſacra ſupradictæ Eccleſiæ ſupellectile, ad fontem purgaret in *Gruario* pago ruſtica Femina, ſanguinem fluere vidit, eumdemque manantem ex hærente Conſecratæ Hoſtiæ particula, quæ caſu lapſa de Sacro vaſe, curam fugit oculoſque Sacerdotum. Vulgato miraculo, Mappam Antiſtes *Concordienſis* expoſcebat: renuebantque eam tradere Dynaſtæ loci. Lis acta eſt apud Sixtum IV. Romanum Pontificem, qui Mappam *Valvaſonenſibus* adjudicavit, ea conditione adjecta ut Deo Templum erigeretur ſub nuncupatione *Corporis Chriſti* in perennem Miraculi memoriam. Litis, & ſententiæ Tabulæ, quas videre non licuit, adſervari dicuntur in Archivo Dynaſtarum. Novum Templum ſine mora erectum eſt: idemque loci Parœcia declaratum. *II. Ejuſdem Cœnobii primordia. Novæ Eccleſiæ Parochialis Valvaſonenſis erectio. Erectionis occaſio ex inſigni prodigio.*

Hæc prodit omnia diploma Pontificium, quod in lucem profero. " Nicolaus Epiſcopus Servus Servorum
,, Dei, dilecto Filio Decano Eccleſiæ Aquilejenſis, ſalu-
,, tem & Apoſtolicam benedictionem. Sinceræ devotio-
,, nis affectus, quem dilecti Filii Nobiles Conſortes lo-
,, ci de Valvaſono Concordienſis diœceſis ad nos & Ro-
,, manam gerunt Eccleſiam, promeretur ut petitiones
,, ſuas, per quas divinus cultus augeri, & ſalus anima-
,, rum provenire ſperantur, ad exauditionis gratiam fa-
,, vorabiliter admittamus. Exhibita ſiquidem Nobis nu-
,, per pro parte dictorum Nobilium petitio continebat:
,, quod cum Nobiles prædicti, (qui & eorum Progeni-
,, tores tanto tempore citra, quod ejus initii memoria
,, hominum non exiſtit, in pacifica vel quaſi poſſeſſione
,, juriſpatronatus & præſentandi perſonas idoneas in Re-
,, ctores Parochialis Eccleſiæ B. Mariæ Virginis & S. Jo-
,, annis de dicto loco, quam ut communiter fertur iidem

„ Progenitores fundarunt, cum vacaverit: ac juris regendi & gubernandi fabricam, reditus quoque, & obventiones quascumque ad ipsam Ecclesiam pertinentes: necnon deputandi Officiales & Camerarios laicos ad ipsius Ecclesiæ fructuum, redituum, & proventuum exactionem, ac aliorum dictæ Ecclesiæ relictorum provisionem & dispensationem in ipsius Ecclesiæ fabricam & alia necessaria & opportuna, fuerunt intantum quod propterea fructus, reditus, & proventus hujusmodi non mediocriter aucti extiterunt, & augentur in dies: quique etiam Nobiles, adhibitis ac vocatis aliquibus de Universitate loci hujusmodi, Officialium & Camerariorum prædictorum rationes audire & examinare consueverunt absque Episcopi Concordiensis, vel ipsius Episcopi Vicarii, aut alicujus alterius super ea impedimento;) ad Omnipotentis Dei gloriam, & divini cultus augmentum, de bonis sibi collatis a Deo in præfato loco aliam novam ac longe majorem & pulcriorem Ecclesiam sub vocabulo Corporis Christi fundare & construere, seu fundari & construi facere, ac in ea quandam Reliquiam illis in partibus plurimum dovotam apparentis Sanguinis miraculosi Corporis Domini nostri Jesu Christi in prædicta fundata Ecclesia nunc existentem collocare; necnon dictam Ecclesiam B. Mariæ & S. Joannis cum omnibus juribus & pertinentiis suis fundandæ Ecclesiæ prædicti perpetuo uniri, annecti, & incorporari, ac super præmissis licentiam sibi concedi desiderant. Pro parte dictorum Nobilium, necnon dictorum Filiorum, Universitatis, & Hominum dicti loci Nobis fuit humiliter supplicatum: ut eis novam Ecclesiam fundandi & construendi licentiam concedere, dictamque Ecclesiam B. Mariæ & S. Joannis cum omnibus juribus pertinentiis suis, necnon privilegiis, exemptionibus immunitatibus, libertatibus, gratiis, & indultis sibi per Apostolicam Sedem ac alias concessis, eidem fundandæ Ecclesiæ perpetuo unire, annectere, & incorporare; eisque juspatronatus, Rectores ad dictas Ecclesias pro tempore vacantes loci Ordinario præsentandi, Officiales deputandi, necnon Camerarios laicos ad exactionem & dispensationem redituum earumdem Ecclesiarum, ac audiendi rationes de gestis & administratis per Officiales &

„ Ca-

„ Camerarios antedictos, omniaque alia necessaria præ-
„ missa & opportuna faciendi & exequendi, prout cum
„ eadem Ecclesia fundata de illius redditibus & obventio-
„ nibus facere poterant & possent, Episcopi Concordien-
„ sis pro tempore existentis & cujuslibet alterius super
„ hoc licentia minime requisita, concedere & indulgere
„ de benignitate Apostolica dignaremur. Nos ipsarum
„ Ecclesiarum fructuum & proventuum veros valores an-
„ nuos pro expressis habentes, hujusmodi supplicatio-
„ nibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta
„ mandamus: quatenus ... postquam vocatis qui fuerant
„ vocandi, Tibi de premissis legitime constiterit, eisdem
„ Nobilibus novam Ecclesiam fundandi & construendi
„ licentiam concedere; dictamque Ecclesiam B. Mariæ
„ & S. Joannis cum omnibus juribus & pertinentiis suis,
„ necnon privilegiis exemptionibus, libertatibus, gra-
„ tiis, & indultis sibi per Apostolicam Sedem concessis,
„ eidem fundandæ Ecclesiæ, postquam fundata & erecta
„ fuerit, perpetuo unire, annectere, & incorporare; ac
„ juspatronatus & præsentandi personas idoneas ad fun-
„ datam Ecclesiam prædictam prima vice, ac deinceps
„ quoties illam vacare contigerit; necnon deputandi Of-
„ ficiales & Camerarios laicos ad exactionem & dispen-
„ sationem redituum Ecclesiarum hujusmodi; audiendi
„ quoque rationem de gestis & administratis per ipsos Of-
„ ficiales & Camerarios: ac alia prædicta omnia, &
„ singula faciendi & exequendi, Episcopi Concordiensis
„ pro tempore, & cujuslibet alterius licentia minime
„ requisita, eadem auctoritate nostra concedere, & in-
„ dulgere .... Non obstantibus constitutionibus Aposto-
„ licis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Ro-
„ mæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ
„ Milles. quadringentesimo quinquagesimo quarto, quin-
„ to Cal. Aprilis, Pontificatus nostri anno octavo. "

Nicolai V. electionem illigant Scriptores cum die *6.* Martii anni 1447. ejusque coronationem cum die *19.* ejusdem Mensis: adeoque die 28. Martii, anno 1454. jam cœptus fluebat ipsius Nicolai octavus annus.

Veterem Parochialem loci Ecclesiam, titulo *Beatæ Mariæ, & Sancti Joannis* nuncupatam fuisse, Tabulæ docent. His aliæ consonant Indulgentiarum litteræ, quæ primum erectionis ejus tempus patefaciunt. Desumptas

ex autographo, quod in Tabulario Veneti *Servorum Mariæ* Cœnobii adservatur, pro sua mihi concessit humanitate Ornatissimus Præsul Parentinus, Gaspar de Nigris. Integras profero. " Divina miseratione Dominicus San„ ctæ Sedis Gradensis Patriarcha Venet. Dalmatiæque Pri„ mas, Bartholomæus Torcellanus, Petrus Equilinus, „ Andreas Clugiensis, Georius Arbensis, Lompradius Ve„ glensis, Angelus Castellanus, F. Fridianus Civitatis „ novæ, Ecclesiarum Episcopi, Universis Christifideli„ bus salutem in Domino sempiternam. Omnipotens „ Deus, cujus munere venit, ut semper a fidelibus suis „ digne ac laudabiliter serviatur, de suæ pietatis abun„ dantia quæ supplicum excedit merita, & vota, humi„ liter servientibus multo majora tribuit quam valeant „ promereri. Et pia mater Ecclesia, de salute anima„ rum solicita, devotionem fidelium per quædam spiri„ tualia munera remissiones, & indulgentias invitare „ non desinit ad debita famulatus obsequia, & honorem „ Deo, & Sanctis Sedibus impendenda: ut quanto cre„ brius, & devotius illuc confluit populus Christianus, „ assiduis precibus Salvatoris gratiam, & Sanctorum Ci„ vium implorando suffragia: tanto celerius delictorum „ suorum veniam, & gloriam consequi mereantur æter„ nam. Nos igitur in Sacro Concilio existendo cupien„ tes nostros subditos, & alios quos possumus de consen„ su tamen & voluntate Diocesanorum suorum, ad hu„ jusmodi Sanctorum suffragia, & cælestia præmia jugi„ ter invitare; & locum, sive Ecclesiam ad honorem „ S. Johannis Evangelistæ in diocesi Concordiensi pro„ pe Valvasonum nuperrime construendum, nostrorum „ Indulgentiis, & spiritualibus beneficiis honorare, ut „ per hæc voluntas hominum ad largiendum in domino „ largius inducatur: omnibus vere pœnitentibus, & con„ fessis, qui ad construendam dictam Ecclesiam S. Jo„ hannis, de suis bonis aliquid dederint, vel legaverint, „ seu alias quomodolibet manus porrexerint adjutrices; „ de Omnipotentis Dei misericordia, & Virginis glorio„ sæ Mariæ Matris ejus, ac Beatorum Apostolorum Pe„ tri & Pauli, necnon Beatorum Martyrum Hermacho„ ræ & Fortunati .... meritis, & munere confisi; & „ singuli nostrum singulas dierum quadragenas de injun„ ctis eisdem pœnitentiis indulgentes, misericorditer in

„ Do-

„ Domino relaxamus. In cujus rei testimonium, & no-
„ titiam clariorem, præsentes nostras Indulgentiarum lit-
„ teras, ad supplicationem & Instantiam Venerabilis in
„ Christo Patris Domini A. Dei gratia Concordiensis
„ Episcopi, nobis ad hoc per suas patentes litteras sub
„ Dat. VII. Julii Indictione XIII. supplicantis, fieri juf-
„ simus, & nostrorum Sigillorum Pontificalium appen-
„ sione muniri. Dat. Gradi die XV. Mensis Julii sub
„ annis Domini Milles. Tricentesimo trigesimo, Indi-
„ ctione XIII." Typis editæ leguntur litteræ apud Mansium in Supplemento ad Venetam Conciliorum collectionem Tomo III. & apud Flaminium Cornelium in Ecclesiis Venetis, Decade IV. in Ecclesia Sancti Silvestri Papæ.

Concordiensem Antistitem, littera initiali A. indicatum, intellige *Articum*, vel *Artuicum de Castello*. Ab hoc supplices Gradensi Patriarchæ, & Episcopis Provinciæ, Gradi in Sacro Concilio congregatis, datos libellos, Tabulæ docent. *Bartholomæus Torcellanus*, *Andreas Clodiensis*, *Angelus Castellanus* recensentur in earum Ecclesiarum monumentis apud Ughellum in Veneta Italiæ Sacræ editione: itemque *Petrus Equilinus*, & *Frid anus*, seu *Frigidianus Civitatis novæ in* Æstuariis Adriacis numerati habentur in *Episcopatibus*, qui *Antiquati* appellantur. Concilio aderant *Georius*, seu *Georgius Arbensis*, & *Lompradius Veglienfis*: qui *Jadertino*, tanquam Metropolitano, & *Gradensi Patriarchæ* parebant cum suo Archiepiscopo, tamquam Primati. Hujusce Primatus privilegia lege in Henrico Dandulo Gradensi, ab Hadriano IV. concessa anno 1155. apud laudatum Ughellum.

Nova itaque cum Valvasoni erecta esset Ecclesia Parœcialis, serio cogitabatur de Ministris adsciscendis, qui sacris operarentur in vetusta. *Sanaria* florebat ea ætate *Servorum Beatæ Mariæ* Congregatio: perque varias urbes, & loca, populis adclamantibus, suaque faventibus auctoritate Principibus, diffundebatur. Acciti fuerant *Utinum* in Provincia Forojuliensi anno 1479. ejusdem Congregationis alumni ad Cœnobium, quod antea *Cælestini* incoluerant, & ad *Ecclesiam Sancti Gervasii*, quæ postmodum nuncupationem subiit *Sanctæ Mariæ Gratiarum*. His custodiendam ad sacrum cultum *Joannes Emus*, Patri-

tricius Venetus, Patriæ Forojulienfis Præfes, Beatæ Virginis deiparæ imaginem tradiderat, quam dono acceptam e legatione Conftantinopolitana detulerat, repertam in Gaza, ut ferebatur, Conftantini Palæologi Græcorum Imperatorum poftremi. Hæc referunt Archangelus Gianius in Annalibus Sacri Ordinis Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis ad eumdem annum, & Jo: Francifcus Palladius in Hiftoria Forojulienfi.

111. *Vetufta loci Ecclefia traditur alumnis Congregationis Sanariæ: ipfisque facta Cœnobii erigendi facultas.*

Hifce Viris, pietate florentibus ac feveriore difciplina, vetuftam Valvafoni Ecclefiam tradere, cogitarunt loci Dynaftæ, fimulque Cœnobium erigere quod incolerent. Apud laudatum Gianium hæc folum habentur verba ad Annum 1484. *Conventus S. Mariæ Gratiarum de Valvafono anno* 1484. neque fuis in *Additionibus* uberiorem affert notitiam Aloyfius Maria Garbius. Plura nos dabimus, queis lacuna in Gianii Annalibus expleatur. Dynaftarum loci petitionibus, ac votis annuit *Antonius Felettus* Concordiæ Antiftes. Datum diploma accipe:
" Antonius Felettus, Dei & Apoftolicæ Sedis gratia Epi„ fcopus Concordienfis, univerfis & fingulis Chriftifide„ libus præfentes infpecturis, falutem & finceram in „ Domino charitatem. Quoniam honeftum, & rationi „ congruum fore arbitramur, mortalium devotionibus, „ quantum cum Domino poffumus, favere & illas affe„ ctu fpeciali augere; quibus mediantibus, & aliis bo„ nis operibus coadiuvantibus, vitam valeant confequi „ beatam in cælis, quam multis eorum meritis adepti „ fuerint in terris. Idcirco cum Spectab. D. Jacobus „ Georgius de Valvafono noftræ Concordienfis diocefis „ conftituerit, pro ejus ac totius populi præfati Oppidi „ devotione, ibidem fundare & erigere locum, ac Mo„ nafterium clauftrale Viris Religiofis de Obfervantia „ Servorum, vel Minorum, dedicandum penes Eccle„ fiam Parochialem B. Virginis Mariæ, & Joannis Apo„ ftoli & Evangeliftæ, in Burgo exteriori dicti loci fi„ tam: cum novam aliam Ecclefiam multo ampliorem, „ & aptiorem jamdudum infra Caftrum ædificaverint, „ & ibi Sacerdotes feculares divina officia celebraturi „ fint. Nobis fupplicatum exftitit, ut ipfius Domini pe„ titionibus, & voto annuere dignaremur, & noftra in„ terveniente auctoritate id efficere, quod magnopere „ exoptat. Nos vero, ipfius Nobilis optima devotione

„ pers-

„ perspecta, circa præsertim divini cultus augmentum ;
„ cupientes eidem supplicanti rem gratam, & Deo im-
„ primis acceptam facere, quo etiam ad alia divina ope-
„ ra pronior fiat: ejus devotionibus, & honestis petitio-
„ nibus propensi, præsentium serie, Monasterium Ordi-
„ ni & Religioni Servorum, vel Minorum, in quo Re-
„ ligiosi Fratres de Observantia degant, dedicare, erige-
„ re, & ædificare in loco prædicto valeat, Ecclesiam
„ ipsam cum antiquo Cœmeterio concedentes; quod Deum
„ jugiter exorent, ut Oppidum illud, & ejus incolas ab
„ omnibus periculis, & adversitatibus benigne tueatur,
„ & animarum saluti misericorditer consulere dignetur.
„ Non intendentes, per hujusmodi concessionem juribus
„ Plebis dicti loci aliqualiter derogare, vel prejudicare.
„ In quorum testimonium præsentes fieri, & nostri Si-
„ gilli appensione jussimus communiri. Datum die X.
„ Martii MCCCCLXXXIV." Monumentum presto est, quo refellatur Ughellus, qui annum emortualem *Feletti* adsignat annum Christi 1455. Vitam imo ipsum produxisse ad annum 1488. pluribus evincitur in Veneta ejusdem Ughelli editione.

Hoc eodem anno 1484. *celebrato* Sanariæ *Congregationis Capitulo Vincentiæ*, *P. Gaudiosus de Bergomo*, teste Gianio, *Theologus multiplici virtutum genere excultus*, *& Concionator egregius*, *præficitur Vicarius Generalis*. Is anno insequente Valvasonum pervenerat, oblati Monasterii negotium completurus. Initæ sunt inter utramque partem conventiones, ac publicas in Tabulas redactæ. Incipiunt vero: " In nomine omnipotentis & æterni Dei
„ Amen. Vir Reverendus Dominus *Gaudiosus de Pergamo*, humilis professor, ac Vicarius, & Custos Genera-
„ lis totius Congregationis Ordinis S. Mariæ Servorum
„ de Observantia: prout per patens privilegium, (*quo*
„ *Vicaria scilicet ejus præfectura innotescebat*,) cum si-
„ gillo consueto ipsius Ordinis pendente ad cordulam se-
„ dæ rubeæ, & subscriptione secundum morem ipsius Or-
„ dinis, per me Notarium visum & lectum, difuse con-
„ stat; vocatus, per Magn. Virum D. *Jacobum Georgium*
„ q. D. Jacobi de Valvasono Diocesis Concordiensis ex
„ Dominis Consortibus ipsius loci, cunctosque alios ejus
„ Consortes de ipso loco &c. " Propriis memorati *Consortes* infra vocantur nominibus : *Simon q. Domini Bar-*

tho-

tholomai , *Nicolaus q. Domini Joannis* , & *Bernardinus natus Domini Francisci* . Conventionum summa est : Tres, vel quatuor in Cœnobiolo sedem habituros Sacerdotes, qui divinis jugiter in Ecclesia operentur : ad eorum alimenta congruos assignari a loci dynastis proventus debere: ædes interim, quas incolebat Parœcus , tradi Fratribus, donec Cœnobium Dynastarum ære erigatur . " Actum Valvasoni in Sacristia præfatæ Ecclesiæ :
„ præsentibus Ser Antonio D. Ulmeri de Valvasono ,
„ Magistro Petro ... Notario, & Scholarum Rectore in
„ Valvasono, & Magistro Venuto Carpentario q. Fran-
„ cisci Giselli de Spegnimbergo nunc Valvasoni habitan-
„ te testibus, & aliis ad hæc vocatis , & rogatis : cur-
„ rentibus anno a salutifera Nativitate Domini nostri Je-
„ su Christi MCCCCLXXXV. Indictione tertia , die
„ XX. Mensis Januarii . "

Tum vero *Gaudiosus* in possessionem Ecclesiæ missus est solemni ritu . " Quibus peractis , illico in executio-
„ nem prædictorum antefatus D. *Jacobus Georgius* , &
„ alii supra memorati sui Consortes accesserunt simul
„ cum supradicto D. *Gaudioso* Vicario Reverendo , testi-
„ busque prædictis, & me Notario subscripto, ad portam
„ majorem ipsius Ecclesiæ . Ubi ipse D. Jacobus Geor-
„ gius, dans ipsam portam in præfati Domini Vicarii ma-
„ nibus, aperiendo, & claudendo semel, bis, & ter: &
„ illico etiam dans funem campanæ ipsius Ecclesiæ in ma-
„ nibus præfati Rev. Domini Vicarii, eam pulsando : &
„ successive iens ad Altare majus ejusdem Ecclesiæ , &
„ dans mantilia & pannos ipsius Altaris in manibus præ-
„ fati Rev. Domini Vicarii: & denique exinde accedens
„ ad Cimiterium ipsius Ecclesiæ, & eidem Ecclesiæ con-
„ tiguum, & tribuens de terra ipsius Cimiterii in mani-
„ bus ejusdem D. Vicarii, talibus modis, ut in similibus
„ mos est, ad hæc præsentibus prædictis ejus Consortibus
„ contentantibus, ac coram dictis testibus, & me Nota-
„ rio, posuit, & induxit ipsum Rev. D. Vicarium , ac-
„ ceptantem , & recipientem pro dicta Religione , &
„ Ordine ipsius Religionis Sanctæ Mariæ Servorum de
„ Observantia, in tenutam & corporalem possessionem de
„ prædicta Ecclesia, & Cimiterio , & aliis omnibus sibi
„ ut supra pro dicto Monasterio traditis &c.

IV. *Posita novi Cano*

Datam de Cœnobii erectione fidem sine mora libera-

re

re Jacobus Georgius incepit. Majo mense ejusdem anni positus est primus lapis, sacram peragente ceremoniam *Doymo*, decano Aquilejensi, ex ipsa Nobilium de Valvasono gente prognato. Rem totam insequentes Tabulæ pandunt. " Domini nostri Omnipotentis Jesu Christi, " ejusque gloriosæ Genitricis Virginis Mariæ nominibus " invocatis, MCCCCLXXXV. Indictione tertia, die " Mercurii XVIII. Mensis Maii, Actum Valvasoni in " Ecclesia Beatissimæ Mariæ Virginis, Sanctique Joannis " Apostoli, & Evangelistæ de ipso loco destinata & at- " tributa Ordini & Religioni S. Mariæ Servorum: prout " de ipsius concessione, & traditione diffuse constat per " patens privilegium, (*superius memoratum*,) subscri- " ptum manu mei Georgii Notarii sub instantibus Mil- " lesimo, & Indictione, die vero vigesimo Mensis Ja- " nuarii. Ibi conducti spectabiles & Generosi Domini, " D. Jacobus Georgius q. D. Jacobi, D. Simon q. D. " Bartholomæi, D. Nicolaus q. D. Joannis, & Dominus " Franciscus q. D. Vulvini, omnes Consortes & Domi- " ni in Valvasono; prosequentes optimum & sanctum " intentum, & præcipue ipse D. Jacobus Georgius cir- " ca erectionem, & ædificationem unius Monasterii pro- " pe dictam Ecclesiam & ejus Cimiterium, cum Clau- " strali viris Religiosis dicti Ordinis, super territorio va- " cuo ibidem cohærente & contiguo, & pro dedicatio- " ne ipsius Monasterii claustralis per ipsum privilegium " designato; & ibidem accersitis & convocatis Roveren- " dis, D. Doymo de Valvasono ex Dominis Conforti- " bus prædictis decano Aquilejensi, D. Fratre Bartholo- " mæo de Ottolina prædicti Ordinis, & Vicario nunc " designato & deputato in hoc novo Conventu & Mo- " nasterio ædificando, & residente penes dictum Cimi- " terium in domo quadam ipsi Monasterio tradita; nec- " non Veneralibus Viris, domino Presbytero Vinceguer- " ra de ... Plebano, Presbytero Bartholomæo de Plano- " Moleti, & Presbytero Luca de drupisto Capellanis præ- " bendatis in Valvasono; & aliquibus Fratribus dicti Or- " dinis, ibi in domo prædicta simul cum D. Fr. Bartho- " lomæo Vicario residentibus, & in dicta Ecclesia Offi- " ciantibus ad præsens, pro saluberrimo principio dando " dicto Sancto Monasterio ædificando, ubi ipse D. Doy- " mus decanus, & dictus D. F. Bartholomæus Vicarius, &

bii fundamenta. Eiusdem, & Ecclesiæ nuncupatio sub titulo Beatæ Mariæ.

„ prædicti alii Sacerdotes, ad preces supranominatorum „ Dominorum, & præcipue præfati D. Jacobi Georgii, „ induti Sacerdotalibus indumentis, procedentes cum „ Cruce & vexillo accesserunt ad prædictum territorium, „ sequentibus præfatis Dominis per solemnem processio- „ nem, cum pluribus personis ex populo Valvasoni: „ ubi cavato fundamento pro muro faciendo, ad erectio- „ nem & ædificationem dicti Monasterii juxta ripam fo- „ veæ Burgi exterioris ipsius loci in ipso territorio; præ- „ fatus D. Doymus decanus per invocationem Sancti „ Spiritus, & factis per eum, & dictum D. Fr. Bartho- „ lomæum Vicarium, simul cum nominatis aliis Sacer- „ dotibus & Clericis, devotissimis hymnis, canticis, & „ orationibus, cum solemni benedictione, in ipso funda- „ mento posuit primum lapidem pro muro faciendo ad „ fabricam ipsius Monasterii: præsentibus Magistro Jo- „ anne Murario de Bergamo, conducto ad fabricam ef- „ ficiendam, qui illico & statim prosecutus fuit ad opus „ dicti fundamenti, & Magistro Odorico Pellipario filio „ Mag. Antonii Pelliparii de S. Vito, & Magistro Gas- „ parino Cerdone filio Jacobi Ripa de Maniaco, & Do- „ minico Pizzuli de Maniaco, Marco Fornacerio testi- „ bus, omnibus habitantibus Valvasoni, ad hæc habi- „ tis, vocatis, & rogatis: de quibus omnibus ego No- „ tarius rogatus publicum confeci instrumentum. "

Bartholomæum de Ottolina primum loci Vicarium designaverat laudatus Gaudiosus. Cœnobiolum vero hoc anno 1485. inceptum, post decennium, anno scilicet 1495. completum fuisse, Epigraphe docet num. I. descripta. Virginis deiparæ cultum pro eo, quo potiuntur, peculiari *Servorum Mariæ* titulo, promovebant novi Alumni: erectumque in Ecclesia Altare in ejusdem honorem, ipsaque Ecclesia sub nuncupatione *Sanctæ Mariæ Gratiarum* appellari cœpit. Monumentum profero, quod ad annum 1500. pertinet. " Millesimo quingentesimo, die XVI. Mensis Augusti. Ego Leonellus de „ Cheregatis, decretorum doctor, Episcopus, Dux, Co- „ mes, & Marchio Concordiensis, consecravi Ecclesiam, „ & Altare hoc in honorem Omnipotentis Dei, & Glo- „ riosissimæ Virginis Matris ejus Mariæ. Et de Reliquiis „ Beatæ Anastasiæ Martyris in eo inclusi; singulis Chri- „ stifidelibus in die Consecrationis annum unum, & in

„ An-

„ Anniversario ejusdem quadraginta dies, & totidem in „ die Festi præfatæ Martyris, visitantibus de vera In„ dulgentia in forma Ecclesiæ consueta concedens. “ Plura adnotantur scitu digna de *Clericato* Antistite in Additamentis ad Ughellum in Veneta Italiæ Sacræ editione: pluresque in ea Antistitum Concordiensium successione ab eodem Ughello admissi errores emendantur, fide allegata veterum optimæ notæ documentorum, quibus accedunt Tabulæ nostræ superiores.

V. *Suppressum Cœnobium, redintegratur. Traditur Alumnis Congregationis B. Jacobi Salomonii.*

Servorum Beatæ Mariæ, qui Cœnobiolum Valvasonense incolebant, pro rerum humanarum vicissitudine tepuisse videtur fervor succedente tempore. Cœnobium ipsum, quod incrementa nulla acceperat, inter parvos, & pessumdatos, ac labefactatos Conventus juxta Innocentii Papæ X. Constitutionem numeratum fuit. Suppressionem ergo jussit Alexander VII. edito diplomate *anno MDCLVI. die XXIX. Aprilis*. Tum auctio facta est: addiciturque Cœnobium sub hasta *Cæsari* loci dynastæ licenti. Tabulæ conscriptæ leguntur *anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MDCLIX.* (more Veneto, juxta forma communem 1660.) *Indictione XIII. die vero XVI. Mensis Februarii*, jussu Legati Apostolici ad Venetorum Rempublicam: cui adsistentes super negotio Suppressorum Conventuum designati fuerant *Aloysius Foscarenus*, *Andreas Contarenus*, & *Andreas Pisanus*, Procuratores Sancti Marci.

Majorum consilia secutus *Cæsar*, Religiosos Viros in locum inducere cogitabat, quos regularis observantiæ cultus, probatique mores commendarent. Animum converterat ad Fratres *Capucinos*. Non annuit vero Romanus Pontifex. Subrogandos Congregationis nostræ alumnos proponebat *Petrus Imbertus*, Venetus Civis: cujus opera instauratam narravimus, quæ viget in Cœnobio *Sancti Secundi*, regularem disciplinam. Fratres pro sua humanitate commendabat, assiduos verbi divini præcones, Mariani Psalterii cum ingenti proximorum fructu solicitos cultores, die noctuque sacris officiis addictos, jugiter intentos excipiendis fidelium confessionibus, morum denique integritate præstantes, & litterarum peritia. Viris ergo tam impensa laude celebratis incolatum exhibuit *Cæsar* in Oppido, Cœnobioque *Valvasoni*. Res gesta cum *Thoma Bona*, qui Cœnobio *Sancti Secun-*

 di

di præsidebat, & *Bonifacio Grandio*, & *Andrea Trono*.
Facultas abs Jo: Baptista de Marinis, Generali totius Ordinis Magistro, sine mora impetrata: datæque sunt consuetæ litteræ *anno M. DC. LXV. die XXVI. Septembris*. Accessit Regium beneplacitum, scriptis litteris *die* 3. *Octobris Indictione IV.* (a Septembri Mense incepta,) eodem anno *M. DC. LXV.* Inscriptionem profero: *Dominicus Contareno, dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & Sapientibus Viris, M. Antonio, Zeno, de suo mandato Locumtenenti Patriæ Forijulii, & successoribus fidelibus dilectis salutem, & dilectionis affectum. Significamus vobis, hodie in Consilio nostro Rogatorum captam fuisse partem tenoris infrascripti: videlicet, havendo il Conte Cesare Valvasone fatto aquisto &c.* Facultas eidem Comiti fit, Tabulas donationis conficiendi, tradendique Cœnobium *ai Padri Domenicani della Riforma di San Segondo, affine che in mancanza d'altro Convento di Religiosi in quella Terra, servino a quei sudditi di consolazione, e commodo spirituale.*
Ejusdem Mensis die 12. confectæ sunt, scriptæque Italica lingua Tabulæ donationis. Census, ac stabilia quædam bona ad annuum proventum adsignantur: quæ imponuntur onera, numerantur singula: Juspatronatus exprimitur, quod in hæredes transferri debeat: conditio demum apponitur de regulari disciplina ab alumnis colenda, servanda, fovenda. Incipit vero Instrumentum: "In „ Christi nomine Amen. Anno ab Incarnatione MDCLXV. „ Indictione III. die vero lunæ Mensis Octobris. *Aven-* „ *do l'Illustrissimo Sig. Conte Cesare Valvasone, fu d' un'* „ *altro Illustris. Sig. Conte Cesare, acquistato in questa* „ *Città* (di Venezia) *al publico incanto &c.* " Definit in hæc verba: " Actum Venetiis domi habitationis su- „ pradicti Illustris. Donatoris, in Prioratu Maltæ de „ confinio Sancti Antonini: præsentibus ad prædicta „ Excellentis. D. Petro Imberti q. Clarissimi D. Joseph, „ & D. Bartholomæo Milion de Colonna q. Lucæ Cu- „ biculario supradicti Illustris. Domini Comitis Cæsa- „ ris, testibus. Ego Andreas Calzavera, publicus Ven. „ Notarius, de præmissis rogatus in fidem subscripsi, & „ signavi. "
Pro sua erga nostros Alumnos optima voluntate, votis eorum, ac *Cæsaris* Comitis favit etiam *Jacobus Al-*

tovi-

tovitus Nuncius Apoſtolicus. Decretum tulit in hæc verba: " Jacobus Altoviti, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia
„ Archiepiſcopus Athenarum, Sanctiſſimi Domini noſtri
„ Papæ Prælatus Domeſticus & Aſſiſtens, ac in toto Se-
„ reniſſimo D D. Venetorum dominio Nuncius Apoſto-
„ licus. Univerſis, & ſingulis præſentes noſtras litteras
„ inſpecturis, viſuris, & lecturis, ſalutem in Domino.
„ Notum facimus: qualiter habita diligenti conſideratione
„ ſupplicationi, nobis humiliter porrectæ parte & nomi-
„ ne Illuſtriſs. D. Comitis Cæſaris Valvaſoni, ſuper ar-
„ denti affectu & deſiderio introducendi Patres S. Do-
„ minici de Obſervantia in ſuppreſſum Conventum B. Ma-
„ riæ Virginis Gratiarum, exiſtentem in Oppido Valva-
„ ſoni, de juriſdictione & de jurepatronatus reſpective
„ præfati Domini Comitis, Concordienſis dioceſis: at-
„ tento uberi animarum fructu, qui inde ſperatur, tum
„ ob peculiarem ipſius Domini Comitis religionem erga
„ dictum Ordinem, tum ob ipſorum Patrum Dominica-
„ norum de Obſervantia notoriam pietatem, & ſpiritua-
„ lia opera per eos exerceri ſolita, præſertim SS. Roſa-
„ rii: facta etiam diligenti calculatione, commode duo-
„ denarium Religioſorum numerum ex certis redditibus,
„ & ex largitionibus fidelium, attenta maxime regionis
„ ubertate, populorum devotione, & pietate, ac eorum-
„ dem Fratrum de Obſervantia frugali vivendi norma,
„ de quibus omnibus conſtat tam ex publicis documen-
„ tis in Actis exhibitis, quam etiam ex notoria regio-
„ nis abundantia, ſufficientem ſubſtentationem fore ha-
„ biturum: viſis denique videndis, & conſideratis meri-
„ to conſiderandis; cenſuimus ad majorem Omnipoten-
„ tis Dei, & B. Mariæ Virginis gloriam, concedendum
„ eſſe prout tenore præſentium concedimus, & indulge-
„ mus, ut in ſuppreſſo Conventu S. Mariæ Gratiarum
„ Oppidi Valvaſoni, & ad gubernationem & regimen
„ illius Eccleſiæ, poſſint admitti Fratres S. Dominici de
„ Obſervantia, in numero tamen non minori duodecim,
„ ibique vivere juxta formam ſuarum Conſtitutionum.
„ Non obſtantibus quibuſcumque in contrarium, & præ-
„ cipue Inſtrumento venditionis prædicti Conventus diei
„ *16.* Februarii *1659.* more Veneto, cui &c. Super quo
„ Apoſtolica auctoritate nobis conceſſa, & qua virtute
„ Officii noſtri fungimur in hac parte pariter diſpenſa-
„ mus.

„ mus. Datum Venetiis in Palatio Apostolico apud „ S. Franciscum a Vinea die XIV. Mensis Octobris „ *1665*. Pontificatus autem Sanctiss. D. N. D. Alexandri „ divina providentia Papæ VII. anno XI. Jacobus Archie- „ piscopus Atenarum Nuncius Apostolicus. Stephanus „ Rosata Cancellarius. “

Venetiis aberat Hieronymus Picinus, qui Vicariam gerebat Congregationis præfecturam, dum hæc Cæsarem de Valvasono inter, ac Alumnos Sancti Secundi agebantur. De his certior factus, Acta quæque pro suæ auctoritatis officio rata firmaque habuit. Qua de re publicæ Tabulæ confectæ in hæc verba: “ In Christi nomine „ Amen. L'anno della sua Natività *1665*. In *Conegliano* nel Convento delli Molto Rev. Padri Domenica- „ ni, presenti Marco Muretto, e Gio: Battista Fonta- „ na, ambi da Conegliano, test. Costituito avvanti me „ Nodaro il P. Rever. *Girolamo Pecini*, Vicario Gene- „ rale della Congregatione del B. Giacomo Salomonio „ dell'Ordine de' Predicatori, instò a notarsi: come ha- „ vendo inteso il tenore dell'Instromento, celebrato tra „ l'Illustriss. Sig. Conte *Cesare Valvasone*, & il P. Mae- „ stro Fr. *Tomaso Bona* Priore del Convento di San Se- „ condo di Venezia, & il P. Maestro Fr. *Bonifacio* Ma- „ ria Grandi, & il P. Lett. F. *Andrea Tron*, tutti tre „ a nome del detto Rev. P. Vicario stipulanti li 12. „ Octobre prossimo passato, come appare nelli atti del „ Sig. Andrea Calzavara Nod. Veneto: al quale con „ ogni miglior maniera facendo, & intervenendo, come „ delegato del suo Padre Reverendiss. Generale in virtù di „ lettere de' dì *26.* Settembre prossimo passato, alle quali „ &c. laudò, approbò, & ratificò detto Instrumento in „ tutte le sue parti, come sta e giace. Et ita &c. Ego „ Franciscus Rota, Veneta auctoritate Notarius publi- „ cus, supradictam ratificationem scripsi, & in fide sub- „ scripsi, & signo Tab. roboravi. “

V I.
Primus Cœnobii Prior, Andreas Tronus. Idem instauratur cum Ecclesia. Nova demum a fundamentis erigitur domus.

Andreæ Trono, quem novæ domui præfectum designabat *Hieronymus Picinus*, operis demum complementum commissum. Litteræ Ducales *Dominici Contareni* exhibitæ Forojuliensis Patriæ Præsidi eodem anno die 17. Novembris: earumque executio statim jussa. Jam antea in locum venerat *Tronus* cum sodalibus die 5. ejusdem Mensis: qui ære campano sonante, ac festiva populorum adcla-

adclamatione excepti sunt. Præfecturam titulo *Prioris* anno insequente *1666.* die 1. Maii capessivit *Tronus*, a Jo: Baptista de Marinis Generali Ordinis Magistro demandatam. Partes expleverunt omnes novi Alumni, & explere pergunt Successores, quas Instituti ratio præscribit, exposcitque Beneficorum dynastarum pietas, & populorum expectatio.

Ædes primum refici partim debuerunt, quæ vetustate fatiscebant, partim etiam usibus nostris decentius aptari. Bibliotheca instrui cœpit, quam ipse *Cæsar de Valvasono* voluminibus ornavit Latinorum presertim, Græcorumque Poetarum. Hanc pro viribus auxere, & augent Alumni successores. Ad dexterum Bematis latus in Ecclesia apponi jusserat *Cæsar* marmoream Epigraphem, quæ num. 1. allata est. Ex adverso in lævo latere alia etiam marmori incisa legitur: *D. O. M. Lucretiæ, Patriciæ Venetæ, Collalti Comitum præclaro sanguine Satæ, Priscæ Lucretiæ probitate longe præstanti, Salutis anno MDCLXIII. XIII. Kal. Octobris mœrentibus vivis ereptæ, Uxori unice dilectæ, Sibique, Comes Cæsar, Cucaneæ, Valvasoni, & Frattæ dominus, ne tumba sejungat extinctos, quos conjugalis amor annis XLII. summe junxit in vita, commune hoc utrique monumentum superstes Maritus mœstissimus P. anno MDCLXX.* Vita mortali Vir pientissimus, optime de nobis meritus, migravit anno 1673. die 2. Aprilis.

Templum elegantiore forma instauratum, politissima fornix fabrefacta, confecta ex marmore & opere plastico Altaria, supellex ad usum Sacrorum abunde curata, debentur omnia Alumnis nostris. Ædes antiquæ labascebant: unde novum Cœnobium, operam navante *Seraphino Grappino* Veneto, & Loci Priore, a fundamentis construi cœptum. Lapis primus anno 1731. die 2. Octobris Angelo Custodi Sacra, positus est. Jam fere perfectam, completamque domum incolunt Fratres.

C A-

CAPUT XXI.

Venetum Cœnobium sub nuncupatione SS. Rosarii, quod antea Jesuati Fratres possederant. Origo ejus, suppressio, redintegratio, incrementa.

I. *Origo Veneti Cœnobii, quod olim Fratres Jesuati incolebant, cum vetusto Sacello.*

VEnetum Cœnobium sequitur, quod *SS. Rosarii* titulo post ingressum alumnorum Congregationis nostræ insignitum est. Ad Fratres, vulgo dictos *Jesuatos*, antea spectabat. Quæ vetustus *Jesuatorum* Codex MS. ac typis editum *Morigiæ* opus mihi suppeditant, paucis profero omnia monumenta. Ante annum 1392. in privatis Ædibus morabantur illi in Parœcia *S. Justinæ*: eodemque anno ad Parœciam *S. Agnetis* Sedem transtulere, Solo, ac Ædibus emptis in Cœnobium erigendis. Hæc narrat laudatus Paulus Morigia Mediolanensis in Opere, quod inscripsit, *Paradiso de' Gesuati*, Libro IV. Capite III. eademque nos legimus in citato Vetusto Codice MS. *Jesuatorum*, qui in Archivo adservatur. Nota insuper scripta est, quæ Cœnobium erigi cœptum docet *anno M. CCCC. XXIII.* largas ad opus perficiundum erogante eleemosynas *Domino Mantuæ*. Is erat Franciscus Gonzaga, postea Marchio I. renunciatus. Reliqui fuere, qui subsidia attulerunt, benefici Viri, *Petrus de Saxis*, *Petrus Miani*, *Donatus Cornaro*, *Matthæus Notini*, *Nicolaus Guidicioni*, *Homobonus de Bugni*, *& Jacomellus Testa*, ut eodem in Codice adnotatum legimus.

Angustum, modicumque Sacellum erexerant, quod *divo Hieronymo* Sacrum erat: ibique communes preces orabant. Constructionem ejus anno 1434. curavisse *Antonium Venetum*, moribus probatissimum, ac præclaris gestis celebrem, adnotat Morigia Libro citato Capite IV. Addit, idem Sacellum a *B. Laurentio Justiniano*, cum adhuc Episcopus *Castellanus* nuncuparetur, consecratum fuisse cum anteriore Xysto anno 1436. Hujusce rei notam ampliorem legimus in citato Vetusto Codice *Jesuatorum*. Verba sunt vernacula: *Nel Mille Quattrocento Trentasei a dì 5. Zenaro Mis. lo Vescovo di Jovanatio, cioè Mis. Piero d'Orvietti, el quale venia da Choeta per*

ritor-

ritornare al Vescovato suo, el quale arrivò in Vinegia, e dimorava con noi poveri: e con licentia e volontà di Mis. lo Vescovo de Castello, el quale fu Mis. Don Lorentio Zustignano, chel detto e sopranominato Vescovo di Jovanatio benedicesse e consagrasse el nostro Cimiterio, cioè tutto el piano dell'Oratorio dentro, e l'Andito ch'è dinanti all'Oratorio all'entrata della Porta per fino al cantone, che mena all' Onchiostro. Hunc Petrum Urbevetanum anno 1433. electum *Juvenacensem* in Provincia *Terræ Barii* Episcopum, adnotat Ughellus.

Sepulturam Fratribus in eodem Sacello concessam, edictum promit ab eodem Laurentio Justiniano latum. " Laurentius Justiniano Dei & Apostolicæ Sedis gratia „ Episcopus Venetiarum, dilectis nobis in Christo Ser- „ vis Dei, Jesuatis vulgariter nuncupatis, Ecclesiæ & „ loci S. Agnetis de Venetiis nostræ Castellanæ diocesis, „ salutem in Domino sempiternam. Cum pro parte ve- „ stra nobis fuerit humiliter supplicatum, ut vobis licen- „ tiam concedere dignaremur, quod sepulcra vestra face- „ re possitis in illo Oratorio ad pedem planum posito, „ prout melius vobis videbitur, ad Pauperum sepulturam „ in hoc loco habitantium. Nos attendentes, hujusmodi „ petionem fore justam, ac piam, & honestam: necnon „ attendentes, quod bene facientibus non est denegandus „ assensus; tenore præsentium in his Scriptis, vobis & „ Successoribus vestris plenam licentiam & potestatem da- „ mus & concedimus, volendi facere & fieri facere Sepul- „ cra vestra in illo Oratorio ad pedem terrenum posito „ juxta vestræ supplicationis votum. In quorum fidem „ præsentem licentiam in scriptis fieri jussimus, & nostri „ Pontificatus Sigilli appensione muniri mandavimus. „ Actum, & datum in Episcopali Palatio Castellano „ die ultimo Mensis Julii anno Dominicæ Nativitatis „ M. CCCC. XXXIV. Indictione 13. Pontificatus SS. in „ Chisto Patris & Domini nostri Eugenii divina Provi- „ dentia Papæ quarti anno quarto. " Annus Eugenii quartus, & Indictio 13. incidunt in annum æræ vulgaris M. CCCC. XXXV.

II. *Templum erigitur sub nuncupatione Visitationis B. Mariæ Elisabeth.*

Templum elegans, quod hodieque visitur, erigere cœperunt Jesuati *anno* 1493. *die* 13. *Mensis Julii*, quo primum lapidem posuit *Thomas Donatus*, Patriarcha Venetiarum. De præclarissimo Antistite, Patricia nobilitate,

litteris, moribusque ornatissimo, Ordinis Prædicatorum, ac Veneti Cœnobii *S. Dominici* Alumno, agit Ughellus Tomo V. Italiæ Sacræ: pluraque differuntur in Monumentis Selectis ejusdem Conventus. Diem conlati Patriarchatus, quem antea ignorabamus, reticetque laudatus Ughellus, aliique dixere *quartumdecimum Mensis Novembris*, certo constituit *primum Octobris* præcedentis 1492. anni Antoninus Bremond Tomo IV. Bullarii in Appendice ad Constitutiones Alexandri Papæ VI.

Idem Templum completum, ornatumque post annos triginta, consueta rituum solemnitate sub nuncupatione *Visitationis B. Mariæ Elisabeth* dedicavit Joannes Episcopus Tiberiadensis. Rei memoriam servat Epigraphe marmori insculpta: *IHS. M. D. XXIV. Die XXI. Mensis Decembris. Ego Joannes Episcopus Tiberiadensis consecravi Ecclesiam, & Altare hoc in honorem Visitationis B. Mariæ Elisabeth: & Reliquias Beatorum Martyrum S. Andreæ Apostoli, & Chrysogoni in eo inclusi Sigillis: Fidelibus vero in Anniversario Consecrationis bujusmodi visitantibus annos XL. de vera Indulgentia in formo Ecclesiæ consueta concedens*. Suspicio incidit, annos 40. pro totidem diebus ab imperito positos esse scalptore. Lateranensis IV. Concilii decretum consule, quod expendimus Capite VII. num. II. De *Joanne Tiberiadensi* plura scire nondum licuit. Tunc vero Sedem Patriarchalem, a Mense Octobri ejusdem anni, tenebat *Hieronymus Quirinus*, qui nomen Ordini Prædicatorum dederat in Cœnobio *S. Dominici*.

III. *Idem Cœnobium cum ordine Jesuatorum supprimitur. Suppressionis Littera Apostolica.*

Jesuatorum Ordine, cum duabus *S. Hieronymi de Fesulis*, & Canonicorum *S. Georgii in Alga* Congregationibus, edita anno 1668. die 7. Decembris Clementis IX. Constitutione suppresso, censuit Pontifex: ipsorum Cœnobia, ac bona, quæ in ditione Veneta exstabant, in subsidium Belli Cretici, quod eo tempore contra Turcas gerebatur, destinari oportere.

Diploma datum ad *Laurentium Trottum*, Sedis Apostolicæ ad Venetos Patres Legatum, quo facultas conceditur, modusque præscribitur Cœnobia alienandi, eorumque adplicandi bona in prædicti Belli subsidium, hoc loco proferre placet. " Clemens Papa IX. Venerabilis Fra„ ter, Salutem & Apostolicam benedictionem. Cum nos „ gravissimis & rationabilibus causis Nobis notis adducti, „ Congregationes Canonicorum S. Georgii in Alga Ve-

„ ne-

„ netiarum, ac Fratrum Jesuatorum S. Hieronymi, &
„ Fratrum ejusdem S. Hieronymi de Fesulis sub Regu-
„ la S. Augustini, una cum omnibus eorum respective
„ dignitatibus, Officiis, ac Ministeriis, omnique Con-
„ ventualitate, Collegialitate, Titulo, Essentia, & de-
„ nominatione perpetuo extinxerimus & suppresserimus:
„ ac universa earumdem Congregationum sic suppressa-
„ rum respective bona, mobilia & immobilia, tum sa-
„ cra quam profana, Conventus, Collegia, Monasteria,
„ Domus, Vineas, prædia, canones, responsiones, fru-
„ ctus, introitus, & jura quæcumque, ubicumque loco-
„ rum existant, nostræ Sedis dispositioni in usus & ope-
„ ra pia per eos, quibus id a Nobis & Sede prædicta
„ commissum foret, convertenda reservaverimus, præte-
„ rea Canonicis & Fratribus dictarum Congregationum
„ suppressarum, qui nunc vivunt & in eisdem Congre-
„ gationibus respective professionem emiserunt, faculta-
„ tem transeundi ad aliam quamcumque Religionem ab
„ eadem S. Sede approbatam, in qua benevolos inve-
„ nerint receptores, aut remanendi in seculo in Habitu
„ Clericali Seculari sub jurisdictione & obedientia Or-
„ dinariorum, ubi eos morari contigerit, cum provisio-
„ ne eorum singulis pro alimentis, Clericis quidem in
„ summa quadraginta Scutorum Monetæ Romanæ, Lai-
„ cis vero seu Conversis in summa viginti Scutorum pa-
„ rium, annis singulis donec vixerint, seu aliunde suf-
„ ficienter eis provisum fuerit, super certis bonis aut
„ redditibus Congregationum suppressarum hujusmodi res-
„ pective per eosdem Ordinarios assignanda, tribuerimus
„ & impartiti fuerimus; ac demum ne Ecclesiæ earum-
„ dem Congregationum suppressarum debito destituantur
„ servitio, sed sartæ & tectæ custodiantur, prædictis Or-
„ dinariis locorum, in quibus Ecclesiæ ipsæ sunt sitæ,
„ commiserimus & mandaverimus, ut Capellanos depu-
„ tent cum competenti mercede etiam super re certa de
„ bonis prædictis assignanda, per quos Missis & aliis
„ oneribus satisfiat ac ipsis Ecclesiis debitus cultus &
„ veneratio conservetur, utque dicti Ordinarii inventa-
„ rium tam sacræ, quam profanæ supellectilis ad Con-
„ gregationes suppressas hujusmodi respective spectantis,
„ accurate conficiant, ac provideant ne a quoquam oc-
„ cultari, occupari, aut inde amoveri ullatenus possit,

„ nisi & donec a Nobis & Sede prædicta aliter provideatur ; & alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis die VI. currentis Mensis Decembris expeditis Litteris , quarum tenorem presentibus pro plene ac sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur ; & sicut pro parte dilectorum Nobilium Virorum Ducis & Reipublicæ Venetorum, nobis nuper expositum fuit , ipsi atrocissimum sibi a Turcarum Tyranno illatum bellum a viginti tribus annis pro suarum ditionum tuitione sustineant , eorumdemque Turcarum Civitatem Candiæ jandiu vehementi obsidione prementium impetus pro viribus propulsare satagant, ac ejusdem Reipublicæ facultates tot sumptibus in causa dicti Belli factis adeo attritæ de præsenti reperiantur , ut bello hujusmodi imposterum sustinendo impares sint , manifestumque proinde instet periculum amissionis dictæ Civitatis totiusque Regni Cretæ , nisi Respublica ipsa præsentaneo aliunde auxilio sublevetur . Hinc est , quod Nos qui ab ipso Pontificatus primordio omnia divinæ humanæque opis præsidia atque auxilia in subventionem rei Christianæ contra infensissimos illius Hostes assiduis Pontificii Zeli studiis conciliare , conquirere , atque pro viribus conferre non destitimus , Reipublicæ prædictæ in præsentibus rerum angustiis , quantum nobis ex alto conceditur , subvenire ; dictosque Ducem & Rempublicam pro peculiari paternæ nostræ in eos charitatis affectu specialis favore gratiæ prosequi volentes , & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, suspensionis, & Interdicti , aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis , a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt , ad effectum præsentium duntaxat consequendum , Harum serie absolventes & absolutos fore censentes ; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati , omnia & singula Memoratarum trium Congregationum , ut præmittitur , suppressarum bona , exceptis sacris , in Statu dictæ Reipublicæ Venetorum existentia , in subsidium atque subventionem Civitatis Candiæ & Regni Cretæ prædictorum , ac expeditionis contra Turcas supradictos Apostolica auctoritate tenore præ-

„ sen-

„ ſentium perpetuo applicamus. Ac tibi per easdem præ-
„ ſentes committimus ac mandamus : ut per te ipſum
„ vel Commiſſarios a Te ſpecialiter deputandos bona
„ hujusmodi quamprimum Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis
„ locis piis duntaxat , itaut Eccleſiaſticæ Jurisdictioni
„ ſemper ſubjaceant, & ſubjecta atque Eccleſiaſtica per-
„ petuo remaneant; & ad Eccleſias, Monaſteria, & lo-
„ ca pia hujusmodi , illa reſpective empturas & emptu-
„ ra, cum omnibus & ſingulis libertatibus , immunita-
„ tibus, exemptionibus, privilegiis, juribus, & indultis,
„ cum quibus ad Congregationes ut præmittitur ſuppreſ-
„ ſas ante ſuppreſſionem hujusmodi ſpectabant, & ab illis
„ poſſidebantur, pariformiter perpetuo ſpectare & ab illis
„ poſſideri & retineri debeant , Auctoritate noſtra Apo-
„ ſtolica vendas, detractis, tamen prius detrahendis, tam
„ pro alimentis nunc viventium Canonicorum & Fra-
„ trum ſeu Religioſorum Congregationum ſuppreſſarum
„ prædictarum juxta ſupradictas noſtras Litteras , quam
„ pro ſervitio & manutentione Eccleſiarum earumdem
„ Congregationum atque onerum illis reſpective incum-
„ bentium ſupportatione: ac pretium inde redactum de-
„ poni facias penes Ædem Sacram, vel perſonam fide &
„ facultatibus idoneam , itaut inde extrahi ſeu amoveri
„ minime poſſit , niſi cum Mandatis propria tua manu
„ ſubſcriptis cum expreſſione cauſæ & uſus , in quem
„ pecunia erit eroganda: qui quidem uſus non ſit alius,
„ quam pro ſubſidio, & ſubventione, ac expeditione an-
„ tedictis . Ut autem Eccleſiis, Monaſteriis, & aliis lo-
„ cis piis prædictis pecuniæ ad emenda bona hujusmodi
„ neceſſariæ ſuppetant, Rectoribus, Curatoribus, Admi-
„ niſtratoribus, Economis , ac Superioribus , ſeu Procu-
„ ratoribus earumdem Eccleſiarum, Monaſteriorum , &
„ locorum piorum reſpective , vel alias ad quos ea res
„ ſpectat ſeu pro tempore ſpectabit, cenſus & alias præ-
„ ſtationes ſeu jura omnia ad ipſas Eccleſias , Monaſte-
„ ria, & loca pia reſpective ſpectantes & ſpectantia, qui
„ tamen & quæ vel ex natura contractus , vel ex con-
„ ventione in ipſis contractibus appoſita ſint redimibiles
„ vel redimibilia , quantum opus fuerit , meliori , qua
„ fieri poterit conditione , vendendi , & alienandi : vel
„ pecunias ad cenſum , ſeu aliud licitum interuſurium
„ vel intereſſe ſuper Eccleſiarum, Monaſteriorum, & lo-

„ co-

„ corum piorum prædictorum respective bonis capiendi:
„ & pecunias inde proventuras in emptionem bonorum
„ stabilium, eis respective per Te seu Commissarios tuos
„ ut præmittitur vendendorum, & non in alios usus uni-
„ co contextu integre convertendi & erogandi, necnon
„ Instrumenta quæcumque cum obligationibus, Clausu-
„ lis, & cautelis in similibus apponi solitis, seu aliis
„ necessariis & opportunis celebrandi seu celebrari alia-
„ que desuper necessaria & opportuna faciendi & exe-
„ quendi, quantamcumque necessariam atque opportunam
„ facultatem & licentiam dicta Auctoritate concedas &
„ impartiaris. Decernentes, easdem præsentes Litteras
„ firmas, validas, & efficaces existere & fore, neque sub
„ quibusvis similium applicationum revocationibus, suf-
„ pensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dis-
„ positionibus unquam comprehendi aut comprehensas
„ censeri: sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ
„ emanabunt toties in pristinum & validissimum statum
„ restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac etiam
„ sub posteriori data per prædictos Ducem & Rempubli-
„ cam quandocumque eligenda concessas intelligi, suos-
„ que plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, &
„ eisdem Duci & Reipublicæ ac aliis ad quos spectat &
„ pro tempore spectabit in omnibus & per omnia plenis-
„ sime suffragari. Sicque in premissis per quoscumque Ju-
„ dices Ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii
„ Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam
„ de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, alios-
„ ve quoslibet quacumque præeminentia & potestate fun-
„ gentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet, qua-
„ vis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctori-
„ tate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane si
„ secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter
„ vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante, qua-
„ tenus opus sit de jure quesito non tollendo, ac de ex-
„ primendo vero valore in similibus applicationibus, il-
„ lisque committendis ad partes, vocatis quorum Inte-
„ rest: aliisque nostris ac Cancellariæ Apostolicæ Regu-
„ lis, necnon fel. rec. Pauli II. & aliorum Romanorum
„ Pontificum Prædecessorum nostrorum de rebus Ecclesiæ
„ non alienandis, & illarum alienationibus committen-
„ dis: aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provin-
„ cia-

„ cialibus, & Synodalibus Conciliis editis Generalibus „ vel Specialibus Constitutionibus & Ordinationibus, ac „ omnibus & singulis illis quæ in prædictis Litteris voluimus non obstare: necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, „ & locorum piorum hujusmodi etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis & Consuetudinibus. Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. „ Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, „ ad præmissorum effectum hac vice duntaxat, specialiter & expresse derogamus, Cæteris contrariis quibuscumque &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem „ sub annulo Piscatoris die VII. Decembris M.DC.LXVIII. „ Pontificatus nostri anno secundo. “

Positum itaque in Foro auctionario Venetum *Jesuatorum* Cœnobium, *Josepho Cavanio* Cive Venetiarum Fratribus nostris impense benevolo procurante, nobis obtigit sub hasta anno insequente *1669.* die 1. Aprilis. Numerata pecunia, quam juxta concessas facultates collegerat Antoninus *a S. Catharina*, Vicarius Generalis Congregationis; ad ipsius Ecclesiæ, sacrorumque Vasorum traditionem ventum est. Primæ traditionis *Acta* notata leguntur *anno Nativitatis Domini nostri Jesu Christi M. DC. LXIX. Indictione VII. die vero Mercurii XXII. Mensis Maii, Venetiis in Sacristia supradictæ Ecclesiæ* (Jesuatorum,) subscribente *Stephano Rosata J. U. D. Protonotario Apostolico, Illustrissimi & Reverendiss. Nuncii Apostolici Veneti ejusque Curiæ Cancellario*. Traditio altera peracta est *in Camera Reliquiarum S. Georgii Majoris Venetiarum Congregationis Cassinensis, die Jovis XXIII. Mensis Maii*, eodem Stephano Rosata *Acta* conficiente.

IV. *Comparant illud sub hasta Alumni Congregationis B. Jacobi Salomonii.*

Publicæ Tabulæ, quæ prædicta omnia, ac onera Missarum, aliaque Acta complectuntur, insequente anno confectæ sunt, Ecclesiastica, & seculari auctoritate munitæ. Incipiunt vero: *In Christi Nomine Amen. Anno Incarnationis ejusdem Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo, Indictione VIII. die vero Martis XV. Mensis Julii*. Desinunt: *Actum Venetiis in Officio Sanctissimæ Inquisitionis; præsentibus ad prædicta D. D. Antonio Contino q. Thomæ, &*

Jo:

Jo: Jacobo Ucelli Filio D. Sebastiani Testibus. Subscribunt lingua vernacula *L' Arcivescovo di Cartagine Nunzio Apostolico* (Laurentius Trottus,) *& Alvise Foscarini Procurator, & Collega Procurator*, (is erat Andreas Pisanus) *deputati*. Sequuntur Scribæ. Primus: *Ego Stephanus Rosata J. U. D. Protonotarius Apostolicus, Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Nuncii Apostolici Venetiarum, ejusque Curiæ Cancellarius, & ad præmissa in solidum cum D. Claudio Paulini Publico Venet. Notario specialiter deputatus subscripsi, ac solito Curiæ sigillo ac mei Tabellionatus signo munivi in fidem*. Alter: *Ego Claudius Paulini Publicus Venet. Notarius, ac una cum supradicto Excell. Rosata Cancellario Concancellarius deputatus in fidem subscripsi & signavi*.

V.

Ejusdem Cœnobii inita possessio. Collegium translatum, Ædes refectæ. Sodalitium Militiæ Angelicæ.

Novi loci possessionem anno superiore *1669.* die 14. Mensis Julii adierant Fratres. Collegium Studentum, quod in Insula *S. Secundi* erectum fuerat, ut Alumnorum incolarum numerus augeretur, illico traslatum. Hanc jusserat, adprobaveratque Translationem litteris eodem anno *die XXIX. Junii* datis *Petrus Maria Passarinus*, qui titulo *Vicarii Generalis* post obitum Jo: Baptistæ de Marinis administrabat Ordinem. Insequentis Mensis Augusti die 24. scriptis de more schedis primus adlectus est Prior Cœnobii, quem *Rectorem* Collegii causa appellamus, *Petrus Martyr Degna*.

In hisce excepti Ædibus Fratres, reficienda vetusta ac ferme labentia ædificia curarunt: nova pleraque adjecerunt, locumque elegantiore forma instauratum reddidere aptum, quem commode plures incolerent, quam Sexaginta alumni. Frequentissimum ex omni ordine populum ad Ecclesiam trahebant castigatissimi ipsorum mores, divina Misteria rite ac modeste peracta, Deo laudes gravi cantu persolutæ, publica ter in Hebdomade Mariani Psalterii decantatio, Conciones habitæ e suggestu festivis diebus, assidua Ministrorum in excipiendis Pœnitentium confessionibus diligentia, totiusque divini cultus ratio adamussim celebrata.

Accedit Cœnobio nostro ornamentum ex Sodalitate sub nuncupatione *Militiæ Angelicæ*, quam erigendam curarunt Alumni pro sua erga Sanctum Doctorem Aquinatem observantia, tuendæque continentiæ seu castitatis Zelo inter seculi pericula, ac vitii late patentis incitamenta.

ta.

ta. Pii Instituti primordia atqne progressum narrant non panci Scriptores, *Franciscus Deurvverderus* Belga in Libello Militiæ Angelicæ, *Continuatores Bollandi* ad diem VII. Martii, *Ludovicus Bancel* delphinas in Opusculo, quod ipse memorat in Tractatu de Castitate in calce Theologiæ Moralis, *Joseph Maria Zucchius* Italus in Libro vernacule inscripto, *La Milizia Angelica*. Primum laudato Deurwerdero consilium insedit, quod Vincentio Candido tunc Generali Ordinis Prædicatorum Vicario proposuit, de Sodalitio inter Belgas instituendo, quod nomine *Militiæ Angelicæ sub cingulo Castitatis divi Thomæ* appellaretur. Certas leges descripsit, quas servandas profiterentur Sodales: ipsamque Sodalitatem, adprobante Ordinario loci, erigendam voluit. Prima erectio Lovanii anno *1649.* facta est: eademque confirmata ab Innocentio X. qui hac ratione militaturis ex Thesauro Ecclesiæ stipendia proposuit Indulgentiarum.

Sodalitia plura deinceps in aliis Provinciarum Cœnobiis, magno Fidelium emolumento, instituta sunt: idemque Castitatis præsidium obtinere sibi, aliisque studuerunt Veneti Cœnobii nostri alumni. Favit Innocentius XI. dato Indulgentiarum diplomate *Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die III. Aprilis M. DC. LXXXII.* Favit etiam *Aloysius Sagredus* Patriarcha Venetiarum, qui Fratrum precibus annuens, decretum tulit his verbis: " Die VII. Aprilis M. DC. LXXXIV. Venetiis in
„ Palatio Patriarchali. Coram Illustrissimo & Reveren-
„ dissimo D. D. Aloysio Sagredo, Miseratione divina Pa-
„ triarcha Venetiarum Dalmatiæque Primate &c. com-
„ paruit Rev. Pater Angelus Fantini, Rector Monaste-
„ rii S. Mariæ Elisabeth, alias SS. Rosarii; & tam no-
„ mine suo, quam aliorum Patrum retroscriptorum,
„ actualiter præsentavit antescriptam Supplicationem, una
„ cum Regulis tenoris &c. instando ad effectum Cano-
„ nicæ erectionis Confraternitatis Militiæ Angelicæ, seu
„ Cinguli sub protectione Angelici Doctoris divi Tho-
„ mæ, super illis Patriarchale decretum & Ordinariam
„ auctoritatem interponi &c. Qui Illustrissimus & Reve-
„ rendiss. D. D. Patriarcha, visis Regulis ut supra præ-
„ sentatis, illas admisit: & Confraternitatem prædictam
„ Canonice erectam declaravit, & super contentis in di-
„ ctis Regulis suum Patriarchale decretum & Ordinariam

„ auctoritatem interposuit, servatis in reliquis servandis. „ Aloysius Patriarcha. Jo: Baptista Lazari Canonicus Pa„ triarchalis. “ Memoratæ cuique obviæ sunt Regulæ: easque Continuatores Bollandi loco citato ex Duerwerdero describunt, ac Italice recenset Zucchius. Patres demum, qui *retroscripti* dicuntur, supplicemque Libellum obtulere, non prætereo. Sunt vero *Angelus Fantinus Rector Collegii*, *Bonifacius-Maria Grandius Magister & Regens*, *Antoninus a S. Catharina Prædicator Generalis*, *Alexander Alexandrinus Prorector*, *Marcus-Antonius Riccius*, *Thomas-Maria de Romano*, *Petrus-Martyr Bertagna*, *Thomas-Antonius Massaius*.

VI.

Novi Templi elegantissima erectio. Solemnis ejusdem dedicatio. Picturæ, & ornamenta marmorea. Antiphonaria, & Responsoria ad usum chori.

Vetusti Sacri Templi cum nimia foret angustia, sacris ritibus peragendis minus apta, satisque molesta confluenti populo, de novi Templi erectione sæpe consultum, atque demum benevolis Viris Patriciis, Civibusque instigantibus deliberatum fuit. Formam, Archetypumque delineavit *Georgius Massarius* Venetus Architectus. Primum Marcus Gradonicus Patriarcha Venetiarum posuit lapidem, in quo Numisma æreum magni moduli commissum est ad perpetuam rei memoriam. Exhibet sequentem Epigraphem pars antica: *D. O. M. Templi*, *quod in honorem Virginis deiparæ Titulo Rosarii Fratres Cong. B. Jacobi Salomonii O. P. moliri ex piorum munificentia designarunt*, *Marcus Gradonicus Patriarcha Venet. primum lapidem P. anno Christi M. DCC. XXVI.* Dies erat *decimaseptima* Mensis Maii. Stemmata quatuor in postica visuntur, Romani Pontificis, Ducis Venetorum, Patriarchæ, & Ordinis simulque Cœnobii. Quatuor etiam brevissimæ leguntur Epigraphes: prima, *Benedicti XIII. P.M. An. II.* altera, *Aloysii Mocenici Ducis V. An. IV.* tertia, *Marci Gradonici Patriarchæ Venet.* quarta, *Collegii SS. Rosarii Venet. O. P.*

Alia legitur in exteriore Templi fronte Istro marmore confecta Epigraphe, litteris inauratis nigro lapidi commissis exarata: *D. O. M. In. Honorem. Virginis. Deiparæ Titulo. Rosarii. Piorum. Ære. Collato An. M.DCC.XXXVI.* quo scilicet anno, Turribus perfectis, erectoque Trullo, pars etiam Templi suprema completa est.

Novum Templum vidimus ætate nostra perfectum. Numini supremo ut solemni ritu dicaretur in honorem Virginis deiparæ *Titulo Rosarii*, decreverunt Patres, amplissi-

mæ

mæ universæ Metropoleos, piorumque omnium qui pecuniarum subsidia erogaverant, votis annuentes. Religiosam peregit ceremoniam *Aloysius Foscarus*, Patriarcha Venetiarum, anno 1743. die 29. Septembris, Dominica, Michaëli Archangelo sacra. Altare Majus hac die consecratum, dedicatumque Templum. Anniversariam diem, ne Festa concurrentia negotium facesserent, in Dominicam tertiam Octobris transferri deberi, decretum est. Per insequens triduum Encænia nostra celebravimus, Missarum solemniis, laudibus Deo decantatis, & habitis e Suggestu Sermonibus, frequentissimo ex omni ordine Civium numero confluente.

Aliæ quatuor, ad latera Templi jam erectæ Aræ, diebus octava, & nona Octobris eodem Venetiarum Patriarchæ sacros ritus exsequente, sacratæ sunt: *Domino nostro Jesu Christo Crucifixo* prima, & altera in honorem *Beatæ Mariæ Virginis titulo Rosarii:* tertia *Sancto Dominico* nuncupata, & quarta *Sancti Vincentii Ferrerii* nomine. Alia duo, quæ sequiore tempore perfecta fuerunt Altaria, idem Venetus Patriarcha anno 1749. dicavit die Veneris 29. Mensis Augusti: quintum scilicet, in honorem *Sancti Pii V. Pontificis Maximi*: & sextum, in honorem *Sanctæ Rosæ Virginis*.

Corinthium ordinem exhibet structura Templi. Istro marmore confecta sunt Columnarum bases, & capitula, & epistylium, ac superior corona, quæ aream Templi, & Sacellum Majus, ac Odæum circumambit, & Sacellorum arcus omnes. Selectioribus constant Aræ marmoribus, candido scilicet, vulgo *Marmo di Carrara*, & siculo coloribus variegato, *Diaspro di Sicilia*: quod vero Aræ majori insidet Ciborium, sive Tabernaculum, lapide Cyaneo, vel *lazzulo* orientali coopertum est. Templi laqueare picturis in calce recenti ornavit Jo: Baptista Theupolus, qui hac pingendi arte maxime valet. *Crucifixum* pinxerat olim Jacobus Robustus, vocatus *Tinctoretus*: cæterasque Tabulas pinxerunt, *Sanctii Pii* Sebastianus Riccius, *Sancti Vincentii Ferrerii* Jo: Baptista Piazzetta, itemque *Sanctum Dominicum* marmori anaglyptice elaborato inexistentem, ac *Sanctæ Rosæ* laudatus Theupolus. Intercolumnia denique ornant marmoreæ statuæ sex, & anaglypha octo, Joannis Mariæ Morlaiter Sculptoris opera.

Prætermittenda hoc demum loco non sunt Volumina XXIV. ex folio maximo membranaceo confecta, quæ juxta Veterum appellationem vocari possunt *Antiphonaria*, & *Responsalia*, & *Officialia*: continentque integrum diurnum & nocturnum *de Tempore*, ac *de Sanctis* cursum, ac cætera quæque ad *Liturgicum* opus pertinentia. Tot unus grandia exaravit volumina *Pius Maisis* Venetus, Congregationis alumnus, robustæ sanitatis homo, ac laboris patientissimus. Characteres multiplices, quotquot opus erant, majores, medios, minoresque, dictos *Monachales* antiquos a peritis, ipse propria effformavit industria, attenuatas aurichalci laminas arte perforando. Tum vero, superinducto penicillo, atramento aut cinnabari aut alio colore tincto, litteras facilitate summa, ac mira celeritate pingebat, alteram post alteram, ac etiam litterarum nexus, & vocum compendia, notasque musicas. Præcipuæ litteræ initiales inauratæ sunt, ac pictis flosculis ornatæ: earumque intra spatium picturæ visuntur, alia perita manu confectæ, quæ solemnia per annum recurrentia Domini mysteria, atque Sanctos repræsentant. In vetustis hujusce generis librorum ornamentis nihil est, quod præferri debeat.

VII. *Præcipuæ sepulcrales epigraphis vetustæ Ecclesiæ.*

Præcipuas, ne pereant, sepulcrales profero Epigraphes, quæ priore in Ecclesia legebantur.

1. A te, gran Re del Ciel, con puro core
Consacro la più degna, e miglior parte,
Come l'altra donai sul più bel fiore,
In servizio di Carlo, al fiero marte.
Dò alla patria, e agli amici ogni mio onore,
Nel cui servizio oprai l'ingegno, e l'arte.
Di giovar ad ogn'un, fù il mio diletto:
Benedetto Bramier da ogn'un fui detto.

Mili-

Militem, aut militiæ Ducem, anaglypho opere, lapis repræsentat. Ferunt, sub Carolo V. ipsum militasse.

2. Aloysio Zane Patritio Veneto
Et Joannettæ Filiæ
Pientissima Maria Aymo uxor
Et mater vivens posuit
Die X. Octobris M.DX.

3. Gaspar Valerius, cujus acerbiss.
Casum tota Civitas deploravit,
Sibi Patrique suo Stephno M. fieri jussit
Quoque vectigali aureorum XVI.
Per dotem perpetuam instituto.
Obiit an. Sal. MDXI. VIII. K. Julias.

Supremum Viri supplicium narrat Petrus Bembus in Historia Veneta ad An. 1511. *In urbe uni ex nobilitate Civi, Gaspari Valerio, quod hominem, Rocchum nomine, Tabellariorum Reipublicæ præfectum, Taurisi interfecerat, Decem virum Judicio, medio in foro, cervices sunt abscissæ*. In vetusto MS. Jesuatorum Codice hæc habentur: *Gasparo Valier, al quale fù tagliata la testa, ordinò 1511. 24. Maggio, che il suo cadavere fosse sotterrato nella Chiesa de' Gesuati, e lasciò ducati 16. all'anno per un Capellano.*

4. Benedicto Simitecolo q.
Nicolai, Patri Carissimo
Sibique & eorum posteris
Filii pientiss. posuere.
Obiit anno Domini MDIX. VIII. die
Febr. Ætatis suæ XLVI.

Con-

5. Contarinæ filiæ unicæ
Dulcifs. immatura morte
Dum uterum ferret
Præventæ Hieronymus
Contarenus
Pater mœrens
Ob pietatem
P.
Vixit ann. XXVII. Men. VIII.
Di. IX. Obiit Idib. Sept.
MDXXXV.

6. Unio. Aloyfius Balbi
Uxori, Sororibus, & Nepotibus tantum
Lapidem hunc ordinavit
Et ejus Commiffarii pofuere
Anno MDLXXIV. X. Septemb.

7. Fortiffimo Venetæ Claffis Imperatori Petro Barbadico, Auguftini illius præclari & felicis pugnatoris filio, poft Fugatam ex Adriatico finu hoftium claffem, fubito funere inter navigandum extincto. Anno Domini MDCXVI. Antonius Priolus, Venetiarum Princeps; Sororio Illuftriffimo dedicavit.

Epi-

Epigraphem, veluti olim in Ecclesia exstantem, refert Georgius Palferus in MS. Codice, cui titulus: *Memorabilia Venetiarum Monumenta*. Codicem, olim Apostoli Zeni, servat Veneta nostra Bibliotheca. Cubat error in anno *1616*. quo nondum Venetiarum Dux electus fuerat Priolus. Dignitatem obtinuit anno 1618. Mense Majo: & anno insequente *1619*. obitum *Petri Barbadici* recenset Baptista Nanus in Historia Veneta.

8. Joannis Picini
Ossa
Qualis Vir
Quem pene octogenarium
Pietate, prudentia, consilio
Patriæ, exteris cunctis beneficissimum
Sua tempora obstupuere
Futura vix credent
Obiit Nonis Octobris MDCLXIX.
Meritis, non annis confectus
Perennis hoc memoriæ monimentum
Mœstissimus filius Angelus Maria
Tanto patri, sibique, & posteris
extruxit
M D C L X X.

Viri præclarissimi benevolentiæ, consilio, ac operæ incrementa sua debet nostra *B. Jacobi Salomonii* Congregatio.

9. Hic quiescit
Nobilis vir Cæsar Balbi
Filius Nob. Viri Cæsaris Pat. Ven.
Defunctus die tertia Mensis Septembris
Currente anno Domini MDCIIIC.
Ætatis vero suæ XIX.

Pau-

10. Paulo Vallareſſio
Concordienſi Epiſcopo
Suaviſſimo Patruo
Nepotis pietas
MDCCXXIV.

Præclariſſima Antiſtitis præſtantiſſimi erga nos merita in Conventu *Cordubatenſi* inferius celebranda. Cineres ejus, & ſepulcrum, & epigraphe in novum Templum translata ſunt in ædiculam, dextero Bematis lateri adhærentem.

VIII. *Novi Cœnobii fundamenta poſita.* Magna Cœnobii noſtri pars dirui debuit, ut novo Templo locus pateret. Anguſtiſſimum remanſerat ſpatium, & extra regulam poſitum: quod etiam ad novam erigendam domum ineptiſſimum reddebat defluens rivus, locum noſtrum circumlambens, & agellorum disjungens partes quaſdam, quæ ſi emerentur, ſatis aptæ videbantur. Perplexa in cœtu Patrum colligebantur conſilia. Pro retinenda anguſtia loci ſuffragia ferebant alii, modica domo quoquo modo erigenda contenti. Ampliorem curari ſitum proponebant alii, non amplam novi Cœnobii ſtructuram cogitantes, ſed attamen decentem. Animos humaiſſimus, prudentiſſimusque Generalis totius Ordinis Magiſter conciliavit: ac alterius demum partis prævaluere conſilia. Favente Principe jam facta rivum ſupradictum divertendi facultas fuerat, contiguasque agellorum partes, ac Ædes quæ ad Patriciam gentem *de Ripa* ſpectabant, inita cum Dominis conventione comparandi.

Novi Cœnobii formam delineavit *Georgius Maſſarius*, Venetus Architectus: quam rite expenſam, adprobatamque in Cœtu Patrum, ratam habuit juxta juris formulas *Gervaſius Tamoſſius*, Congregationi Præfectus. Fundamenta jacta ſunt anno 1751. die 3. Martii, rei memoria Numiſmati aereo Inſculpta: *D. O. M. a dedicatione Templi, Virgini deiparæ ſub Titulo Roſarii Sacri, anno ſeptimo elapſo, Fratres Prædicatores, diruto antiquo; novum Cœnobium eidem Virgini erigere cœperunt, Benedicti XIV. P. M. anno XI. Aloyſii Foſcari Patr. Venet.*

net. anno X. & Petri Grimani Ducis anno X. primo lapide posito V. Kal. Aprilis anno MDCCLI. Jo: Baptista Contareno Cœnobii Rectore : ubi dies *V. Kal. Aprilis* irrepsit pro *die V. Nonas Martii*. Cœptum opus fortunare dignetur Supremum Numen.

CAPUT XXII.

Bibliotheca Cœnobii. Prædives, & selecta Apostoli Zeni, Veneti Civis, Bibliotheca eidem Cœnobio legata. Nonnulli Scriptorum Ordinis Prædicatorum Codices MSS. recensentur.

I. *Veneti Cœnobii Bibliotheca. Petri Caffis, & Augustini a Puteo legata duo. Ejusdem Bibliothecæ incrementa.*

TRanslato studentum Collegio, sive Gymnasio in Venetum Cœnobium, nihil antiquius habuere Majores nostri, quam ut Sacræ bonæque litteræ florerent. Eo consilio ductus Bibliothecam instruxit satis amplam *Bonifacius Maria Grandius*, qui plures annos eodem in Collegio sacras litteras tradidit. Libros suos, legato scripto, reliquerunt *Petrus Caffis* Venetus in arte Medica peritissimus, & *Augustinus a Puteo* Veronensis, Matheseos professor: quos honoris, & grati animi causa prætermittere non licet. Marchio Scipio Maffejus in Opere, quod inscripsit *Verona Illustrata*, Parte II. Libro V. inter Scriptores Veronenses adnotat, *magnam* nobis ab Augustini a Puteo Bibliothecam, (*la sua gran Libreria*,) legato relictam. Non ingentem, neque selectum legavit, sed modicum suæ artis librorum numerum Veronensis Matheseos Professor: sed accepti tamen beneficii, qualecumque fuerit, oblivio nulla memoriam delebit.

Sequiore tempore incrementa cepit Bibliotheca, sive copiam voluminum spectes, sive argumentorum varietatem, sive demum elegantiam typorum, curam gerentibus Rectoribus, qui pro tempore Collegium Cœnobiumque rexerunt. Alios bene & optime meritos nomino præcipuos alumnos, *Dominicum Mariam Andriussium*, *Danielem Concinam*, & *Nicolaum* fratrem ejus, qui librorum supellectilem pro eo, quo erga sacras bonasque litteras affectu ducuntur, diligentiorem navarunt operam,

ut augerent. His omnibus, (quod verum est, profero,) laboravi plus ego.

II.

Apostoli Zeni Bibliotheca in idem Cœnobium Venetum inlata. Viri præclarissimi elogium.

Maximum supra, & contra spem accessit incrementum. Integra scilicet, Voluminibus editis, ac etiam MSS. refertissima, in Cœnobium nostrum inlata est Illustrissimi Apostoli Zeni Bibliotheca. Testamentarias fieri Tabulas jusserat *anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* 1747. *Indictione decimaprima*, (a Septembri mense precedente,) *die vero Mercurii* 18. *Mensis Octobris*, *Rivoalti*. Tabulas scripsit *Emilius Velanus Notarius Venetus*. Insigne legatum his verbis exprimitur: " Avendo io in tutto il corso della mia vita raccolta, e unita con sommo studio, e dispendio, una non disprege- vole Libreria, ho desiderato, e maturamente stabilito di lasciarla in mano di chi ne conosce il prezzo, e sapia farne buon'uso; e non permetta ch' essa vada, come per lo più suol farsi di somiglianti tesori, miseramente distratta e dispersa. A tale oggetto, e fermamente persuaso di non poterla meglio, ne in migliori mani collocare; ordino, e voglio ch' essa mia Libreria, cioè tutti i libri si stampati, che manoscritti di mia ragione, e che in qualsivoglia modo appartenermi potessero, sia data subito, e consegnata liberamente, e senza alcuna riserva, dal mio fedel Commissario ai sopranominati più volte R. R. Padri Domenicani Osservanti sù le Zattere, in caso che per anco non gli avessi a loro, come è mia intenzione, ceduti e donati in vita, acciocchè ne rimangano subito dopo la mia morte assoluti, e perpetui possedi- tori, e padroni: senza poterli però mai, nemmeno in parte alienare, quando anche ne avessero di duplicati, pregando la loro carità, a me pienamente ben nota, a titulo di grata corrispondenza, di raccomandare al Signore l' anima mia. Son certo, che ne faranno un catalogo a parte assai più esatto di quello ch'io ne ho fatto stendere da altri in gran parte, e da me pure continuato, ma imperfettamente; e che nondimeno esser potrà ad essi loro di qualche uso. Abbiano eglino similmente il mio Ritratto, dipinto bravamente dal Sigr. Bartholomeo Nazari in tela, da collocarsi e tenersi nella stanza della Libreria. "

Vir Illustrissimus, de nobis optime meritus, ex Patri-

tricia Gente Zena, in Cretam Insulam cum Colonia feculo terciodecimo traducta prognatus, Venetiis natales habuit anno 1668. die undecima Decembris, *Petro Zeno* Patre, ac Matre *Catharina Sevasta* nobilissimæ inter Cretenses familiæ. Aut oscitantia, aut casu accidit, quod albo Patriciorum, (*libro d'oro*,) Nicolai avi nomen inscriptum non fuerit: unde inter Cives Venetos posteri connumerabantur. Moribus optimis, ac bonis litteris ut apud Religiosos Viros Somaschæ Congregationis imbueretur, post obitum patris, præcipua cura fuit Francisci Zeni, qui patruus, ei erat, infulasque Justinopoli in Istria Episcopales gestabat. Ex ephœbis egressus, poesim Italicam diligentissime coluit: legebatque frequentius elucubrata carmina in patriis Academicorum cœtibus, quibus accensebatur. Drammatico generi, quod in Theatris aut canitur, aut recitatur, splendorem attulit plurimum, ad artis regulas redacto, purgatoque nimia, quæ invaluerat, morum licentia. Neque tamen Drammata sua, quæ plurima scripsit, ullo habebat in pretio: quin jusserit, abs nova eorum collectione, quam typis edi curabat alius, auferri non pauca, eademque veluti non sua coram palamque repudiaverit. Italicam linguam, ac vocum proprietatem, modorumque elegantiam callebat: proque meritis Academiæ Florentinæ, ac illi etiam quam *della Crusca* vocant, adscriptus, Vocabularium compendio collectum, auctum etiam, ornatumque typis edi curavit. Diariis Litteratorum Italiæ, (*Giornale dei Letterati d'Italia*,) uberiore litterarum emolumento, conficiendis anno 1710. manum admovit. Insudavit operi, quod omnium plausu excipiebatur, ad annum usque 1718. quod *Petrus Catharinus*, Frater ejus, insignis Somaschæ Congregationis alumnus, usque ad annum 1727. perduxit. Scriptorum Italiæ, qui medio & sequiori floruerunt ævo, ac latine Chronica & Historias scripsere, si qua notitia ultra montes exoptabatur, ex Libris hauriebatur omnis, quos *de Historicis latinis* Gerardus Joannes Vossius concinnaverat. Dolebat Apostolus, pinguissimos propinari a Vossio, ac tuto sorberi ab aliis errores: dolebatque, litteraria Italorum gesta, ac opera insignia apud exteras gentes vix nosci. Censuit ergo, Diaria sua *dissertationibus* proprio marte confectis locupletare: quibus admissi a Vossio castigarentur errores, quæve desi-

derabantur plurima, diligentissime recenserentur scitu dignissima. Editas simul colligere Dissertationes, ac uno complecti in opere omnes, extremis vitæ annis cogitavit: perfecitque lucubrationem duobus MSS. comprehensam voluminibus in folio; nævis omnibus purgatam, cumulatamque magna ac prædivite rerum accessione. Poetarum, qui lingua Italica, primum nata, tum adulta, suamque ad perfectionem perducta, genus omne Poeseos coluere, cum animo volveret Historiam; summo studio, ac improbo congessit labore monumenta, quæ opus erant, vix aliis nota: sed illa demum ab mente destitit, hanc relinquens Joanni Mariæ Crescimbenio spartam ornandam. Vetusta populorum monumenta ut illustraret, antiquis inscriptionibus rite intelligendis, colligendisque vacabat: collegitque numismatum, quæ modulos omnes, ac metalla exhibent omnia, locupletissimum thesaurum, extremo demum vitæ tempore alienatum. Nihil vero erat illi antiquius Historia patria, Sacra & Civili, universa ac particulari, & Familiarum genealogica, litteraria & typographica: deditque specimina in Vitis *Marci Antonii Coccii Sabellici*, & *Pauli Parutæ*, in Notis etiam & additamentis ad Vitam *Petri Cardinalis Bembi* a Joanne Casa contextam, & in Historicis *Manucciorum* monumentis: quo in genere locum habet *Henrici Catharini* Davilæ Vita. Apostoli Zeni tota Italia, & apud exteras gentes in Europa resonabat fama, qua permotus Virum Clarissimum Viennam anno 1718. advocavit Imperator Cæsar Carolus VI. Augustus, Cæsarei Poetæ, ac Historici titulis insignitum, in Aula Imperiali meriturum stipendia, maximeque Augustæ Familiæ gratiam. Imperatoris expectationem æquavit certe, vel etiam vicit Poematum quæ conficiebat venustas, elegantia, vigor, artificium, eorum maxime quæ Sacrum argumentum habent. Diuturni adimpleti officii merito, ac valetudinis farciendæ causa, facta ipsi anno 1729. remigrandi in patriam facultas, ea adjecta conditione, ut pro jussu Augusti, ac deinde Mariæ Theresiæ Augustæ, Poemata quæ imponerentur elucubraret, Cæsarei Poetæ, ac Historici titulis retentis, receptaque primum integra, deinde ex parte annua remuneratione. Posthumum, quod prodiit, Justi Fontanini Forojuliensis, Archiepiscopi Ancyrani, opus *della Eloquenza Italiana* in-

inscriptum, latissimum Zeno aperuit campum, ut Philologiam Italicam a Viro præstantissimo expositam diligentiore cura expenderet, corrigeret, illustraret, sive quæ Scriptorum, qui aurea bonarum litterarum ætate floruere, gesta enarrat, sive quæ eorum insignia recenset opera, sive quæ demum de melioribus rarioribusque Typothetarum editionibus agit. Laboriosissimum opus, Voluminibus MSS. duobus in folio comprehensum, consummavit auctor cum vitæ termino. Religionem ejus, pietatis officia, mores optimos, comitatem, suavitatemque, ac miram libros suos commodandi, quæve ipse didicerat tradendi cæteris facilitatem, satis nemo commendaverit. Infirmam, & adversam tot laboribus fractus contraxerat valetudinem, ac paralysim pati cœpit. Fortiori percussus ictu anno 1750. labente Augusto Mense, pro bonæ anteactæ vitæ consuetudine, Christianæ pietatis officiis se totum addixit, ut mortem propediem venturam lectus aspiceret. Vehementiorem, quo uno erga sua Bibliothecam ferebatur, comprimere aut evellere affectum voluit: quam Septembri Mense, vitam Deo prorogante, in Cœnobium nostrum transferri jussit, Testamentariis etiam tabulis delectum. Voluminum copiam, totiusque eruditionis, antiquæ ac medii ævi sequiorisque, sacræ & Civilis cumulatissimas disce series ex eo bonarum artium genere, quas omnes diligentissime excoluisse Zenum indicavimus, Maximo omnium mœrore, eodem anno 1750. vita migravit die undecima Novembris, ætatis anno 81. & undecim mensibus. Tumulo, quem in sinistra Bematis parte elegerat in Ecclesia, datus est, celebrato prius funere latina oratione, quam *Hyacinthus Menegattus* Congregationis alumnus recitavit. Epigraphe lapidi insculpta, hæc est:

Apostolo Zeno
Civi. Veneto
Imp. Caroli. VI. Augusti
Et. Mariæ. Theresiæ. Caroli. F. Augustæ
Historico. Et. Poetæ

Religio-

Religione
Morum. Suavitate
Eruditione. Multiplici. Præſtantiſſimo
Fratres. Prædicatores
Benemerenti. P.
Vixit. An. LXXXI. Menſ. XI.
Obiit. III. Idus. Novembris. M.DCC.L.

Quindecim poſt dies iterum Viro præclariſſimo parentavimus Miſſarum ſolemniis. Memoriam ejus Italica oratione celebravit *Antoninus Valſecchius*, alter Congregationis alumnus, ac orator, frequentiſſimis Civibus, & amicis ad juſta amico cariſſimo perſolvenda confluentibus. Plurimas, quas illuſtribus Italiæ Viris, aliiſque dedit Zenus Epiſtolas, vulgabit ſimul collectas, itemque vitam ejus pro dignitate digeſtam dabit aliquando Scriptor ornatiſſimus, qui præcipua Apoſtoli Zeni amicitia fruebatur.

III. *Nonnulli Codices MSS. recenſentur, qui Opera complectuntur Scriptorum Ordinis Prædicatorum.*

Poſt inſigne Zenianum legatum, MSS. Codicibus abundat Bibliotheca. Neque omnes, neque ſelectiores recenſere hoc loco, aut libet, aut vacat: ſed eos indicare pretium fuerit operæ, qui Scriptorum Ordinis elucubrationes complectuntur. Quidpiam certe lucis Dominicanis rebus afferri poteſt.

1. Codex Membran. parvus, in quo poſt *Kalendarium* incipit *Pſalterium ſecundum Ordinem Fratrum Prædicatorum*: tum vero *Officia* ſequuntur *de Tempore*, *& de Sanctis*. Noſtri ritus *Breviarium* eſt, quod ſeculo quartodecimo ſcriptum videtur. Vigentem ea ætate ritum quemdam circa *Feſtum*, *& Octavam Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris*, a Joanne Dominici in ſuo de Monaſterio Sororum *Corporis Domini* opuſculo indicatum, Illuſtravi Capite III. num. III. ejuſdem Codicis fide allegata.

2. Codex Chartac. in 4. parvo: *Quì chomenza la Suma de Raimondo*. Opus incipit: *Quì chomenza la Suma de Penitentia, molto utile e neceſſaria, maximamente ali Sazerdoti, li quali ſono ne la Chura de la penitentia*. Defi-

Definit : *Explicit summa pœnitentiæ in vulgari sermone Magistri Raimundi, multum utilis Clericis curam gerentibus*. Longe differt ab ea, quam *de Pœnitentia, & Matrimonio* Summam scripsit S. Raimundus de Pennaforti. Hujusce *Summæ* compendium quoddam in Bibliothecis adservari Manuscriptum, adnotat diligentissimus Jacobus Echardus. Num istud exprimat Italica hæc versio? Sine Codicum collatione nihil certi adferi potest. Ejusdem versionis Auctor latet.

3. Codex Chartaceus parvus : *Qui comenza il prologo sopra il Trattato de' l' anima, composto da Frate Jacopo Campora da Zenoa de l' Ordine di Frati Prædicatori, essendo a Oxonford, a recbiesta de Johanni de Marchanuovo Merchatante in Londra*. Initium : *El Venerabile & discbreto suo Maggiore Johanni de Marchanuovo, Citadino de la felice Cità de Venegia, Frate Jacopo Campora de Zenoa de l' ordine di Frati Predicatori, in Sacra Theologia Licenziato in la Universitade Osonford, cum recomandatione. Pensando in me molte volte &c.* Capitibus viginti sex absolvitur opus. Anno 1478. floruisse Auctorem, eodemque anno Cusantiæ typis Octaviani Salomonii opusculum prodiisse, admonet Echardus.

4. Codex Membran. in 4. *Incipit Cronica Fratris Martini de Ordine Fratrum Prædicatorum, Pœnitentiarii Domini Clementis IV. Papæ, & Capellani, de gestis Summorum Pontificum, & Imperatorum*. Initium. *Quoniam scire tempora &c.* Brevis prologus est, a quo exulat præambulum illud *de quatuor Regnis*, & *de conditione urbis Romæ*, quod prolixum in aliis legitur Manuscriptis, ac editis, *Auctoris fini minime congruens*, adnotante Echardo, *qui Chronicon suum studebat brevius facere*. Finis Imperatorum est in *Conradino*, qui *post fugam captus fuit, & decollatur; & factum ejus paucis diebus post, tanquam fumus evanuit*. Finis autem Pontificum habetur in *Clemente IV. natione Provinciali de Villa Sancti Ægidii*, qui *dicitur sedisse annis III. mensibus IX. & diebus XXI.* ac *mortuus Viterbii, & sepultus in Ecclesia Fratrum Prædicatorum*. Alia ejusdem Clementis gesta nonnulla recensentur: tum vero, *Explicit Cronica Martiniana, Deo gratias & B. Justinæ Virgini Amen*. Deinde, *Incipiunt quædam additiones, quæ immediate sequuntur Cronicam antedictam*. Initium: *Romanum Imperium*. Quæ ad Impera-

peratores pertinent, continuo narrantur. Finis: *Rex etiam Navarræ, qui infirmus de Africa recesserat, in Siciliam veniens est defunctus. Rex Franciæ dixit, quod antequam intraret mare, expenderat occasione passagii XIV. vicibus C. millia libras Turonensium, ut dicebant Barones sui, qui hoc ab ipso audiverant.* Ad Pontifices quod attinet, initium, *Gregorius decimus*. Finis: *Nicolaus tertius, natione Romanus, sedit*. Is ad summum Pontificatum evectus fuit anno 1277. die 25. Novembris: unde nihil in suo Chronico addidisse amplius Martinum, colligit Echardus, cum mortem ipse obierit anno insequente 1278. Pretium Codicis nostri, & antiquitas innotescunt.

Chronici sui methodum sic excogitasse Martinum, animadvertendum proponit Echardus: ut in una pagina ad lævam exhibeat Pontifices, & in altera ad dexteram Imperatores: singulas paginas in quinquaginta lineas dividat, & in margine ad caput cujusque lineæ annum adscribat, adeout in quaque pagina anni sint 50. distincte notati, & Chronicon per quinquagenas currat a Christo nato ad Clementem quartum: nomen etiam cujusque Pontificis ad initium lineæ positum sit, cui junctus est annus quo iniit Pontificatum: totque sibi vindicet lineas, quot sedit annis, licet non omnes plenas, sed quandoque vacuas. Ex hoc Martiniani Chronici artificio evincit doctissimus Echardus, *Joannam Papissam* a Martino in suum minime Chronicon intrusam fuisse.

Chronicon idem Martinianum repræsentant sine illo artificio Codices alii MSS. Alii puri sunt & sinceri, ea fabula carentes: alii interpolati eamdem habent in margine fabulam: alii etiam interpolati fabulam in textu præstant. Ad primam classem spectat Codex noster, in quo inter Leonem IV. in Codice dictum quintum, ac inter Benedictum III. anno 855. electum, mediat nullus *Joannes* ille *Anglicus*, seu *Joanna Papissa*. Hinc vero colligendum, nondum anno 1277. ea fuisse inquinatum labe Chronicon Martinianum. Ante Chronicon prostat in Codice *Catalogus, sive Cronica omnium Pontificum, & Imperatorum Romanorum: ubi anni, & menses, & dies eorum ponuntur, & notabilia facta eorum, & distinguitur quis Imperator sub quo Papa sedit, incipiens a Christo qui fuit primus & Summus, (&) ab Octaviano Augusto*

gusto qui ejus tempore imperavit, pertingens usque ad Gregorium IX. & Fridericum qui nunc ad Imperium sublimatur. Hoc etiam a Catalogo exulat Joannæ Papissæ commentum.

5. Sequuntur Codices, quos olim Apostolus Zenus possidebat. Membranaceum in Folio Codicem recenseo, qui titulo caret. Incipit: *Quoniam scire tempora*. Prologus est cum eo prolixo præambulo, de quo num. superiore egimus: quod equidem præambulum magis, minusque prolixum prostat in editis exemplis, quæ videre licuit. Post prologum, iterum idem occurrit initium, *quo niam scire tempora*: quod est breve illud præambulum, quod suo præfixisse Chronico Martinus creditur. Titulus: *Cronica de Summis Pontificibus, & Imperatoribus & diversis gestis ipsorum per Fr. Martinum Domini Papæ Pœnitentiarum, & Capellanum compilata*. Chronicon sequitur eo dispositum artificio, quod Echardus declarat. Inter Leonem IV. & Benedictum III. nullus alius mediat Pontifex. Hinc hujusce etiam Codicis auctoritate fabella exsufflatur *de Joanna Papissa*. At ipsi textui posteriore manu hæc inserta leguntur: *Post hunc Leonem Johannes Anglicus natione, dictus Maguntinus, sedit annis II. mens. V. diebus IV. & mortuus est Romæ, & cess. mens. uno*. Recentior adhuc manus hæc in margine apposuit: *Hic, ut asseritur, femina fuit &c.* Collige commentum illud a sincero exulasse Martiniano Chronico. Additamenta superant Auctoris ætatem. Postrema linea, tametsi vacua, annum exhibet 1280. quo fortasse Codex exaratus fuerit.

6. Codex Bombycinus in 4. *Sertum, seu Corona Fidei Christianæ, editum a celeberrimo Sacræ Theologiæ Professore, divinique Verbi præcone, Domino Fratre Antonio de Florentia Ordinis Prædicatorum*. Incipit prologus: *Cogitanti mihi, fili mi dulcissime Bartholomæe*. Tum vero? *Feria 4. in Capite Jejunii, sermo de pœnitentia*. Sermo postremus, *feria VI. in Parasceve de passione Domini nostri Jesu Christi*. Auctor Ignotus mihi: neque notus *Bartholomæus* ille, cui Opus nuncupatur.

7. Codex Membr. parvus. 1. *Incipiunt Censuræ Ecclesiasticæ, compilatæ per Dominum Antoninum Archiepiscopum Florentinum: & primo de Excommunicatione majori*. Apud Echardum inscriptio est: *Tractatus notabilis*

de excommunicationibus, *suspensionibus &c.* 2. pag. 170. *Incipit quidam ordo in allegando juris Canonici* libros. Ad Antoninum spectare Opusculum, haud inverisimile. 3. pag. 172. *Incipit Tractatus Domini Antonini Archiepiscopi Florentini, de ornatu mulierum: quaeritur primo &c.* Apud laudatum Echardum inscribitur *quaestio de ornatu mulierum*.

Pagina opusculis praemissa haec habet: " 1653. die 13. „ Januarii. Adm. Rev. Pater *Daniel Riffega* Lector, „ Praedicator, & Conventus *Sanctae Mariae de Populo* „ Vicarius, Ordinis Praedicatorum, mihi donavit hanc „ summam divi Antonini: quam ut ex traditione habe„ tur multi Patres dicti Ordinis affirmant, esse unam „ ex illis primis, ab ipso divo Antonino manu propria „ scriptis. Et ego *Jo: Matthaeus Madrutius* Canonicus „ Collegiatae Ecclesiae .... ac Vicarius Generalis *Æmo*„ *nensis*, in hujus rei memoriam praedicta notavi. " Æmoniae, idest in *Civitate nova* Istriae degebat Madrutius sub Episcopo Jacobo Philippo Thomasino. Coenobiolum *Sanctae Mariae de Populo* abdicatum fuisse anno *1616*. vel insequente a Bernardino Gosellino Provinciae Praefecto, adnotavimus Capite IV. num. III. Addendum hoc loco est, egisse laudatum Thomasinum Episcopum anno 1650. quo Cathedralis Ecclesiae Canonicum Romam ablegaverat ad veneranda sacra limina, ut Coenobiolum *Sanctae Mariae de Populo*, Generali Ordinis Magistro mandante, iterum incolerent Dominicani alumni. Schedam habeo MS. quae rem ennarrat. Hac igitur occasione data, laudatus *Daniel Riffega* regimen Coenobioli adsumpsit: quod omnino dimissum denique, abdicatumque fuit.

8. Codex Chartaceus in 4. parvo. Incipit: *Inclita Pisanae pandens primordia Terrae*. Brevissimum Opusculum est de origine Civitatis Pisarum. In fine: *Explicit liber de Origine Civitatis Pisanae, compositus a Fratre Bartholomaeo de Sancto Concordio Ord. Praedicatorum*. Is est Bartholomaeus, patria & professione Pisanus, dictus *a Sancto Concordio*, (quod est Castellum tertio ab urbe Pisarum lapide,) notissimus *Summae Pisanellae* Auctor. Fatis ipsum functum anno 1347. scribit Altamura: quod sat verisimiliter dictum notat Echardus. Floruisse Virum illustrem narrant alii anno 1314. alii 1320. aliique 1338.

In

In Codice hæc ſequuntur immediate verba: *Ab Adam uſque ad Diluvium fuerunt anni IIM. XLII.* (ita numeros reddere licet) *A diluvio uſque ad Abram fuerunt anni MCLXXIV. Ab Abraham uſque ad Moyſem fuerunt anni CCCCXLX. A Moyſe uſque ad Chriſtum fuerunt anni MDCXXXIX. A Chriſto fino ad oggi fuerunt anni MDXXXI.* Apud Muratorium Tomo VI. Scriptorum Italiæ idem opuſculum proſtat cum ſequente Chronico Piſano, ex Codice Lucenſi tranſcriptum. Poſtrema verba ita efferuntur: *A Chriſto ad hodiernum diem* 1270. In Præfatione ſic habet Clariſſimus Auctor: " Quamquam ,, fabulis ſaturata ſit ejuſmodi opella, (ſcilicet *de origi-* ,, *ne urbis Piſanæ*,) eam tamen adjicere placuit. Quod ,, vero ibi in fine tempus conſcripti Opuſculi deſignetur ,, his verbis: *a Chriſto ad hodiernum diem anni* 1270. id ,, numquam componas cum ætate Bartholomæi *a San-* ,, *cto Concordio* ". Sed *annus* 1531. in Codice noſtro expreſſus eo minus, imo nullo modo, cum ejuſdem Bartholomæi ætate componi poteſt. Putaverim ego, *annum* 1531. notatum fuiſſe ab Notario, qui opus eodem anno tranſcribebat: annum vero 1270. ſcriptum ab Auctore fuiſſe, qui Chronicon concinnabat, ac perduxit ad eumdem Chriſti annum 1270. vel antecedentem 1269. ut in Codice Lucenſi apud Muratorium. In Codice noſtro turbata eſt annorum ſeries: ac poſt annum 1270. plura ſunt additamenta, eademque varia. In utroque Codice legitur primo quædam *Hugonis Nicoſienſis Archiepiſcopi* narratio, tum Chronicon incipit *ab anno DCCCCLXXI.* quod utique minime Bartholomæi *a Sancto Concordio* fœtum eſſe nihil hæſitans pronunciaverim. Sed hujuſce Auctoris prima *de origine urbis Piſanæ* opella apud Echardum deſideratur. In Codice Lucenſi nota legitur in calce Chronici: *Ego Michaël de Vico Piſanus Canonicus prædicta ſcripſi anno Domini* 1371. *&* *die Auguſti* 10. *complevi*. Quæ verba, Muratorio adnotante, non ipſum Auctorem indicant, ſed veterum Piſanæ urbis Chronicorum collectorem.

9. Codex Memb. in 4. *Epiſtola* (loco prologi) *Jheſu filii Hali, reſpondendo de hoc quod quæſivit unus ex diſcipulis ſuis de cognitione infirmitatum oculorum*. Pag. 45. hæc habentur: *Laus ſit tibi Chriſte, quod liber explicit iſte: ſcripſit Johannes, ſed de Ferraria: perducat deus in*

gloria sua Amen. Scilicet Librum, aut libri partem scripsit quidam Joannes Ferrariensis. Pag. 64. hæc alia Nota legitur: *Explicit liber de ægritudinibus oculi, translatus mirifice per Magistrum Dominicum Fratrem Prædicatorum, rogatu mei Rufini de Alemannia scholaris ejus ex Arabico, & sociorum. Deo gratias alto & sublimi, necnon Benedicto, & Paulo, & sociis*. Illustres Viri apud Echardum innotescunt plures, qui arabice docti, opera ex arabico in latinum sermonem transtulere. *Dominicum* istum non memini me legisse.

10. Codex Membr. in 4. *Magistri Dominici Johannis, Theologi Florentini Ord. Prædicatorum, Argumentum sequentis operis ad Petrum Medicem, illustrem Virum Civem Florentinum*. Initium: *Virginis cultor studiose Matris*. Opus est carminibus confectum, inscriptumque *Theotocon*, & quatuor in libros tributum. Liber primus *incipit de vita, & obitu Sacrosanctæ Virginis Mariæ:* secundus, *de immortalitate, & gloria Reginæ Cæli:* tertius, *de Templis Romanis, & Ethruscis divæ Mariæ dedicatis:* quartus, *de Basilicis Florentinis eidem divæ Genitrici consecratis*. Vita migravit Auctor anno 1483. Elogium ejus consule apud Echardum, qui Petrum de Alva merito castigat, hunc *Dominicum Joannis* confundentem cum *Joanne Dominici*.

11. Codex Memb. in 4. Occurrit (1.) Vita Sancti Dominici. Incipit: *Hujus* (Didaci Episcopi Oxomensis) *temporibus, fuit quidam adolescens*. Hanc vitam scripsit *Jordanus*, qui post ipsum divum rexit Ordinem Prædicatorum. Typis vulgavit eam Jacobus Echardus Tomo I. Scriptorum Ordinis.

(2.) Adnotat ille, ad ipsum Jordanum pertinere Epistolam Encyclicam, in qua omnia gesta in *Translatione Corporis Beati Dominici* enarrantur. Hanc evulgarunt Bzovius, & Malvenda: eamdemque præstat Codex noster.

(3.) *Testimonia recepta super Vita conversatione, & transitu Beati Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum*. Edita sunt ab Echardo ex Codice MS. Bernardi Guidonis in Archivis Conventus Carcassonensis adservato. Hæc non sine lucro conferri cum nostro Codice possent.

(4.) *Epistola proœmialis Fratris Petri de Ranzano* (Panormitani,) *Theologiæ Doctoris Ord. Prædicatorum, ad Magistrum Martialem Auribelli Avenion. ejusdem Ordinis* Gene-

Generalem, *in Vitam cl. Confessoris B. Vincentii de Valentia*. Incipit: *Si Majorum nostrorum*. Data Epistola legitur *ex Panormio anno Domini Jesu Christi MCCCCLV.* Tres in libros tributa Vita est. In calce vero hæc habentur: *De quorum miraculorum*, (quæ vivens Vincentius, & vita functus patravit,) *narratione sequentem librum distinximus: præsentem autem merito complere debuimus in narratione vitæ ejus finis, ut videlicet unus idemque esset hujus libri, & vitæ ejus terminus, quo ex nostra mortali vita ad aliam immortalem migravit, cum Christo victurus in secula seculorum Amen*. Quartus indicatus liber desideretur. Num ipsum Auctor non confecerit?

Hanc Ranzani vitam, pro more suo innovatam stylo, & interpolatam, suis Menæis inseruit Surius. At Henschenius & Papebrocius ad diem V. Aprilis, qualem Ranzanus confecit, adnotante Echardo, servato primigenio stylo repræsentant ex Codice MS. Ultrejactino. Imo vulgata a Bollandi Continuatoribus Acta, cum Codice nostro diligenter collata, plurimis passim scatent interpolationibus. Præterea laudati Bollandiani *librum quartum* distinguunt, cujus Caput I. in Codice nostro numeratur *Caput XXVI.* libri tertii. Aliquot etiam Capite II. recensent iidem Auctores miracula, veluti a Ranzano scripta, quæ eodem in Codice non leguntur. Adduntur alia denique Capite III. collecta *a Francisco Castilionæo*. Utilis quammaxime foret Codex noster, si nova Vitæ Sancti Vincentii Ferrerii alicubi editio curanda esset.

(5.) *Incipiunt Reformationes, quæ factæ fuerunt tempore Magistri Raimundi*. Opusculum est, quod ex ampliore Thomæ Antonii Senensis opere decerpsit Hieronymus Albertuccius de Borsellis. Consule Caput II. num. III. ubi adnotavimus, ad Bononiense *S. Dominici* Cœnobium olim pertinuisse Codicem.

12. Codex Membr. in 4. Legitur (1.) *Copia privilegii plenariæ approbationis, & confirmationis Status, & Ordinis Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici*. Constitutionem intellige Innocentii Papæ VII. anno 1405. editam.

(2.) *Questa è la copia del privilegio de la Confermazione de la Regola, e de l'Ordine de' Frati e de le Suore de la Penitentia di Mis. San Domenego, messa e traslata di sermone latino in volgare &c.* Hanc Thomæ Senensi Italicam

licam versionem adtribuimus Capite III. num. VI. Ad eumdem Virum illustrem pertinent, quæ sequuntur.

(3.) *Certa dechiaragione della differencia del sopradetto Privilegio, volgarizato di per se per li Frati, dal volgarizato di per se per le Suore.*

(4.) *Copia del Privilegio di Honorio Papa.* Itemque: *copia del privilegio di Papa Bonifacio: & Copia d'un' altro privilegio di Papa Bonifacio.* Prostant in Bullario Ordinis Prædicatorum.

(5.) *Certa dichiaragione, & espressione de' sopradetti, e di molti altri privilegi, concessi al' Ordine de la Penitentia di Miss. San Domenico, & alle persone del detto Ordine.*

(6.) *Certa dichiaragione d' alcuna immunitade, e libertate, la quale hanno le persone de l' Ordine de la Penitentia di San Domenico, quanto a certo uso dei Sacramenti de la Chiesa: e come ciò si de' significare a Vescbovi, & a Sacerdoti Curati.*

7. *Del modo del ricevere gli Omini a l' Ordine de la Penitentia di Miss. San Domenico, secondo la comunale usanza, e che si contiene nella Regola, e nella Sposizione d'essa, confermato per lo Maestro Tommaso Generale de l' Ordine de Frati Predicatori.* Is est *Thomas de Firmo*, Generalis Magister Ordinis Prædicatorum *in obedientia*, ut ævo illo dicebatur, *Romana*, Romanorum Pontificum adhuc perdurante schismate. De hoc ordine agendum infra adversus Heterodoxum *Georgium Rivium Puritanum*.

13. Codex Chartaceus in fol. Incipit. *D. Jesus mihi adjutor. Copia di una antiqua Cronica de Venezia, tradutta de verbo ad verbum. Capitolo primo, de lo exordio de la Cronica de la Nobel Cità de Venezia & de la sua Provincia, & distreto.* Non una, sed multiplici manu Codex exaratus est. Capita numerantur CCC. XIV. quibus principis Urbis, & Reipublicæ Venetæ historia ducitur ad annum MCCCLXXX. Narratio sequitur, nullis distincta Capitibus, ad annum usque 1529. Partem aliquam a Thoma Donato, Patriarcha Venetiarum, ex Ordine Prædicatorum adsumpto, elucubratam fuisse, colligitur ex loco, ubi ejus ad Infulas Patriarchales, electio describitur. Verba sunt: " Adì 17. Setembrio (1492. dies 7. " typorum vitio legitur apud Marinum Sanutum,) ve- " ne nove a Venezia, come era morto Mis. Maphio Gi- " rardo Gardenal, el qual era Patriarca di Venezia, e

" ve-

„ vegnando a Venezia se amalò a argne, (Interamnæ, „ *Terni*:) e morì adì 14. del dito Mexe: e fò portado „ el Corpo sò a Venezia, e adì 27. dito fò fatto el suo „ sequio, e andò la Signoria, e tute 5. le Scuole, e tu- „ ta la Chierexia di Venezia. E adì 18. Septembrio 1492. „ fò fato per el Consejo di Pregadi Patriarca di Venezia „ *mi Fra Tomaso Donado* de l'Ordene de San Domene- „ go: e fò confermà per Misier lo Papa. " Hæc Pontificis Alexandri VI. confirmatio ad eumdem pertinet annum, diemque primam Octobris: quod evincunt binæ hac de re datæ Pontificiæ Constitutiones. Prima: *Alexander Episcopus servus Servorum Dei, dilecto filio Thomæ Donato Electo Venetiarum, Salutem & Apostolicam benedictionem ... Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ* 1492. *Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno primo*. Altera: *Alexander &c. Venerabilibus Fratribus universis suffraganeis Ecclesiæ Venetiarum ... Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ* 1492. *Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno primo*. Prostant typis editæ in Bullario Ord. Præd. Tomo IV. in Appendice ad Constitutiones Alexandri VI.

Laudatus Sanutus in Vitis Ducum hæc de Thomæ Donati electione habet: " Adì 18. Settembre in Pregadi fù „ fatta la nomina del Patriarca di Venezia, e rimase Fra „ Tommaso Donato, che fù di Ser Almorò, Predicato- „ re Frate di San Domenico, di una ballotta di più di „ Don Antonio Suriano, Priore della Certosa di Santo „ Andrea di Lido, il quale gli succedette di poi. Que- „ sto Donato fù eletto pei meriti del padre, che del 1452. „ essendo Avvogadore, fù ucciso: & etiam per esser dotto „ nella sacra Scrittura; e avea composto assai opere, e „ publice predicò nella Chiesa di San Marco. " Anno 1504. vita mortali migravit Thomas Donatus, cujus præclarissima gesta lege apud Ughellum, ac gentis nostræ Scriptores, & in Selectis Monumentis Conventus Sancti Dominici Venetiarum.

CAPUT XXIII.

Tirocinium pro Congregationis alumnis. Cœtuum biennalium, seu Diætarum institutio. Studiorum ratio. Diploma Innocentii XII. circa Fratres e Congregatione discedentes.

I. *Tirocinium Juvenum, qui ad habitum adleguntur, statuitur in Cœnobio Conellianensi. Sedis Apostolicæ hac de re decreta.*

SUccedunt aptissima præsidia, quæ ad augmentum regularis disciplinæ, ad felicius Congregationis regimen, ad rationem Studiorum, litterarumque incrementa, fortemque Fratrum temere exeuntium pertinent. Maximum, summique momenti censuere negotium Patres tirocinium Juvenum, qui in Ordinem & Congregationem cooptantur: ejusque locum unum, ac certam rationem post varias vices constituerunt.

Regulari in Cœnobio *Forojuliensi* instaurata disciplina; simul vivæ vocis *Pauli Papæ V.* oraculo, quod exhibent tum Generalia Bononiæ anno 1615. celebrata, fancitum fuit: recipi in eodem posse, qui desuper inspirante Numine, nomen Ordini darent. Ampliora prædicto Cœnobio, *Tirocinii* causa, quod in eo ponebant Juvenes ad habitum adlecti, concessa fuerunt anno 1650. in Generalibus *Romanis* Comitiis privilegia. His plane similia erant, quæ *Parisiensi* tironum Domui ante conlata fuerant, ut regularis disciplina tot munita præsidiis diutius persisteret, ac felicius propagaretur.

Præcedente anno 1649. die 17. Decembris, dato diplomate, inhibitio ab Innocentio X. facta fuerat *omnibus & singulis Capitulis, & Congregationibus, Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus; necnon Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, & Localibus: ne deinceps quemquam ad habitum suæ Religionis recipiant, nec jam receptos, aut imposterum contra huiusmodi prohibitionem forsan recipiendos, ad professionem admittant, donec scripturæ ... & præfixiones numeri Familiæ cujuscumque Monasterii, ac domus Regularis ... Congregationi Cardinalium, & Prælatorum ... fuerint exhibitæ: ac deinde memorati Superiores licentiam recipiendi ad habitum,*

tum, & professionem ab eadem Congregatione obtinuerint. In obsequium Pontificii mandati, facultate statis temporibus impetrata, tirocinium ponere in Cœnobio *Forojuliensi* pergebant juvenes, ac Religionem profiteri.

Decretum alterum de mandato Alexandri VII. *anno M. DC. LV. die XI. Maii* latum est, *ad propagandam in Ordine Prædicatorum Regularem observantiam*. Designati *Conventus pro Novitiatibus:* videlicet, *in Provincia utriusque Lombardiæ Conventus S. Dominici de Janua, S. Dominici Mantuæ, S. Dominici Cremonæ, & S. Dominici Anconæ: in Provincia Romana Conventus S. Mariæ super Quercum Viterbii, & S. Marci Florentiæ: in Provincia Regni Conventus S. Dominici Neapolis, & S. Mariæ in Portu Salerni: in Provincia Apuliæ Conventus S. Dominici Monopoli, & S. Dominici Foggiarum: in Provincia utriusque Calabriæ Conventus S. Dominici in Suriano: in Provincia Aprutina Conventus S. Mariæ Neapolis, & S. Dominici Aquilæ: in Provincia S. Petri Martyris Conventus S. Eustorgii Mediolani, & S. Dominici de Clerio: in Congregatione Sanitatis Conventus S. Mariæ Sanitatis Neapolis: in Congregatione S. Marci Conventus S. Mariæ Quercus Majoris: ac pro Ordine in communi Conventus S. Sixti Romæ*. Prætermissam Venetam *S. Dominici* Provinciam, dolebant Alumni. Designatis pro tirocinio Cœnobiis accenseri *Forojuliense* postularunt, in quo Regularis observantia a probatissimis Viris exculta florebat. Libellum supplicem obtulit *Petrus-Maria Passerinus*, Generalis in Romana Curia Procurator. Annuit Summus Pontifex, lato decreto in hæc verba: *Sanctissimus D. N. D. Alexander divina providentia Papa VII. pro Reformatione Observantiæ regularis in Ordine Fratrum Prædicatorum præsentis decreti vigore instituit ac deputat dictum Conventum S. Dominici pro Novitiatu Provinciæ S. Dominici: in quo Regula & Constitutiones Ordinis cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem observentur; nec cum aliquo ibi commorante in carnibus, vel aliis Regulari vitæ repugnantibus quoquomodo, aut quovis prætextu, vel colore nisi propter actualem infirmitatem duntaxat dispensari possit; quemadmodum ipsius Ordinis Constitutionibus salubriter est cautum ... Datum Romæ die VI. Augusti M. DC. LIX. Prosper Fagnanus Secr.*

Dum hæc pro *Forojuliensi* Tironum domo agebantur,

 simul

ſimul Tironibus liberrimus patebat aditus in Cœnobium *Farenſe*, quod extra Italiam cenſebatur, utpote poſitum in Ditione Archiducis Auſtriæ. Parem pro ſuis Cœnobiis petendam eſſe facultatem, duxerunt Alumni *Juſtinopolitani*, ac Veneti *S. Secundi*: datoque Libello ſupplici, quo Sacram Congregationem de Regulari obſervantia, apud ipſos non minus, ac in domo *Forojulienſi* florente, deque numero Fratrum qui eamdem profiterentur ſupplendo, certiorem faciebant; pro votis Reſponſum accepere *anno M. DC. LX. die VII. Aprilis* Juſtinopolitani, ac Veneti *anno M. DC. LXI. die VIII. Junii*.

Erecta inſequente anno Congregatione, eaque re maturius expenſa, in ſententiam iverunt Majores noſtri cum Hieronymo Picino Vicario Generali: minus eſſe proficuas tot Novitiorum domos: unamque potius conſtituendam, in qua ſub cura diligentiſſimi Magiſtri eamdem, ac uniformem vitæ rationem addiſcerent, qui deinceps in Congregatione ſub regula *S. Dominici* militare vellent. Aptiſſimum *Conellianenſe* Cœnobium judicaverunt, quod loci amœnitas, ac Cæli ſalubritas maxime commendant. Pro votis egit Petrus-Maria Paſſerinus, in Romana Curia Procurator Generalis: obtinuitque decretum, quod his verbis latum eſt: *Sacra Congregatio Cardinalium ſuper Statu Regularium, attentis narratis, loco Conventuum S. Secundi Venetiarum, & S. Dominici Civitatis pro Novitiatibus deſignatorum in Provincia S. Dominici, de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri, prævia dictorum Novitiatuum ſuppreſſione, præſentis Decreti vigore deſignat ac deputat prænominatum Conventum Coneglani, contrariis quibuſcumque non obſtantibus. Dat. Romæ die XXX. Septembris M. DC. LXV. M. Antonius Card. Franciotus. P. Fagnanus Secr.* Ex hoc uno loco imbuti legitimis inſtitutionibus prodeunt omnes, qui pro Congregatione vota Religionis emittunt. Hi vero poſt annum tirocinii expletum, ad alia Cœnobia mittuntur, ubi Philoſophiæ, vel Theologiæ navant operam, vitamque ducunt ſeverioribus legum officiis exercitam ſub cura ſpecialis Magiſtri, donec Sacerdotio initientur juxta Conſtitutionum præſcripta, Romanorumque Pontificum Statuta.

Conſtituerat in diplomate citato *Alexander VII.* ut Juvenes Militiæ noſtræ percupidi, in eo ſubjicerentur examini

mini Cœnobio, ad eorum idoneitatem investigandam, in quo Religiosam emissuri professionem essent. Tantæ rei periculum, cum maximi foret momenti, fieri peroptabat *Bonifacius-Maria Grandius*, qui regebat Congregationem, in Collegio *Veneto*, ubi prudentes doctique Viri facile possent juvenum Candidatorum idoneitatem perquirere, certoque nosse. Rei momentum ad Sacram Congregationem delatum est. Votis ipsa lubens annuit, lato decreto his verbis: *Sacra Congregatio super Statu Regularium, expositis accurate perpensis, Oratoris precibus benigne annuit: mandavitque ut de Cætero recipiendi ad Habitum Novitiorum in prædicta Congregatione B. Jacobi Salomonii examinentur a Patribus Moderatoribus dicti Collegii SS. Rosarii Venetiarum coram Patribus a Consilio, a quibus approbentur per vota secreta: ac deinde previo consensu Capituli Conventus, pro quo inducendus in Filium recipitur, transmittantur ad locum Novitiatus, servata in reliquis forma decreti f. m. Alexandri VII. pro Novitiis in Ordine Prædicatorum recipiendis. Datum Romæ die XXIX. Julii M. DC. LXXVII. V. Card. Carpineus. P. Fagnanus Secr.* Quo in loco animadvertendum, consensum *Capituli*, seu Alumnorum in Cœnobiis degentium, prætermissum deinceps fuisse, *Adfiliationibus*, ut vocamus, sublatis: qua de re infra agendum.

II. *Cœtuum biennalium, seu Diætarum institutio. Quinam interesse Fratres debeant. Communis Vestiarii delineatio.*

Hæc ad Tirones rite excipiendos, imbuendosque severioris vitæ Regularis officiis apud nos sancita sunt, ac vigent. Regimen totius Congregationis ad certam methodum redigendum fuerat: eaque de causa Graviorum Patrum *Congregatio* adinstar *Comitiorum Provincialium* perutilis ac optima visa est, ut Cœtus singulis bienniis in nomine Domini convocatus ea communi voto sanciret, quæ disciplinæ cultum firmarent, ac augerent; si quæ mala irrepserint probe nosset, eorumque radices tolleret ac evelleret; vineamque Domini florentem pro viribus custodiret. Cœtus hujusmodi vocamus *Diætas*.

Diæta prima anno 1668. in Veneto *S. Secundi* Cœnobio convocata est. Interfuerunt instauratæ Disciplinæ Coryphæi, *Hieronymus Picinus*, Congregationi Præfectus, *Petrus-Martyr Degna*, *Bonifacius-Maria Grandius*, *Angelus Petricellus* Prior Cœnobii S. Dominici Forojuliensis, *Raphaël Tomasellus* Collegii S. Secundi Rector, *Vincen-*

 tius

tius Bucus Prior Farensis, *Bonaventura Cignola* Prior Justinopolitanus, *Hieronymus Maria Castelfrancus* Prior Conellianensis, *Andreas Tronus* Prior Valvasonensis, *Marcus-Antonius Sternus*, *Zacharias Pitianus*, & *Antoninus a S. Catharina*. Sessione I. quæ die XXI. Aprilis habita est, uniformitatem in Cultu Divino, Virginis Deiparæ, Sanctorumque, ac precibus communibus, ritibusque constituerunt Patres; ut quæ in uno Cœnobio, eadem in reliquis omnibus ratio servaretur, & forma.

Sessione altera, die 25. ejusdem Mensis habita, *communis Vestiarii* jacta fundamenta sunt: ex quo vestes Alumnis Congregationis absque ulla differentia, omnique seclufo favore subministrarentur, prout singulis opus foret. Maximum emolumentum, quod inde vitæ communi promanat, nos ipsi experimur, commendatumque voluere verbo, scriptoque Generales Ordinis Magistri. Singulis annis juxta numerum Fratrum solvunt Cœnobia certam pecuniarum summam, quam idoneus Minister a Diætæ Patribus eligendus impendit in opificium lanarum: quodve superest, ad emendos census deputatur, ut annuis pensionibus collectis leventur Cœnobia graviore solutione, ac vestitui necessaria prompte ac opportuno tempore parentur. In Cœnobio *Conellianensi* totius rei Vestiariæ cura geritur.

Acta servantur *Diætæ* anno 1681. celebratæ: hisque insertæ habentur Litteræ *Antonii de Monroy*, Generalis Magistri Ordinis, quæ certiorem Diætarum formam præscribunt. Cœtus hujusmodi, secundo quoque anno, imposterum celebrandos constituit. Fratrum numerum declarat, simulque conditionem, qui convocari debeant. Numeratque *Magistros* si qui fuerint, eos etiam qui *Vicariam* Congregationis gesserint Præfecturam, Cœnobiorumque *Priores*, & *Baccalaureos*, qui gradu tamen antiquiores essent; omnes demum duntaxat duodecim. Litterarum, quas memoravimus verba sunt: " Antonius de " Monroy S. Th. Professor, Ordinis Præd. humilis Ma-" gister Generalis & servus, in Dei Filio sibi Dilectæ " Congregationi nostræ B. Jacobi Salomonii de Vene-" tiis, Omnibus Patribus & Fratribus ejusdem, salutem " in eo qui dat posse & perseverare pro sua voluntate. " Quemadmodum naturale est, sibi convenientia aqui-" rere & aquisita tueri, profecto in iis quæ vocationem " no-

„ noſtram concernunt, omni conatu invigilandum, ut „ non ſolummodo in habitis ſiſtamus, quia juxta Do- „ ctorem Mellifluum ſtare in via Dei, non progredi „ ſed regredi eſt: ſed ad ulteriora nosmetipſos extenda- „ mus, ad meliora vicinioraque noſtræ ſaluti, bravium „ nempe æternæ beatitudinis. Et quantumvis de Vobis, „ Filii, nihil habeamus niſi quod ob Regularis obſer- „ vantiæ rigidam manutentionem plurimum lætemur: „ intelligimus nihilominus in Domino expedire, ut ſi- „ cut Cæleſtis Paterfamilias præter alia Vinæ ſuæ mu- „ nimenta, inſuper ſepem circumdedit ei; Nos paternæ „ noſtræ ſollicitudinis memores, prædilectæ Congrega- „ tioni veſtræ Conſtitutionum noſtrarum adminiculo mu- „ nitæ, etiam ulterius ſepem paucorum Statutorum ad- „ jungamus, ut hinc & tutior evadat, & in cœpta Reli- „ gioſæ Vitæ Diſciplina ſecurius perſeverare poſſit. Hinc „ eſt, quod Harum ſerie noſtrique auctoritate officii im- „ primis ſtatuimus: quod ſingulo biennio ſemel princi- „ paliores Patres Congregationis a Patre Vicario Con- „ vocentur ad Diætam, cui intererunt Duodecim; in- „ ter Cæteros Magiſtri, & qui Congregationis Vicarii „ fuere, deinde ex Prioribus actualibus, & Baccalaureis „ magis antiqui. In hac tractabuntur ea, quæ ad bo- „ num Congregationis regimen ſpectare judicabuntur.... „ Datum Romæ in Conventu S. Mariæ ſuper Miner- „ vam die XVII. Maii M. DC. LXXXI. F. Antonius „ de Monroy Mag. Ord. Reg. ſol. *96*. F. Henricus de „ Gusman Magiſter Provincialis Terre Sanctæ. " Hæc in Veneto Collegio, *Hieronymo Picino* quartum Congregationi Præfecto, Diæta celebrata eſt.

Inſtante tempore celebrandi pro more anno *1694* cœtus, litteras dedit *Antoninus Cloche*, qui ſucceſſerat Antonio de Monroy in ſupremam Ordinis Præfecturam. Prædictum Duodenarium numerum ampliare cenſuit ille, & extendere: facitque Generali Congregationis *Vicario* facultatem, ad Diætam convocandi *Priores omnes*; omnesque *Baccalaureos*, ac inſuper *Prædicatores Generales*, atque *Provinciæ Patres*, quos vocamus, legitime inſtitutos. Has Litteras memorat *Diæta* eodem anno *1694*. celebrata, Præſide *Hieronymo Maria Caſtelfranco*, in Collegio *Veneto*.

Addidit ipſe plura, quæ ad legitimam proficuamque hujus-

hujusmodi Cœtuum celebrationem pertinere videbantur, Litteris eodem anno datis *die III. Julii*. Hæc legimus num. V. " Ut inter Fratres ea in Congregatione firmius
„ Regularis Observantia stabiliatur, statutum est: quod
„ quolibet Biennio Feria quinta ante Dominicam, *Deus*
„ *qui errantibus*, Congregari tenebuntur, & ut vocant
„ Diætam celebrare, absque tamen Definitorio aut ele-
„ ctione Vicarii Congregationis: & in ea Diæta negotia
„ Congregationis tractabuntur, tum quoad Observantiam
„ Regularem in eadem Congregatione manutenendam,
„ fovendam, & augendam; tum quoad Studia & Lectio-
„ nes instituendas: quique idonei sunt ad Studium Ge-
„ nerale, expositis eorum laboribus, proponentur Ma-
„ gistro Ordinis pro tempore, ut eos in Moderatores Stu-
„ dii instituat, prævio ut moris est coram *ipso* exami-
„ ne. " Hæc insuper habentur num. VI. " Huic Diæ-
„ tæ, quæ de biennio in biennium fieri debet, aderunt
„ omnes Priores Congregationis, qui de more & con-
„ suetudine Capitulo Provinciali adesse consueverunt:
„ & præter ipsos qui fuere Vicarii Congregationis, &
„ qui Regentis officium expleverunt in Conventu SS. Ro-
„ sarii Venetiarum, quique modo titulo & gradu Præ-
„ dicatoris Generalis insigniti sunt. Et hi omnes, uti
„ legitimi vocales ad ea pertractanda quæ spectant ad
„ Statum Congregationis, imo & ad Acta conficienda,
„ convocari & ad Diætam citari tenebuntur.

Insequente anno *1695*. quo memoratæ *Diætæ Acta* rata, firmaque habita sunt, prætermissos in nupero allegato Decreto *Baccalaureos* iterum *Diatæ* Patribus connumerandos voluit ipse Generalis Ordinis Magister: petitionemque adprobavit, quæ Cœtus cogendi tempus definiebat, his verbis conceptam: *Ut* Generalis *Magister dignetur stabilire, eamdem Diætam fore celebrandam Feria secunda immediate post Dominicam secundam post Octavam Paschæ, utpote aptiori tempore*. Litteræ datæ sunt *die VI. Novembris M. DC. XCV.*

Abdicatio Graduum, quæ diu ab alumnis Congregationis exoptata, executioni mandari demum potuit anno 1700. novæ dedit ansam Patrum connumerationi, qui bono communi invigilaruri, Diætis interessent. Sanctionem scripsit Antoninus Cloche, Litteris *die VIII. Aprilis* ejusdem anni consignatis. Hæc habentur num. II.

" Ne

" Ne vero hujus abdicationis occafione Congregationis „ regimini detrimentum ullum afferatur, & defint qui „ ad Diætam convenire, & de rebus quæ ad Obfervan- „ tiam vel ftudia profint, & quæ pro rerum opportuni- „ tate neceffaria fuerint, congruo numero ftatuere pof- „ fint; ordinamus ac ftatuimus quod præter Patres, qui „ funt Priores actuales Conventuum, Congregationis „ Diætæ interfint in primis ii qui Vicarii Generales „ Congregationis fuerint, quibus ftatus Congregationis „ maxime cognitus eft: deinde qui Novitiorum Magi- „ ftri officio per annos duodecim functi fuerint: præte- „ rea qui Lectoris Primarii munere in Conventu SS. Ro- „ farii, & Conventu Civitatenfi actu funguntur: item „ duo alii, qui in iis Conventibus per annos quatuor „ Theologiæ Lectoris munere functi fuerint, quos inter „ femper ii qui antiquiores profeffione in Religione fue- „ rint, aliis anteponantur: ac demum quatuor alii, qui „ per tres annos & per integras tres Quadragefimas Con- „ ciones habuerint, quos inter etiam a profeffione anti- „ quiores femper admittantur." Hac methodo & ratione, paucis deinceps immutatis, *Diætas* noftras fecundo quoque anno celebramus. Lectores duo anno 1715. adjuncti funt, ipfique profeffione antiquiores, qui Studiorum curriculum lege ftatutum in *Veneto* Collegio, lectiones tradendo, perfecerint.

Poft juvenum inftitutionem, ac Regiminis œconomiam, nihil antiquius Patres Congregationis habuere, quam, ut ftudia Philofophiæ, ac Theologiæ, quæ data opera coli folent in Ordine, uberiore fructu & emolumento apud nos florerent. Ob eam caufam Collegium ftudentum, quod Jo: Baptifta de Marinis erexerat in Infula ac Cœnobio *S. Secundi*, ad *Venetum* Conventum, quem Ordine *Jefuatorum* fuppreffo anno 1669. comparaverant, transferendum curarunt. Scilicet in Urbe Principe conftitui Collegium noftrum debuerat, in qua defiderari nihil poterat, five librorum copiam fpectes, five commercium Eruditorum Virorum, five Sodalium numerum, & Scholafticarum exercitationum decentiam, quod Studiorum florem, & incrementa proveheret. 111. *Studiorum ratio definita. Series Lectorum, quos Primarios vocamus.*

Ut periti doctique Viri, qui Philofophiæ, ac Theologiæ difciplinas traderent, præfto femper forent, optimum confilium vifum fuit, non ante in *Veneto* Collegio

gio quemquam admitti, quam in alio Cœnobio insigne specimen idoneitatis præbuisset. Ad Philosophiam tradendam eos advocari consuetum est, quorum diligentia ac doctrina, dum aliis in locis Lectorum munere fungerentur, satis effulserit. Aliud etiam Theologiæ gymnasium, quod *Studium Materiale* appellant Nostrates, aperiendum fuerat: aptusque locus censebatur Insula *S. Secundi*, ubi periculum ingenii facerent Lectores; assiduoque studio exculti, optimeque parati ad *Venetum* Collegium, cum evocarentur, demum accederent. Prudenti consilio accessit Antonini Cloche Decretum, quo plura sanciuntur ad incrementa studiorum. Litterarum, quas *Romæ* datas legimus *die XIII. Julii anno M. DC. LXXXVI.* hæc verba sunt. " Urget nos studiorum sollicitudo, ut „ ad eorum proventum & incrementum totis viribus „ omnique cura invigilemus. Ut igitur Cælestis Sapien- „ tiæ studia in Congregatione nostra B. Jacobi Salomonii „ Venetiarum, una cum Regulari observantia ad normam „ Instituti nostri promoveantur, aliud Studium præter Stu- „ dium Generale (Venetum,) in ea Congregatione depu- „ tandum censuimus: præsertim cum Nobis innotuerit, „ quod in eo Studio Generali ut in plurimum ad Le- „ cturam Theologiæ assumuntur, qui nunquam Theo- „ logiam alibi docuerint: & insuper cum in ea Congre- „ gatione extet duntaxat unum Studium, insufficiens est „ ut qui ad Lecturam idonei sunt, in iis occupentur. „ Re mature perpensa, de Graviorum Patrum Ordinis „ assensu & consilio, tenore præsentium & Officii nostri „ auctoritate facimus, instituimus, & declaramus Con- „ ventum nostrum S. Secundi ejusdem Congregationis „ Studium Materiale in, & pro eadem Congregatione: „ itaut futuris temporibus in eodem Conventu semper „ sint duo Lectores Theologiæ, & ad minus unus Le- „ ctor Philosophiæ; qui Lectores ad omnia exercitia „ Scholastica, actus, lectiones, cæteraque omnia, quæ „ in Studiis Materialibus Ordinis nostri, in quibus sunt „ tres Lectores, de jure & approbata consuetudine fieri „ solent. Declarantes insuper; nullum posse in futurum „ assumi in Lectorem Philosophiæ Studii Generalis, si „ prius cursum Philosophiæ eo in Conventu S. Secun- „ di per triennium non docuerit: neque aliquis in Ma- „ gistrum Studii poterit nominari, nisi prius duos cur-

„ sus

„ ſus Philoſophiæ, unum in Conventu S. Secundi, al-
„ terum in Studio Generali perlegerit .... Cæterum nul-
„ lus in Baccalaureum Studii præſentari aut nominari
„ poterit, ſi prius per quatuor annos Theologiam non
„ docuerit in Studio Materiali. " Quas litteras in Regeſtum redactas legimus ab *Henrico de Guſman Magiſtro & Provinciali Terræ Sanctæ*.

Paucos poſt annos aptiſſimum quoque viſum eſt Cœnobium *Forojulienſe*, in quo tirocinium Sacrarum litterarum ponerent Juniores alumni Congregationis: idque ſuadebant ampliores proventus ad plures Fratres alendos, ſatisque commodus ipſius Cœnobii incolatus. Lubenti annuit animo Antoninus Cloche, Litteris hac de re datis, conſignatisque *die XXX. Octobris anno M. DC. LXXXIX.* ſubſcribente *Dominico-Maria Mondello Lectore & a Secretis.*

In hiſce locis, *Veneto*, ac *Forojulienſi*, Theologiæ ſtudia cura ſumma excoluntur: neque ſolum Scholaſticis diſputationibus, verum Patrum etiam doctrina, Conciliorum eruditione, ſacrisque Hiſtoriis rite diſponuntur juvenes ad Eccleſiæ Dogmata certo cognoſcenda, proque virili tutanda. Magno numero ad easdem Scholas confluunt Clerici Seculares, quorum profectui impigre deſudant inſtructiſſimi Viri, non alia ſibi mercede propoſita præter decus Religionis, ac divinæ gloriæ incrementum. In aliis quibusque Cœnobiis Studia vigent ſaltem Philoſophiæ: ſeduloque incumbunt ad Conſcientiæ caſus doctrina ſana enucleandos, Lectores quos *Morales* vocamus; id genus lectiones in profectum Clericorum maxime expoſcentibus locorum Epiſcopis, quibus morem gerere tum Inſtituti ratione, tum obſequii cauſa debemus.

Profeſſorum Theologiæ ſeriem ſubjungo, qui Studia noſtra in Collegio, quod primum in Inſula *S. Secundi*, deinde in Cœnobio *Veneto* ſub nuncupatione *Roſarii* inſtitutum eſt, hactenus rexerunt. Ante *Graduum* abdicationem, *Regentes* appellabamus: poſt illam vero, ſimplici titulo dicimus *Lectores primarios*.

M. DC. LXVI. *Bonifacius-Maria Grandius*, Venetus. *Regentis* munere in primordiis Congregationis, erectique Collegii, defunctus eſt ad annum uſque 1685.

M. DC. LXXXV. *Petrus-Martyr Bertagna* Veronenſis.

M. DC. LXXXIX. *Thomas-Antonius Maſſajus* ex Provincia Forijulii.

M. DC. XCIII. *Jo: Albertus Tabaccus* Venetus.

M. DC. XCVII. *Daniel Danielius* Venetus.

M. DCC. I. *Reginaldus-Maria Panighettus* Veronensis.

M. DCC. III. *Daniel Danielius* iterum.

M. DCC. V. *Georgius Modinò* Cretensis, Civis Venetus.

M. DCC. VIII. *Dominicus-Maria Andriussius* ex Oppido S. Danielis in Provincia Forijulii.

M. DCC. XII. *Albertus Zanchius* Veronensis.

M. DCC. XVI. *Josephus Galliziolius* Venetus.

M. DCC. XX. *Augustinus Rattus* Venetus.

M. DCC. XXII. *Jo: Hieronymus Ferrarius* Atestinus.

M. DCC. XXVI. *Fabianus Marinonus* Venetus.

M. DCC. XXVIII. *Jo: Fran. Bernardus-Maria de Rubeis* e Civitate Forijulii.

M. DCC. XXX. *Jacobus Rattus* Venetus.

M. DCC. XXXIV. *Fulgentius Cuniliatus* Venetus.

M. DCC. XXXVII. *Hyacinthus Michelettus* Venetus.

M. DCC. XLI. *Amandus-Maria Leonius* Venetus.

M. DCC. XLV. *Pius Riccius* Bellunensis.

M. DCC. XLVIII. *Vincentius Patuzzius* Veronensis.

Scholasticum annum animadvertere liceat, apud nos inchoari die 14. Septembris Sanctæ Crucis Exaltationi sacra; qua Studia, æstivo tempore intermissa juxta legis normam, instaurari solent.

IV. *Statuta ac Decreta circa discedentes e Congregatione Fratres.*

Tot jam præsidiis ad Regularem observantiam tutandam comparatis, tot etiam aquisitis ornamentis, quæ Congregationi splendorem afferebant, non satis cohiberi, neque leniri morosa quorumdam indoles potuit, quin rigidioris Disciplinæ pertæsi, eidem nuncium mitterent, deque Congregatione secedentes in alia Provinciarum Cœnobia se reciperent. Res erat nimium incommoda, quod orbatæ alumnis Congregationi fas non erat, totidem alios in album recensere ad supplementum. Nec enim qui recesserant, ac in alienis morabantur, aut Provinciis, aut Cœnobiis, jure *Adfiliationis* cadebant: adeoque plenus Alumnorum, sive *Filiorum* numerus, quem Decreta Pontificia definiebant, augeri non poterat. Tanto malo, ex quo graviora pertimescenda fuerant damna, promptam adhibuit medelam, Patrum votis annuens, *Antoninus Clocbe*, quem sæpe laudavimus.

Litteras dedit ille die 1. *Martii anno M. DC. XCII.* quas

quas in Regestum redactas legimus ab *Henrico de Gusmam Magistro Provinciali Terræ Sanctæ*. Verba sunt: " Cum in Conventibus Congregationis nostræ B. Jacobi Venetiarum, uti & in aliis Conventibus Provinciarum Italiæ, Decreto S. Congregationis Episcoporum & Regularium negotiis præpositæ, numerus Filiorum cujuscumque Conventus sit determinatus, ultra quem alii recipi non possunt; æquum duximus, ut cum plures Filii ab eadem nostra Congregatione recesserint, & in alias Provincias se receperint, in quibus a multis annis etiam commorantur: ne occasione eorum absentiæ Conventus præfatæ nostræ Congregationis numerum Religiosorum completum non habeant, (quod plurimum cedit in eorum detrimentum, itaut Officia divina, & alia quæ spectant ad Observantiam regularem persolvi non possint;) ipsis fore demandandum, ut ad eamdem nostram Congregationem redeant, vel per affiliationem in Provincias in quibus recepti sunt totaliter transferantur. Ideo tenore præsentium, & Officii nostri auctoritate præcipimus Patribus ac Fratribus ejusdem Congregationis: ut intra annum ad eamdem nostram Congregationem redeant, aut intra idem tempus Conventum habeant benevolum pro affiliatione. Quod si intra annum a præsentium notitia aut ad Congregationem non redierint, aut totaliter affiliati in aliis Conventibus Provinciarum non fuerint, voce activa & passiva in iis Provinciis gaudere non possint, nec Gradu aliquo, nec aliquo officio: sed transacto anno post præsentium significationem, & nunc pro tunc si his nostris Litteris non paruerint, Gradu, officio, voce activa & passiva privatos dicimus, & declaramus. Injungentes ipsis, quod si eis affiliari contingat, Vicarium Generalem Congregationis pro tempore certiorem reddant: in aliis Conventibus se esse affiliatos, ut in eorum locum alios ad habitum recipere possint. "

Satis consultum non erat malo, quod imminebat. Validiora præsidia adhibenda fuerant. Tulerat olim *Gregorius Papa XV.* curante Bernardino Gosellino, in patrocinium ac munimen Disciplinæ in Cœnobio *Forojuliensi* instauratæ, aptissimum Decretum: *Quod Fratres Domus Regularis* ejusdem *loci, qui ex eadem Domo discesserant, & pro*

& pro tempore discedent, Filiationem dictæ Domus amittant: & alii eorum loco subrogari valeant. Simile sanciri Decretum, quo minutus Alumnorum numerus in Congregatione farciretur, aut iis reditum properantibus qui exierant, aut aliis in eorum locum suffectis, optabant Majores nostri. Pro secundo rei eventu opem, operamque postularunt *Henrici de Gusman*, qui Romæ Vicariam gerebat Antonino Cloche in lustrandis Italiæ Cœnobiis occupato, Ordinis Præfecturam. Idem placebat præsidium Rigidioris observantiæ cultoribus in Cœnobiis, Romano *S. Sabinæ*, Boschensi *S. Crucis*, Ferrariensi ac Ravennate *S. Dominici*, qui par experiri infortunium cogebantur. Vota eorum votis nostris adjuncta sunt.

Humanissime favit Gusmanus: supplicemque Libellum obtulit Summo Pontifici, ut ipse largiri dignaretur, quod in Observantiæ tutelam expetebatur. Hac de re consulta S. Congregatio, quæ negotiis Episcoporum & Regularium invigilat, jure *adfiliationis* censuit spoliandos, qui e Cœnobiis Reformatis recedentes, ad eadem intra spatium temporis trimestre non reverterentur. Decreti verba sunt: " Sacra Congregatio Eminentiss. & Reverendiss. S. R. E. Cardinalium, negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, ad quam SS. Dominus noster Supplicem hunc Libellum remisit pro voto; attenta relatione Eminentissimi Cardinalis de Alteriis, dicti Ordinis apud S. Sedem Protectoris, censuit si Sanctitati suæ placuerit, posse per ejus Litteras in forma Brevis statui, atque decerni: eos Fratres, qui ex Conventibus Congregationis Observantis B. Jacobi Venetiarum, & pro eadem Observantia in Provincia Lombardiæ deputatis & deinceps deputandis, egressi sunt, vel imposterum egredientur, nisi intra tres Menses a die egressus computandos, ad eosdem Conventus reversi fuerint, affiliationem in ipsis Conventibus absque alia insinuatione amisisse, & amittere: & per Superiores Ordinis in aliis Conventibus pro Observantia prædicta non deputatis, uti eorumdem Conventuum Filios, pro suo arbitrio & conscientia collocandos esse. Dat. Romæ XXI. Novembris M. DC. XCII. Card. Carpineus. Altovitus Secr. "

V.
In eodem negotio datum ab Innoc.

Turbæ motæ sunt neque ulla non adhibita machina, ne Pontificium quod urgebatur diploma, suspensum ma-

ne-

neret. Romam missi fuerant *Daniel Danielius*, & *Reginaldus Panighettus*, qui negotium agerent, perficiundumque curarent. Novitatem, quam pars adversa ingerebat, simili Decreto amoliebantur, quod in præsidium Regularis observantiæ in Cœnobio *Forojuliensi* erectæ, jamdudum Gregorius XV. largitus fuerat. Numero superiore verba dedimus. Par erat *Seraphini Sicci* Generalis Magistri Sanctio pro *Tolosana* Congregatione lata, quam Generalia *Bononiensia* Comitia anno 1615. ratam habuerant, firmamque his verbis: *Confirmamus Decretum Reverendissimi Magistri Ordinis pro eadem Congregatione* (Tolosana) *factam: quo statuit eos qui a Congregatione egressi sunt vel imposterum egredientur, nisi ante tres Menses revertantur, ad eas Provincias eosque Conventus, in quibus per assignationem recepti fuerunt, pertinere: nullamque ad id aliam insinuationem requiri volumus, quam quæ per hoc Generale Capitulum fit omnibus in communi.* Accedebant Confirmationes Nicolai Rodulfii, & Antonii de Monroy. In hujus Litteris, quas datas legimus *die IX. Augusti M. DC. LXXIX.* hæc habentur verba. " Quodve deinde a Reverendissimo P. Nicolao Rodul-„ phio Prædecessore nostro anno M. DC. XXXII. fuit „ his verbis confirmatum: Declaramus, omnes & singu-„ los Patres ac Fratres, qui in Conventibus hujus Con-„ gregationis professionem emiserunt, & ab eisdem vel „ sine licentia, vel tædio strictioris observantiæ petierunt „ ab ea egredi, excidisse jure Filiationis Conventuum „ suorum originalium: & simpliciter pertinere ad Con-„ ventus, & Provincias, in quibus recepti fuerunt jux-„ ta Ordinationem Capituli Generalis Bononiæ celebra-„ ti M. DC. XV. "

centio XII. Diploma. Moderatio Benedicti XIII. Inita Conventiones cum Præfecto Provinciæ.

Hisce consonum conscribi Diploma jussit Summus Pontifex, ut supremæ auctoritatis præsidio damna sarcirentur, quæ rigidiori Disciplinæ inlata fuerant. " Innocentius „ XII. Ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper „ fecit Dilectus Filius Henricus de Gusman, Vicarius „ Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod cum „ ipse a Dilectis Filiis Fratribus Congregationis B. Jaco-„ bi Venetiarum dicti Ordinis, necnon Superioribus Con-„ ventuum in Provincia Lombardiæ ejusdem Ordinis pro „ exacta Regulæ ipsius Ordinis observantia deputatorum, „ certus factus fit,: viginti abhinc annis a Congregatio-

„ ne

" ne & Conventibus præfatis egressos fuisse plerosque
" ex Fratribus Congregationis & Conventuum hujusmo-
" di, eosque in aliis Provinciis & Conventibus Ordinis
" supradicti pro Observantia minime deputatis commo-
" rari : adhuc tamen retinere suas Filiationes in Con-
" gregatione, & Conventibus primo dictis, atque hac
" ratione impedimento esse, ne alii in Congregatione &
" Conventibus hujusmodi recipi valeant : indeque fieri
" non posse, ut inibi Regularis Disciplina adamussim cu-
" stodiatur, & Ecclesiis Sacerdotum penuria laboranti-
" bus debitus cultus exhibeatur. Idem Henricus Vica-
" rius Generalis ex incumbenti sibi Officii sui debito
" rigorosam Constitutionum dicti Ordinis observantiam
" promovere satagens, opportune in præmissis a Nobis
" provideri plurimum desiderat. Nos igitur *ipsum Hen-
" ricum* Vicarium Generalem specialibus favoribus &
" & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis Excommu-
" nicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Eccle-
" siasticis Sententiis, Censuris, & pœnis, a jure vel ab
" homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus
" quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsen-
" tium duntaxat consequendum, harum serie absolven-
" tes, & absolutum fore censentes; supplicationibus ejus
" nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati,
" de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardi-
" nalium negotiis & consultationibus Episcoporum &
" Regularium præpositorum consilio, & attenta *relatio-*
" ne Ven. Fratris nostri Palutii Episcopi Prænestinensis
" ejusdem S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupati Or-
" dinis prædicti apud Nos & Sedem Apostolicam Prote-
" ctoris super præmissis eisdem Cardinalibus facta, au-
" ctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, at-
" que decernimus: eos Fratres, qui ex Conventibus su-
" pradictæ Congregationis Observantis B. Jacobi Vene-
" tiarum, & pro eadem Observantia in prædicta Provin-
" cia Lombardiæ deputatis & deinceps deputandis, egressi
" sunt vel imposterum egredientur, nisi intra tres Men-
" ses a die egressus computandos ad eosdem Conventus
" reversi fuerint, affiliationem in ipsis Conventibus abs-
" que alia insinuatione amisisse & amittere : & per Su-
" periores ejusdem Ordinis in aliis Conventibus pro Ob-
" servantia prædicta non deputatis, ut eorum Conven-
" tuum

„ tuum Filios, pro suo arbitrio & conscientia collocandos
„ esse, salva tamen semper in præmissis auctoritate Con-
„ gregationis eorumdem Cardinalium. Decernentes ipsas
„ præsentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces
„ existere & fore, suosque plenarios & integros effectus
„ sortiri & obtinere, & illis ad quos spectat & pro tem-
„ pore quandocumque spectabit, in omnibus & per om-
„ nia plenissime suffragari, & ab illis respective invio-
„ labiliter observari: sicque in præmissis per quoscum-
„ que Judices, Ordinarios & Delegatos etiam Causarum
„ Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiri debe-
„ re, ac irritum & inane si secus super his a quoquam
„ quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit at-
„ tentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutioni-
„ bus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus
„ opus sit Ordinis, Congregationis, Provinciæ, & Con-
„ ventuum præfatorum, aliisque quibusvis etiam jura-
„ mento, Confirmatione Apostolica, vel quavis facultate
„ alia roboratis statutis & consuetudinibus, Privilegiis
„ quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium
„ præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, &
„ innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum teno-
„ res præsentibus pro plene & sufficienter expressis & ad
„ verbum insertis habentes, illis alias in suo robore per-
„ mansuris, ad præmissorum effectum hac vice dunta-
„ xat specialiter & expresse derogamus, cæterisque con-
„ trariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem
„ præsentium Litterarum Transumptis seu Exemplis,
„ etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscri-
„ ptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate mu-
„ nitis, eadem prorsus fides, tam in judicio quam extra
„ illud, ubicumque locorum habeatur, quæ haberetur
„ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat.
„ Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V.
„ Februarii M. DC. XCIII. Pontificatus nostri anno se-
„ cundo. J. F. Cardinalis Albanus. "

Rem gestam, fortunatumque exitum Antonino Cloche, qui Ferrariæ Cœnobia invisebat, significavit Danielius per litteras, datas *Romæ die XXVIII.* ejusdem Mensis Februarii. Tum Joanni Olivato *Congregationis Vicario* litteras dedit idem Generalis Magister *die XXVIII.* insequentis *Martii*: queis monebat ipsum, ut Pontificii Di-

Diplomatis exemplum ad Præfectum Provinciæ transmitteret, Fratribus indicendum, qui post discessum e Congregatione diversabantur in Cœnobiis, ejusdem regimini subjectis. Tam validos exerere conatus non licuit Provinciæ, Præfecto, quin Veneti Senatus ad executionem consulto muniretur *die XXIII. Novembris M.DC.XCIII.*

Verba Diplomatis illa minus placebant Præfectis Provinciæ *Lombardiæ*, ac Provinciæ *S. Dominici*, queis mandabatur eisdem: ut *in aliis Conventibus, pro Observantia non deputatis*, Fratres, qui Cœnobia Reformata deseruerant, aut imposterum deserturi essent, *uti earumdem Conventuum Filii, pro suo arbitrio, & conscientia collocarentur*. Eadem moderari demum placuit Benedicto XIII. precibus Præfecti Provinciæ *utriusque Lombardiæ* annuenti, datis Litteris *die V. Maii M. DCC. XXV.* quibus Vicario Congregationis Titulo *S. Sabinæ* inhibetur: ne Fratres ullos imposterum dimittere audeat, *nisi prius de invento benevolo receptore in aliquo Conventu cujusvis Provinciæ prædicti Ordinis Fratrum Prædicatorum legitime docuisset*. Litterarum extensionem anno insequente *die VIII. Februarii* facile obtinuit Prefectus Provinciæ *S. Dominici*. Pontificiæ Moderationi, cæteris per initas Conventiones compositis, obsequendum censuere Patres Congregationis; utpotequam, post ipsum Innocentii Diploma, urbanitatis ac decentiæ causa, hactenus data occasione servassent Nostrates.

CAPUT XXIV.

Cœnobia duo in Oppido S. Danielis, & in Civitate Portus-Naonis, erecta in Provincia Forijulii.

I. *Novum Cœnobium Oppidani S. Danielis offerunt Alumnis Congregationis. Cur Regio Forijulii dicta Patria?*

NOvæ Domus Congregationi per hæc tempore accesserunt in Provincia Forijulii, in qua vetustum jam tenebamus Cœnobium *Forojuliense*, cum *Rosaciensi* Domo: *Farense* quoque erectum fuerat in ea Regionis parte, quæ Archiducibus Austriæ paret: nuperumque concesserant in *Valvasoni* castro Dynastæ loci. Oppidum extat sub nuncupatione *S. Danielis*, colle incumbens, situ ac ædificiis conspicuum: cujus faciem latissima ad meridiem

ridiem planicies exhilarat, terga cingunt altiores Montes. Inter loca numeratur, quæ Patriarchæ Aquilejensi subjecta fuerunt in *Pactis* cum Ducali Dominio Venetorum anno 1445. constitutis, per hæc verba: *Convenerunt, quod Civitas Aquilejensis, & Oppida S. Viti, & S. Danielis in dicta Patria consistentia, cum omnibus eorum districtibus, pertinentiis, Territoriis, fructibus, commoditatibus, emolumentis, & quibuscumque aliis juribus eorum, & cum omnimoda jurisdictione, ac mero & mixto imperio, ac omni temporali Dominio; exceptis Feudis & eorum collationibus, habeantur per ipsum Reverendissimum D. Cardinalem & Patriarcham*. Is erat Ludovicus Scarampus Mediarota Patavinus. Regionem Forojuliensem dictam *Patriam* legis: eoque nomine a Venetis nuncupatam plerique arbitrantur *in suæ originis recordationem*, acsi solius Provinciæ Forojuliensis coloni, Barbarorum incursionem fugientes, ad *Æstuaria* se receperint, Inclitæque Venetiarum urbi condendæ occasionem dederint, indeque *Veneti* aut *Venetici* appellati fuerint.

Vulgarem hanc pluribus refellit argumentis opinionem Gaspar Beretta, Monachus Cassinensis Ordinis S. Benedicti, in Differtatione Chorographica de Italia Medii ævi Num. 26. Tum quia ex tota Venetia Continente, & Illyrico ad Æstuaria confugisse populos in ea Barbarorum clade, produnt Rerum Venetarum probatissimi Scriptores, exterique non pauci: tum quia Forojulienses, & Aquilejenses in Insulam Gradum se recepisse, aliasque adjacentes littori Aquilejensi, ut eorumdem Barbororum rabiem declinarent, Historia docet: tum etiam quod nomen, *Patria*, minime veluti proprium habendum est, sed appellativum cuicumque Regioni, ac Provinciæ commune. Eo sensu vetusti latini Scriptores *Patriam* usurparunt, Augustinus, Arnobius junior, Gregorius Turonensis, quos laudat Ducangius. Eadem vox persæpe eodem sensu adhibita a Paulo Diacono, ac frequentissime ab Anonymo Ravennate in *Geographia*: medioque ævo usitatissima. Hæc igitur ratio est, non alia quærenda, cum *Forojuliensis* Regio dicta fuerit *Patria*.

Oppidanis ergo *S. Danielis* nimium placebant Fratrum nostrorum sacra munia, quibus eos egregie defungi in salutem proximorum audiebant: tamque diligentes vineæ Domini agricolas conducere, summopere exoptabant.

Mentem Hieronymi Castelfranci, qui regimen Congregationis tenebat, exploravit *Bartholomæus Cignola*, qui Ragoneæ curam animarum exercebat in Ecclesia *S. Petri*: neque alienam cognovit, dummodo Ecclesia traderetur, ac locus aptus, qui in Cœnobium redigi posset. Urgere negotium, cujus perficiundi spes affulgebat, voluerunt *Gastaldio*, *juratus*, *& Communitas*: reique notitia Joanni Delfino, Cardinali, & Patriarchæ *Aquilejensi* facta, ejusque habito consensu, litteras dedere ad eumdem Castelfrancum his verbis latine redditis. " Cum ex
„ relatione Bartholomæi Cignolæ probatissimi Viri satis
„ nobis de tua erga nos benevola voluntate constiterit;
„ nos quoque obsequium erga Te nostrum attestamur,
„ propensumque Joannis Delphini Cardinalis, & Patriar-
„ chæ, ac Domini nostri animum significamus. Litte-
„ ras præsentes, eo consulente, ad Te transmittimus,
„ Te tuosque Consodoles obtestantes, ut in Opus San-
„ ctum, quod cogitamus, facilem consensum adhibeatis.
„ Locum interim offerimus, in quo pauci ex Alumnis
„ Congregationis vestræ primo tempore excipiantur: si-
„ mulque operam nostram pollicemur, ut reditibus con-
„ stitutis, Ædibusque traditis, commodum deinceps Cœ-
„ nobium construi queat. Virum ex vestris idoneum ad
„ nos dirigi necessarium ducimus, quocum de negotio
„ ad mentem vestram agere possimus. Vale. Ex Oppi-
„ do S. Danielis die XV. Aprilis M. DC. LXXV. "

11\. *Facultatem novum Cœnobium acceptandi facit Generalis Magister Ordinis, itemque Sacra Purpuratorum Patrum Congregatio. Origo Ecclesiæ S. Mariæ* Della Strada.

Insequentis anni initio facta ab *Jo: Thoma de Roccaberti*, Generali Magistro Ordinis facultas, novi Cœnobii, quod offerebatur, fundationem acceptandi, si visa fuerit legibus nostris, Pontificiis Decretis, ac decori Ordinis congruere. Litterarum verba sunt. " Nos F. Jo:
„ Thomas de Roccaberti S. Th. Professor Ordinis Præ-
„ dicatorum humilis Magister Generalis ac Servus. Cum
„ ab Oppidanis Terræ S. Danielis Diœcesis Patriarcha-
„ lis Aquilejensis expositum fuerit Rev. P. Baccalaureo
„ F. Hieronymo Mariæ Castelfranco, Vicario nostræ
„ Congregationis B. Jacobi Salomonii, commune ipso-
„ rum desiderium fundandi in prædicto Oppido Conven-
„ tum nostri Ordinis; pro qua fundatione jam obtinue-
„ rant consensum & approbationem Eminentissimi & Re-
„ verendiss. D. Cardinalis Delphini Patriarchæ & ejus-
„ dem Oppidi Patroni, & denuo maxima cum devotio-
„ ne

„ ne inſtent pro eadem fundatione. Nos piis eorum de-„ ſideriis, quantum in nobis eſt, annuere cupientes; „ harum ſerie noſtrique auctoritate Officii, concedimus „ præfato Patri Vicario F. Hieronymo-Mariæ Caſtelfran-„ co facultatem, tractandi cum omnibus ad quos perti-„ net de dicta Fundatione, eamque acceptandi, ſervatis „ ſervandis. Dantes eidem ad hunc effectum omnem au-„ ctoritatem, quam Conſtitutiones noſtræ & Acta Ca-„ pitulorum Generalium ad ſimiles fundationes faciendas „ & acceptandas requirunt. In nomine Patris & Filii & „ Spiritus Sancti Amen. Dat. Romæ die IV. Januarii „ M. DC. LXXVI. F. Jo: Thomas de Roccaberti Ma-„ giſter Ordinis. Reg. fol. 383. F. Emmanuel Pereyra „ Magiſter Provincialis Terræ Sanctæ. "

Quæ deinceps ad perficiundum negotium geſta fuerunt, complectuntur omnia Tabulæ, juſſu Cardinalis Delfini Patriarchæ confectæ, *die XXVII. Julii anno M. DC. LXXVIII.* Integras illas proferre pretium eſt operæ: notisque illuſtramus. Incipiunt vero: " Joannes Mi-„ ſericordia divina Tit. SS. Viti & Modeſti S. R. E. „ Presbyter Cardinalis Delphinus Patriarcha Aquilejen-„ ſis, Dilectis nobis in Chriſto Spectabilibus piiſque, „ Univerſitati & Hominibus Terræ Patriarchalis S. Da-„ nielis Aquilejenſis noſtræ Diœceſis, Salutem in Domi-„ no ſempiternam. " Regimen Patriarchale, poſt Hieronymi Gradonici obitum, Januario Menſe exordientis anni 1658. ſuſcepit Joannes Delfinus. Inter Purpuratos Patres ipſum connumeravit Alexander VII. *die 7. Martii anni 1667.* Annum precedentem *1666.* errore captus effert Ughellus in Italia Sacra. Titulum Presbyteralem *S. Salvatoris in Lauro* primum obtinuit, deinceps Diaconiam *SS. Viti & Modeſti in Macello.*

" Exhibita Nobis nuper parte, & nomine veſtri Sa-„ cræ Congregationi EE. S. R. E. Cardinalium, Nego-„ tiis & Conſultationibus Epiſcoporum & Regularium „ præpoſitæ, Supplicatio extitit quæ benigne ab hujus-„ modi Sacra Congregatione nobis remiſſa fuit, ut veris „ exiſtentibus in ipſa narratis; & poſtquam comperimus „ ea fuiſſe numeris omnibus abſoluta, ad petitam per „ vos erectionem Conventus ſub Ordine & Inſtitutione „ Fratrum S. Dominici de Obſervantia nuncupatorum, „ ex jurisdictione noſtra Ordinaria, donec ipſorum Fra-

 „ trum

„ trum reditus eousque adaucti fuerint, ut commode su„ stentari valeant & cum effectu sustententur duodecim Re„ ligiosi ad præscriptum Constitutionis, *Ut in paucis*, „ s. m. Innocentii X. pro nostris arbitrio ac prudentia „ procedamus. Quæ supplicatio, & remissio infrascripti „ sunt tenoris. " In supplici Libello narrabant benevo„ li S. Danielis Oppidani: *Parvum Cœnobiolum, quod incolebant Alumni S. Francisci, auctoritate & jussu Innocentii X. suppressum fuisse: Vicarios duos, qui Curam animarum in Oppido ac Villis adjunctis exercent, pares non esse laboribus oneribusque sustinendis in loco populis refertissimo. Subsidium poscebant, quod ab Alumnis Congregationis B. Jacobi Salomonii obtineri facile poterat. Ipsorum namque diligentia in Sacramentis administrandis, cultu Deiparæ provehendo, Sacris habendis Concionibus, tradendisque absque mercede Scientiis, jam uberes in tota Provincia Forojuliensi fructus collegerat. Addebant, tradi impræsentiarum eisdem posse Ecclesiam B. Virginis sub nuncupatione S. Mariæ della Strada sumptibus Communitatis pridem constructam, tum Ædes conjunctas cum Hortis in Cœnobium deinceps erigendas: proventusque annuos modo constitui, quibus ali decenter sex Religiosi valeant, augendos postea pro statuto Fratrum numero juxta Pontificum Decreta*. Supplex idem libellus Mense Februario anni 1677. transmissus est Romam. Prædictæ vero Ecclesiæ, quæ Fratribus offerebatur, originem ac primordia accipe. In via quadam inter agros eleganter in pariete picta imago Virginis Deiparæ colebatur a rusticis hominibus, qui illac transire consueverant ad agrorum culturam: deque loci, seu viæ nomine vernacule vocabatur Sancta Maria *della Strada*. Ferunt, miracula plura in ejusdem Imaginis honorem a Deo patrata: indeque motos Oppidanos, ut decentioris cultus gratia, intra Oppidum sacra transferretur icon, novaque erigeretur Ecclesia, quæ Sanctæ Mariæ *della Strada*, priore appellatione retenta, sacra esset. Cœptum opus anno 1617. legimus.

Supplici Oppidanorum libello diligentius expenso, censuit Sacra Purpuratorum Patrum Congregatio, rem totam committi Cardinali Delfino Patriarchæ oportere. Rescripti verba sunt. " Sacra Congregatio Eminentissi„ morum S. R. E. Cardinalium, Negotiis & Consulta-

„ tio-

„ tionibus Episcoporum & Regularium præposita, atten-
„ ta relatione Eminentissimi Patriarchæ Aquilejensis, &
„ referente Eminentiss. Carafa, censuit Oratorum pre-
„ cibus si Sanctissimo Domino nostro placuerit annui
„ posse, remittendo eidem Eminentiss. Patriarchæ, ut
„ veris existentibus narratis, prænarratam Ecclesiæ ejus-
„ que redituum ac bonorum & contigui situs concessio-
„ nem ab ipsa Communitate factam pro suo arbitrio &
„ prudentia approbet atque confirmet. Et postquam re-
„ pererit, fabricam dicti Conventus cum Ecclesia, Cho-
„ ro, Sacristia, Dormitorio, Refectorio, aliisque Offici-
„ nis necessariis esse numeris omnibus absolutam, & su-
„ pellectilibus sacris & profanis sufficienter instructam:
„ quodque annuus perpetuus reditus pro congrua dicto-
„ rum Sex Religiosorum, nempe quatuor Sacerdotum
„ probatæ vitæ ac doctrinæ, & duorum Laicorum sub-
„ stentatione vere & cum effectu fuerit assignatus, ad
„ ejusdem Conventus erectionem procedat: & prædictam
„ Confraternitatem ab Ecclesia Parochiali una cum om-
„ nibus ejus bonis & reditibus in beneficium eorumdem
„ Religiosorum cessuris, Privilegiis, & honoribus in Ec-
„ clesiam dicti novi Conventus transferat, dummodo
„ iidem Religiosi omnia onera dictæ Confraternitati ad-
„ nexa adimplere teneantur: & tandiu visitationi, cor-
„ rectioni, & omnimodæ jurisdictioni dicti Eminentissi-
„ mi Patriarchæ subjaceant, donec ipsorum reditus eous-
„ que adaucti fuerint, ut commode sustentari valeant
„ & cum effectu sustententur duodecim Religiosi ad præ-
„ scriptum Constitutionis s. m. Innocentii X. cæteraque
„ omnia serventur, quæ circa hujusmodi novos Conven-
„ tuum fundationes in Apostolicis Constitutionibus præ-
„ scripta sunt. Non obstantibus &c. Dat. Romæ XIX.
„ Martii M. DC. LXXVII. Et die XX. ejusdem Men-
„ sis facta relatione Sanctissimo Domino nostro, Sancti-
„ tas sua supradictam Ecclesiæ concessionem, Conventus
„ erectionem, & Confraternitatis (Rosarii) translationem
„ approbavit & confirmavit: suumque sortiri effectum
„ mandavit. Card. Gaspar Carpineus."

III. *Loci, & Ecclesiæ possessionem adeunt Alumni Congregationis, rem exequente Cardinali Delfino Patriarcha Aquilejensi.*

Brevi unius anni tempore, curante Castelfranco, cui munus hocce demandaverat *Bonifacius-Maria Grandius*, Congregationi Præfectus, operamque suam præstantibus Oppidanis, in Cœnobiolum redactæ sunt Ædes, quod in-

co-

colerent sex Religiosi: certique proventus adsignati, ac omnia parata quæ Sacræ Congregationis Rescripto injuncta fuerant. In Oppidum anno insequente profectus est *Delfinus*: quo præsente, ac annuente, adjere Fratres Ecclesiæ, Ædiumque, ac situs contigui, & proventuum possessionem.

Hæc tradunt omnia posterorum memoriæ Tabulæ citatæ. " Nos igitur Joannes Cardinalis ac Patriarcha,
" necnon Judex & Commissarius præelectus, ad mune-
" ris Nobis ut supra injuncti executionem procedendo,
" cum in dicta Terra Patriarchali S. Danielis Aquile-
" jensis nostræ Diœcesis, quæ satis ampla & numeroso
" populo referta rerumque ad humanæ vitæ sustentatio-
" nem necessariarum sit ferax; nullusque Regularium
" Conventus, cum unus qui tantum parvus Ordinis Mi-
" norum Conventualium, qui in hujusmodi Terra olim
" reperiebatur, vigore Constitutionis s. m. Innocentii
" Papæ X. suppressus omnino fuerit, ad præsens existat;
" duoque Vicarii Seculares, qui Curam gerunt anima-
" rum ter mille, Christifidelibus ibidem habitantibus
" spiritualia suffragia, pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacra-
" menta, ac Verbi Dei prædicationem sufficienter ad-
" ministrare ac respective exercere minime valeant: con-
" siderantes nos, Fratres Ordinis S. Dominici Observan-
" tes nuncupatos, in quibus elucet scientia, viget Reli-
" gio in Cultu divino cum Fidelium fructu, & crescit
" in flore Observantia Regularis, vobis ac animabus ve-
" stris summopere esse proficuos; communi Loci consen-
" su eos ideo Auctoritate Apostolica vocare, & in hu-
" jusmodi loco Regularem Conventum pro ipsis Fratri-
" bus commode plantare, eisque ac eorum Religioni Ec-
" clesiæ Secularis S. Mariæ *della Strada* nuncupatæ de
" jure vestræ Communitatis cum omnibus reditibus ac
" bonis necnon contigui situs concessione ab eadem Com-
" munitate facta, & speciali ulterius annuorum redituum
" assignatione pro congrua sex hujusmodi Fratrum pro
" nunc sustentatione, ac publico vestro sumptu erigere
" decreveritis; non absque spe, brevi temporis cursu,
" Divina favente Clementia, Populique cultu ac devo-
" tione, necnon Regionis abundantia accedentibus, sex
" alios Fratres juxta eorum victus & habitus pauperta-
" tem æque alituros. Cum igitur vos zelo Religionis
" du-

„ ducti, principium fabricæ loci ad formam Conventus
„ aggredi non destitistis, quæ Deo adjuvante in Loco
„ hujusmodi Terræ decenti, salubri, ac juxta eamdem
„ Ecclesiam opportuno, pro commoda ad præsens sex
„ saltem Fratrum habitatione cum Choro, Sacristia, Of-
„ ficinis, ac spatiis pro Hortis necessariis, Conventusque
„ etiam Claustro plantato, numeris omnibus absoluta ac
„ supellectilibus Sacris & profanis sufficienter instructa
„ reperiatur; annuusque perpetuus reditus pro congrua sex
„ dictorum Religiosorum, nempe quatuor Sacerdotum &
„ duorum Laicorum, sustentatione vere & cum effectu
„ fuerit per vos assignatus; necnon per Administros Ro-
„ sarii Confraternitatis, speciali Confratrum accedente
„ consensu, cessum fuerit reditibus ac bonis stabilibus
„ ac mobilibus omnibus ad dictam eorum Confraterni-
„ tatem spectantibus in favorem dictorum Fratrum S. Do-
„ minici de Observantia nuncupatorum, ac una cum
„ omnibus honoribus & oneribus eidem Ecclesiæ & Con-
„ fraternitati spectantibus & pertinentibus: Nos ideo vi-
„ gore præmissæ Remissionis & facultatis, qua in hac
„ parte fungimur Apostolica, postquam comperimus actu
„ fuisse præmissa omnia assignata eisdem Fratribus ac
„ ipsorum Ordini, eorum præcipue laudabilibus suffra-
„ gantibus meritis, ac fructu multiplici quem in Eccle-
„ sia Dei doctrinæ sermonibus, & honestæ conversatio-
„ nis exemplis, & commendanda vita attulerunt hucus-
„ que, & Deo adjuvante imposterum afferre non desi-
„ stent, ut fide digna passim attestantur argumenta; Ec-
„ clesiæ S. Mariæ *della Strada*, ejusque redituum & bo-
„ norum, & contigui situs concessionem, annuam per-
„ petuam assignationem, & Conventus ædificium, nec-
„ non cessionem & relaxationem redituum ac bonorum
„ stabilium ac mobilium a Confratribus Rosarii cum
„ omnibus ejusdem Confraternitatis bonis & reditibus in
„ beneficium eorumdem Religiosorum, ac cum honori-
„ bus & oneribus ut supra, in omnibus & singulis eo-
„ rum partibus approbamus & confirmamus. Deinde ul-
„ terius procedendo, Ecclesiam S. Mariæ *della Strada*
„ præmissam, quæ hucusque secularis extitit, in Eccle-
„ siam Regularem; ædificium cum spatiis & hortis su-
„ prascriptis in novum Conventum Ordinis S. Domini-
„ ci de Observantia, in quibus Fratres hujusmodi Or-
„ dinis

„ dinis valeant pacifice juxta eorum Instituti regulas ac „ ritus vivere & devote Deo famulari : necnon Con„ fraternitatem Rosarii a Parochiali S. Michaëlis Eccle„ sia in novam Ecclesiam S. Mariæ *della Strada* regula„ rem erigimus , constituimus , & respective transferi„ mus, cum omnibus & singulis Privilegiis , Facultati„ bus, Libertatibus , immunitatibus , exemptionibus , „ prærogativis, præeminentiis , favoribus , concessioni„ bus, indultis , indulgentiis plenariis , & peccatorum „ remissionibus, cæterisque gratiis universis, tam spiri„ tualibus quam temporalibus , quibusvis Conventibus „ dicti Ordinis , illorumque Superioribus ac Fratribus , „ ac utriusque sexus Christifidelibus eorumdem Eccle„ siam visitantibus, in genere & in specie, & per viam „ simplicis communicationis, & aliis quomodolibet tam „ concessis quam pro tempore concedendis ; sub nostra „ tamen ordinaria jurisdictione, donec adimpleantur ea „ quæ in Constitutione prædicta Innocentii Papæ X. præ„ scripta sunt . In quorum fidem & testimonium præ„ sentes nostras per Cancellarium nostrum Patriarcha„ lem infrascriptum dari mandavimus , & Sigilli nostri „ Patriarchalis quo in similibus, utimur, jussimus & fe„ cimus appensione muniri . Dat. in Ecclesia S. Mariæ „ *della Strada* Terræ Patriarchalis S. Danielis Aquile„ jensis Diœcesis die XXVII. Julii M. DC. LXXVIII. „ Pontificatus vero Sanctissimi D. in Christo Patris & „ D. nostri D. Innocentii divina providentia Papæ XI. „ anno ejus secundo. “

Memoratos in hisce Tabulis *Vicarios duos* legis , qui Curam gerunt animarum: concedi siquidem a Sancta Sede ipsum *Plebanatum* jam ab anno 1415. consuevisse in commendam perpetuam , docent Monumenta , quæ licuit evolvere . Hanc sequiore tempore obtinuerunt Virii dignitate , & doctrina conspicui , *Joannes Columna* S. R. E. Cardinalis , *Jacobus Sinius* a Secretis & Cubicularius Clementis Octavi , *Petrus Octobonus* postmodum ad apicem Pontificatus sub nomine Alexandri VIII. evectus , *Rubinus* Purpuratus S. R. E. Pater , *Justus Fontaninus* Archiepiscopus Ancyranus: eamque modo possidet *Jo: Dominicus Fontaninus*.

Post hæc laudato Castelfranco Congregationi Præfecto inter Missarum solemnia loci , & Ecclesiæ possessio tradita

dita ab Eminentissimo ... ino. Monumentum legitur Tabulis citatis adjectum. " In Dei nomine Amen. Per
" hoc præsens publicum Instrumentum universis & sin-
" gulis ipsum inspecturis, lecturis, & audituris notum
" sit: qualiter anno a Nativitate Domini nostri Jesu Chri-
" sti M. DC. LXXVIII. Indictione I. die Mercurii XXVII.
" Mensis Julii, Pontificatus vero SS. in Christo Patris
" & D. nostri D. Innocentii divina providentia Papæ XI.
" anno ejus secundo; in Ecclesia S. Mariæ *della Strada*
" nuncupata Terræ Patriarchalis S. Danielis Aquilejensis
" Diœcesis, Eminentissimus ac Reverendiss. D. D. Joan-
" nes Misericordia divina Tit. SS. Viti ac Modesti S. R. E.
" Presbyter Cardinalis Delfinus Patriarcha Aquilejensis,
" inter Missarum Solemnia, adhibitis consuetis ritibus
" & solemnitatibus, post absolutam supradictam Institu-
" tionem ac erectionem Conventus sub Ordine Fratrum
" S. Dominici, sedens in Portatili ad hoc disposita,
" Rev. P. Hieronymum Mariam Castelfrancum nuncu-
" patum Ordinis S. Dominici de Observantia, a Reve-
" rendissimo P. Generali Ordinis Prædicatorum speciali-
" ter electum ad fundationem hujusmodi Monasterii, ut
" constat de Mandato sub die IV. Januarii M.DC.LXXVI.
" coram Eminentia sua flexis genibus constitutum, per
" annuli Patriarchalis in ejus digito impositionem & cla-
" vium traditionem, nomine Religionis Fratrum S. Do-
" minici de Observantia acceptantem, auctoritate Apo-
" stolica qua fungitur in hac parte, posuit ac induxit
" in actualem, realem, ac corporalem possessionem Ec-
" clesiæ S. Mariæ *della Strada* cum ædificiis, spatiis,
" hortis, & aliis supra descriptis in causam novi Con-
" ventus hujusmodi Ordinis, in quibus valeant Fratres
" juxta eorum Instituti regulas vivere ac Deo famulari:
" necnon bonorum stabilium ac mobilium, redituum
" annuæ perpetuæ assignationis, cessionis ac relaxationis
" redituum tam a Communitate quam a Confratribus
" ut supra factæ in beneficium eorumdem Religiosorum,
" & cum honoribus & oneribus ut supra; itaut Reli-
" giosi præmissi bona quæcumque prædicta propria au-
" ctoritate in vim præsentis possessionis valeant appre-
" hendere, & apprehensa perpetuo retinere, illaque lo-
" care, dislocare, arrondare; necnon fructus, reditus,
" proventus, jura, obventiones, ac emolumenta ex eis

„ provenientia, legata, oblationes, & eleemosynas eidem „ Conventui illiusque Priori ac Fratribus pro tempore „ relicta, elargita, relinquenda, elargienda recipere, ac „ in Conventus prædicti communes usus, utilitatem, „ ac necessitatem convertere; & cum omnibus ac singu- „ lis Privilegiis, honoribus, oneribus, ac conditionibus „ ut in ejusdem Conventus fundationis & erectionis Do- „ cumento præmisso latius dictum est: cui in omnibus „ relatio habeatur. In quorum &c. Præsentibus admo- „ dum Reverendis Dominis Jo: Josepho Muzenino Cu- „ biculi præfecto, ac Paulo Locatello a Secretis Emi- „ nentiss. D. Cardinalis Patriarchæ, Canonicis Aquile- „ jensibus; & aliis quampluribus testibus habitis &c. Ita „ est Thomas Fabricius Cancellarius Patriarchalis Aqui- „ lejensis. "

IV. *Amplo erecto Cœnobio primus Prior ab Antonino Cloche Magistro Generali præficitur.*

Vineam Domini, ad quam vocati fuerant, nulli parcentes labori, colere cœperunt Alumni Congregationis. Pro ratione instituti spiritalia serentes, uberrime temporalia metebant, quæ opus erant ad angustam priorem Ecclesiam amplificandam, novumque Cœnobium a fundamentis erigendum. Tum Oppidani, tum rustici homines, qui villas incolunt Oppido conjunctas, pro viribus operam suam præstitere, quam polliciti fuerant: brevique tempore jacta sunt solidi ac satis ampli Ædificii fundamenta. Eo redactum anno 1709. illud fuerat, ut commode potuerit in eodem Diæta celebrari, Præside *Angelo-Maria Pasino*, Congregationi Præfecto.

Petitio in eodem Patrum Cœtu per hæc verba Antonino Cloche, Generali Magistro, facta legitur: " Quoniam jam satis compertum est, Vicariatum Terræ „ S. Danielis reditus sufficientes possidere pro duodecim „ Religiosis sustentandis: & simul habere omnes Cellas, „ Officinas, aliaque loca juxta Summorum Pontificum „ Decreta requisita pro congrua eorumdem Fratrum ha- „ bitatione; statuimus ut quantocius perficiatur Eccle- „ sia, & Chorus noviter erectus. Quibus absolutis, hu- „ millime supplicamus Patrem Reverendissimum Gene- „ ralem, ut dictum Vicariatum in Prioratum erigere „ dignetur; quo Regularis Observantia in Fratrum pro- „ fectum, & ejusdem Terræ ædificationem felicius flo- „ reat, & augeatur. " Lubenti se animo Petitioni annuere, declarat *Antoninus Cloche* in litteris Confirmatio-

tionis : *Similiter*, inquiens, *absolutis Ecclesia & Choro Vicariatus nostri Terræ S. Danielis, nos monitos esse volumus, ut in Prioratum tunc erigamus prout modo expositis*. Datæ *Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam* litteræ sunt *die XXV. Maii M.DCC.IX.* subscribente *Thoma Ripoll Magistro Provinciali Terræ Sanctæ & Socio*. Primum Priorem, postulante Marco-Antonio Baldassario Congregationi præfecto, instituit idem Generalis Magister, præfecitque *Candidum-Mariam Marinonum*, qui statutum Decretis Pontificiis regeret Fratrum numerum, disciplinæque Regularis officia, quæ cæteris in Cœnobiis implentur, adamussim servanda curaret. Scriptas Magistri Generalis Litteras legimus *die IV. Octobris M.DCC.X.* Rem hanc vero in Cœtu Patrum, anno insequente 1711. in Collegio Veneto celebrato, denunciatam his verbis profero: *Denunciamus, auctoritate Reverendissimi P. Magistri Generalis locum Terræ S. Danielis erectum fuisse in Conventum Collegiatum, cui datus est Prior P. F. Candidus-Rosa Marinoni*. Præfecturam primus obtinuit ille ob præclara, quæ comparavit eo in loco merita. Nihil diligentiæ, ac laboris prætermiserunt Successores, ut Ecclesiæ ornatum, cœptumque Cœnobium perficerent.

V.
Honorificum Justi Fontanini, Archiepiscopi Ancyrani, legatum.

Honoris causa, & grati animi ergo, honorificum postremo loco memorare præstat Justi Fontanini, Archiepiscopi Ancyrani, legatum quod ejus benevolam erga San-Danelianos alumnos voluntatem præfert, nullum licet attulerit emolumentum. Ad ejusdem, quam post obitum reliquit, Bibliothecam pertinet. Verba sunt Italica, ex Tabulis Testamentariis desumpta. " In caso poi „ che dalli Signori della nostra Comunità (di San Daniele) questo mio legato, benchè diretto al ben pubblico, non si volesse ricevere ; la qual cosa io non „ credo, e non vorrei che succedesse : io dispongo in „ tal caso, si dia alli Padri Domenicani del luogo, ma „ però con l' obbligo di accettazione de' loro Superiori „ Maggiori di Roma con Breve del Papa ; come il famoso Monsig. *Pierdaniello Uezio* volle, che si obbligassero i Padri Gesuiti di Parigi, e di Roma nell' atto „ di lasciar loro la propria Libreria, per altro molto „ superiore alla mia. E avvertasi, che in tal caso io „ non voglio, che i detti Padri sieno altro che semplici conservatori, e depositarj de' miei libri per via di

„ Strumento di ficurezza, e fenza sborfo alcuno di dana„ ro per parte mia. Non volendola poi quefti nel termi„ ne di mezzo anno, effa paffi coi medefimi obblighi „ al Capitolo *della Città del Friuli*, con quefto che fi „ mettano i libri a parte in una Stanza fatta a pofta, „ vicino al loro Archivio, da tenerfi in egual gelofia: „ ed effendovi qualche Canonico capace, nativo di San „ Daniele, quefti fia preferito nella carica di cuftode." Diem fupremum obiit Vir præclariffimus anno 1736. die 17. Aprilis. Vitæ ejus compendium confule, quod proftat Tomo XV. Opufculorum collectionis, quem anno 1737. typis vulgavit Clarifs. D. Angelus Calogerà Monachus Camaldulenfis.

VI. *Cœnobium ejusdem Congregationis Afumnis erigendum jubet Supremis Tabulis Aloyfius Girardus Patricius Venetus.*

Fundatio fequitur Cœnobii, quod in Civitate *Portus-Naonis* erectum eft in eadem *Forijulii* Provincia. Originem profero. Aloyfius Girardus, communi mortalium fato fibi inftante, prole orbus, quæ Patriciam inter Venetas Familiam fervaret, propagaretque, infigne propenfi erga nos, nihil omnino cogitantes, animi teftimonium relinquere voluit, hæreditatis parte ad Ecclefiæ, Cœnobiique erectionem fub nuncupatione *Rofarii* legata. Scriptæ funt fupremæ voluntatis Tabulæ a *Raphaële Todefchino Notario anno M. DC. LXXXV. die XXIX. Octobris*: ipfæque poft obitum Munificentiffimi Teftatoris *die VII.* infequentis *Novembris* coram palamque, ut fieri folet, fignificatæ.

Teftamenti verba latine reddita hæc funt: *Annuum proventum Mille ac Ducentum Ducatorum legatum volo Fratribus Dominicanis Cœnobium incolentibus, quod olim Venetiis fpectabat ad Jefuatos, ut erigi primo loco debeat Monafterium fub nuncupatione Rofarii omnibus numeris abfolutum, ac deinceps decem quotidie Miffas pro anima mea ac parentum offerre teneantur Sacerdotes Alumni*. Præcipuos ultimæ voluntatis Adminiftros conftituerat Girardus Confodales *Rofarii*, qui Deiparæ Sacellum ad *Sanctorum Joannis & Pauli* Ædem fub eadem nuncupatione tenent. Ab his legatum obtinuere Majores noftri, traditis, acceptisque cenfibus, qui prædictum annuum proventum tuto redderent.

VII. *Sacillana fundatio in irritum cedit. Origo Dominicani Gynecei in eodem Sacili loco.*

De loco feligendo confilium habuit *Antoninus a S. Catharina*, Præfectus Congregationi: placebatque Civitas *Sacili*, quæ inter duos Liquentiæ ramos media, fitus amœ-

amœnitate, ſi quis alius in *Forijulii* Provincia, locus, ſingularis eſt. Inter Diœceſes Concordienſem, & Ceneteníem jacet: Diœceſani tamen Metropolitæ Aquilejenſis juri ſubeſt. Hac de re ſpecioſa mentio occurrit in Tabulis Bertoldi Patriarchæ Aquilejenſis datis *anno M. CC. XLIX. die ſecundo intrante Novembri Indictione ſeptima*, quæ inter Monumenta Eccleſiæ Aquilejenſis vulgatæ leguntur Capite XLVIII. num. V. Hæc in illis habentur: " Temporibus illis, quibus Vir Illuſtris bo-
„ næ memoriæ Dux Henricus, qui licet de genere fuiſ-
„ ſet Alemannorum, nobili ſtirpe genitus, tunc tempo-
„ ris dominabatur in partibus iſtis circa Liquentiæ flu-
„ men, pro remedio animæ ſuæ in Sacilo ad honorem
„ B. Nycholai Glorioſi Confeſſoris & Epiſcopi dictam
„ Eccleſiam inter fines Diœceſis Concordienſis & Cene-
„ tenſis fundavit; ſperans ibi tunc & per ſubſequens
„ tempus, vita comite, Oppidum ſeu Munitionem con-
„ ſtruere laudabilem, quæ ſuo nomini gloriam & Ma-
„ gnificentiæ ſuæ redderet incrementum .... His itaque
„ S. Nycholai prædictam Eccleſiam de Sacilo prædiis,
„ poſſeſſionibus, & Territoriis, ſervis, & quartiſiis do-
„ tatam prædictis, idem Vir Illuſtris Dux memoratus
„ Henricus cum omnibus ejusdem exemptionibus, ho-
„ noribus, atque juribus, cunctisque poſſeſſionibus, au-
„ ctoritate Summi Pontificis, Eccleſiæ Aquilejenſi ſup-
„ poſuit. " Quis ille fuerit *Henricus*, non ita certum. Conjecimus vero in Monumentis Eccleſiæ Aquilejenſis loco citato, Henricum eſſe, dictum etiam *Hunrocum*, Filium *Eberardi Ducis Forijulii*, Fratremque *Berengarii* poſtea Regis Italiæ, ac etiam Imperatoris.

In hocce loco, quem ſatis aptum commodumque exiſtimabant alumni Congregationis, novi Cœnobii erectionem perficiundam optabant Civium humaniſſimorum plures, curabatque præ Cæteris *Vincentius Vandus*, multa pollens inter ſuos auctoritate. Conſilium *anno 1686. die 24. Martii* convocatum eſt, Præſide *Franciſco Diedo* Patricio Veneto loci Prætore, & aſſidentibus *Antonio Bartolino*, & *Paulo Pelizza* Proviſoribus; in eoque litteræ *Antonini a S. Catharina*, Congregationi Præfecti, coram lectæ, ejusque & Conſodalium vota expoſita: necnon ſpiritales fructus uberes ſerio expenſi, novorum incolarum laboribus certo colligendi. In unam ſententiam omnium

cal-

calculis itum eſt: excipi in Oppido Fratres noſtros debere. Servantur publicæ voluntatis Tabulæ anno, Menſe, ac die prædictis conſignatæ, conſcriptæque ab *Antonio Ovio*, *Magnificæ Communitatis Civitatis Sacili Cancellario*. Negotium propediem perficiundum difficultates ab aliis interpoſitæ ſuſpenderunt: redditoque grati erga Cives benevolos animi teſtimonio, ad alium ſeligendum locum Majorum noſtrorum curæ converſæ ſunt.

Sororum Ordinis noſtri Gynæcei, quod eadem in Civitate floret, pandere liceat originem. Hæc ad annum 1677. ſpectat. Tabulæ præſto ſunt, quæ rem totam patefaciunt. Incipiunt vero: *Joannes Miſeratione divina Tit. SS. Viti & Modeſti S. R. E. Presbyter Cardinalis Delphinus Patriarcha Aquilejenſis, necnon Judex Commiſſarius & Exequutor Apoſtolicus ad infraſcripta deputatus, Dilectis nobis in Chriſto Nobilibus Prudentibus Piiſque Viris, Univerſitati & hominibus Terræ Sacili hujus noſtræ Aquilejenſis Diœceſis, Salutem in Domino Sempiternam.* Sequitur Libellus ſupplex, quem Sacilani Cives Purpuratis Patribus, *Negotiis & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitis* obtulere: tum ab eiſdem facta Cardinali Delfino Patriarchæ facultas rem exequendi. Ita vero ſibi commiſſum executioni negotium mandari, jubet ille: " Nos igitur Joannes Cardinalis & Patriarcha, „ necnon Judex & Commiſſarius prædictus, ad muneris „ Nobis ut ſupra injuncti exequutionem procedendo; „ cum in Terra veſtra Sacili, quæ ſatis ampla & numeroſo populo referta rerumque ad humanæ vitæ ſuſtentationem neceſſariarum ferax exiſtit, nullum Monaſterium Monialium hactenus erectum reperiatur: & cum „ uſque de anno M. DC. XXVIII. una pia ac religioſa „ illius Terræ perſona in ejus ultima Diſpoſitione legaverit Scuta DCCC. Monetæ Romanæ in cauſam erectionis unius Sanctimonialium Monaſterii in prædicta „ veſtra Terra: quod etiam ab aliis itidem piis ac religioſis perſonis ſucceſſivo temporis ordine in ultimis earum „ Voluntatibus ſummopere auctum eſt, itaut Vos Zelo „ Religionis ducti principium Fabricæ loci ad formam „ Monaſterii aggredi non deſtitiſtis, quæ plurium annorum curſu Deo adjuvante in loco hujuſmodi Terræ decenti, commodo, & opportuno, ac a viis publicis remoto de præſenti ad optatum finem pro commoda Duo-

„ de-

„ decim saltem Monialium habitatione cum Ecclesia, „ Campanili, Choro, Sacristia, Cellis, Membris, Officinis, ac pro hortis, spatiis necessariis ac opportunis, „ convenientique Clausura, & loco etiam decenti & commodo pro Novitiis, & aliis Cellis construendis, recipiendis, supellectilique tam sacra quam profana .... „ redacta est cum eidem Monasterio redituum Scutorum „ CCCC. Monetæ Romanæ vere & effective per Vos „ facta assignatione; ad majorem Omnipotentis Dei gloriam Divini cultus incrementum, vestræ Terræ decorem & venustatem, necnon pro spirituali Filiarum Religionis Zelo ductarum & Virginitatem suam Altissimo animarum Sponso sub Sacro Religionis jugo in „ odorem suavitatis dicare cupientium consolatione, petitam per vos erectionem & institutionem Monasterii „ sub Regula S. Dominici, & invocatione seu denominatione S. Antonii Abbatis, ac sub jurisdictione Ordinaria Patriarchali Aquilejensi, auctoritate Apostolica „ qua fungimur in hac parte, benigne declaramus seu „ verius nostrarum tenore præsentium Monasterium prædictum perpetuo erigimus cum præfixione duodecim „ Monialium Choralium; quarum octo jam destinatæ „ dotem Scutorum biscentum septuaginta, aliæ duæ Forenses itidem destinatæ Scutorum quatuorcentum septuaginta, aliæ vero usque ad prædictum numerum „ duodecim, si sint ejusdem loci, Scutorum Tercentum, „ si Forenses Quatuorcentum; Conversæ autem, quæ „ duæ tantum esse debent, Scuta Centum Monetæ Romanæ persolvant: quæ quidem primæ dotes ad favorem ejusdem Monasterii integræ reinvestiantur, omnesque habitum per Moniales aliorum Monasteriorum „ dicti Ordinis gestari solitum suscipere, & elapso probationis anno professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere, necnon perpetuam Clausuram „ & quoad fieri poterit mores & consuetudines ac regulare Institutum dicti Ordinis servare, divinisque laudibus & officiis insistere; necnon sub cura & gubernio, regimine & administratione, visitatione, correctione, superioritate, & omnimoda jurisdictione nostra Ordinaria Patriarchali Aquilejensi & Successorum „ nostrorum vivere debeant & teneantur: illique sic erecto & instituto Monasterio pro illius dote & Fabricæ „ Mo-

„ Monialiumque pro tempore existentium manutentione, „ bona, frumenta, & census eidem Fabricæ ut præfatur ad prædictum effectum elargita, relicta, & donata cum dotibus dictarum Monialium pro tempore defunctarum, & quævis alia per prædictos seu alios Christifideles in perpetuum vel ad tempus, ad simul vel successive augmentum bonorum ac dotis dicti Monasterii quandocumque vel qualitercumque elargienda, relinquenda, donanda, ac eroganda ex nunc pro tunc postquam illa elargita, donata, relicta, legata, & erogata fuerint; itaquod liceat Abbatissæ seu Priorissæ ac Monialibus prædictis, illorum omnium corporalem, realem, & actualem possessionem, per se vel alium seu alios nomine Monasterii ut præfatur erecti & instituti, propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, arrondare; necnon fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, ac emolumenta ex eis provenientia, ac oblationes & eleemosynas eidem Monasterio illiusque Abbatissæ seu Priorissæ & Monialibus pro tempore elargitas recipere, colligere, levare, percipere, & recuperare, ac in Monasterii prædicti Communes usus, utilitatem, & necessitatem convertere; perpetuo concedimus & assignamus, cum omnibus & singulis privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, præeminentiis, favoribus, concessionibus, indultis, Indulgentiis etiam plenariis, & peccatorum remissionibus, cæterisque gratiis universis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibusvis Monasteriis dicti ordinis illorumque Abbatissis seu Priorissis Monialibusque ac personis & Christifidelibus earumdem Ecclesias visitantibus, in genere & in specie & per viam simplicis communicationis ac alias quomodolibet tam concessis quam pro tempore concedendis, & in omnibus ac per omnia juxta ea quæ circa novorum Monasteriorum Sanctimonialium erectiones præscripta sunt. In cujus rei fidem & testimonium præsentes nostras per Cancellarium nostrum Patriarchalem infrascriptum dari mandavimus, & Sigilli nostri Patriarchalis quo in similibus utimur jussimus & fecimus appensione communiri. Datum in Ecclesia Parochiali S. Nicolai de Sacilo Aquilejensis Diœcesis die

„ Do-

„ Dominico XIV. Menſis Novembris Indictione XV. Anno Domini M. DC. LXXVII. Pontificatus vero SS. in Chriſto Patris & D. noſtri D. Innocentii divina Providentia Pape XI. anno ejus ſecundo. Thomas Fabricius Cancellarius Patriarchalis Aquilejenſis. “

VIII. *De Cœnobio erigendo agitur in Civitatibus Portus-Naonis, & Baſſani. Priore in loco excitantur Noſtrates Multiplicis Cardinalium S. R. E. Congregationis origo.*

Sacilana fundatione in irritum cadente, Civitas *Portus-Naonis* in Provincia Forijulii delecta eſt, *qua torquet Naucellus aquas, ac gurgite flexo raptus, in Adriacos currit ſine nomine fluctus*, ut canit in Encomiaſtico I. ad Federicum Imperatorem, & Maximilianum Regem Quinctus Æmilianus Cimbriacus apud Freherum Tomo II. Scriptorum Germaniæ. Loco famam varia poſt Carolingos Principes regimina pepererunt, Regum Germaniæ & Imperatorum, Patriarcharum Aquilejenſium, Ducum Carinthiæ, Regum Boemiæ, Archiducum Auſtriæ, ac demum Venetæ Majeſtatis. *Sacras* etiam *lauros* ibidem ab Imperatore Federico III. ſibi *traditas* teſtatur idem Æmilianus. Is eſt Jo: Stefanus Emilianus Vicentinus, qui se pro more ſeculi *Quinctum Æmilianum Cimbriacum* nuncupavit. Litteras humaniores docuit in Civitate *Forijulii*, ac *Portus-Naonis*, & in Oppido *S. Danielis*. In Civitate *Forijulii* fato communi ceſſit, tumuloque datus fuit ad *S. Franciſci* Ordinis Minorum, quos vocant Conventuales. Utini floruit ejus familia, noſtraque ætate finem habuit. Hæc habet omnia Codex MS. Familiarum Utinenſium apud Comites Pitianos *S. Danielis*.

Suæ Civitatis prælationem Cives humaniſſimi gratiſſimam habuere: vocatique in Cœtum *anno M. DC. XC. die II. Junii*, conſenſum præſtitere, Actis conſcriptis, conſignatisque a *Julio Savino Cancellario Magnificæ Communitatis Portus-Naonis*. Votis utriusque partis Veneti Senatus acceſſit conſultum *Die V.* inſequentis *Julii Menſis*. Petitam etiam Eccleſiaſticam facultatem, prævia *Joannis Delfini* S. R. E. Cardinalis, & Patriarchæ Aquilejenſis inſtructione, *anno* inſequente *M. DC. XCI. die IX. Auguſti* largita eſt Sacra Congregatio. Reſcripti verba ſunt: “ Sacra Congregatio ſuper ſtatu Regularium, attentis narratis, præſentis Decreti vigore committit & mandat Epiſcopo Concordiæ, ut poſtquam ei legitime conſtiterit de præfato Legato annuorum Ducatorum Mille & biscentum, petitam licentiam erigendi no-

„ vum Conventum, seu Domum Regularem in Oppido „ Pordenonis ejusdem Diœcesis, cum Ecclesia, Campa- „ nili, Sacristia, Choro, Claustris, Dormitorio, Refe- „ ctorio, aliisque Officinis, Hortis, & Clausura, præ- „ dictis Fratribus Conventus SS. Rosarii Venetiarum Stri- „ ctæ Observantiæ Ordinis Prædicatorum, auctoritate „ ipsius Congregationis impertiatur. " Cætera sequuntur ut in consuetis Formulis, quas alibi protulimus. *Augustinus Premulus* regimen Ecclesiæ *Concordiensis* hoc tempore tenebat: cui successit anno 1693. *Paulus Vallaresus*. Factam legimus facultatem a Congregatione *Super statu Regularium*. Hanc distinguere oportet ab alia *Negotiis & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita* sæpe memorata. Istam Sixtus V. erexerat, edita Constitutione *XI. Kal. Febr. anno Dominicæ Incarnationis M. D. LXXXVII.* idest vulgari incepto anno 1588. a Calendis Januariis. Illam instituit Innocentius X. anno 1652. idibus Octobris, quæ priori in subsidium foret, ejusdem non adempta, nec imminuta auctoritate. Vigebat adhuc, cum de Cœnobio nostro in Civitate *Portus-Naonis* erigendo agebatur: eaque ab Innocentio XII. anno 1698. die 14. Augusti extincta, Nova confirmata est vel erecta, quæ *Sacra Congregatio super Disciplina Regulari* nuncupatur.

De situ ad erigendum Cœnobium apto, quod soluto pretio emeretur, serio cogitabatur. Loca plura proposita fuere. Ædes præsertim offerebantur, quæ parvæ Ecclesiæ *S. Philippo Nerio* sacræ adjunctæ sunt, suberantque dominio Communitatis. Locus aptus visus est, in quo velut in hospitio excepti Alumni Congregationis, sacris muneribus defungi ad Instituti normam inciperent. Sed amplioris Fundi area exposcebatur, in qua Cœnobium strueretur. Magno pretio stabant Ædes prædictæ, quod imminuere, emolumentum curantes, nolebant Cives: nec solvere debuerant Fratres, utiliter sibi ac Testatori agentes. Hæc etiam fundatio propemodum in irritum cecidit. De novo siquidem erigendo Cœnobio in opulenta *Bassani* Civitate, in Diœcesi Vicentina, agi cœptum. Eo in loco ut exciperentur Fratres, anno 1695. decretum tulere Cives humanissimi: quod irritum fecere Consodales *Rosarii*, Sodalitii in Ecclesia Majori instituti translationi, quæ exposcebatur, pertinacius repugnantes.

Eo-

Eodem quo hæc agebantur cum Civibus *Baſſani* tempore, compoſita fuere cum *Portunaonenſibus* diſſidia, curante *Hieronymo de Pers*, Equite Jeroſolymitano, Viro laudatiſſimo, ac multæ in Provincia auctoritatis. Id accidit vero anno *1696.* quo regimen Congregationis tenebat *Antonius Maſſajus*. Juſto pretio Ædes emptæ, quæ adhærebant Eccleſiæ *S. Philippi Neri*, pro Fratribus in loco excipiendis: emptumque prædium, quod ad prænobilem Familiam Montereaiem ſpectabat, poſitum extra locum, ab eoque ſejunctum foſſa, per quam Fluentum decurrit, quod *Rivum* appellant. Inter Fideicommiſſaria bona prædium illud numerabatur: adeoque Principis, rigorem legis relaxantis, Indulgentia opus erat, quam Silveſter valerius Dux Venetorum conceſſam ſignificat Litteris Ducalibus, per hæc verba incipientibus: *Silveſter Valerio Dei gratia Dux Venet. univerſis & ſingulis Magiſtratibus, Juſdicentibus, cæteriſque Repreſentantibus noſtris, eorumque Miniſtris tam præſentibus quam futuris, ad quos hæ noſtræ pervenerint, & quarum executio ſpectat ſeu ſpectare poterit. Notum eſſe volumus &c.* Datæ ſunt *in Noſtro Ducali Palatio die II. Aprilis M.DC.XCVII.*

Poſſeſſionem loci *die 13. Menſis Julii* anni inſequentis adierunt Noſtrates. His excipiendis venit obviam ordine inſtructo Clericorum agmen, cum frequenti populorum turba: habuitque e ſuggeſtu elegantiſſimam orationem *Marcus-Antonius Baldaſſarius*. Facultatem jam pridem fecerat, *die* ſcilicet *IV. Julii anno M. DC. XCVII.* Paulus Vallareſſus, *Concordiæ* Antiſtes, publicas habendi confiones, confeſſiones Chriſtifidelium excipiendi, ſervandique in Eccleſia Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

IX *Templum erigitur, ac Cœnobium. Primus inſtituitur a Magiſtro Generali loci Prior.*

Nulla injecta mora, erigendo Templo, Cœnobioque admota manus: factaque imponendi primum lapidem facultas. Concordienſis Antiſtitis hac de re verba ſunt. " Expoſitum fuit Nobis parte & nomine Fratrum Prædicatorum de Obſervantia: quod ipſi in Civitate Portus-Naonis noſtræ Concordienſis Diœceſis conſtruere Eccleſiam B. Virgini Mariæ de Roſario dicandam, necnon Cœnobium pro eorum Domicilio prope dictam Eccleſiam ædificare valde peroptent juxta mentem & ultimam voluntatem q. Nobilis Viri Aloyſii Gherardi: quare humiliter ſupplicarunt, quatenus ſupradictæ conſtructioni ſeu Fabricæ noſtram præbere authorita-

„ tem dignaremur. Nos igitur hujusmodi precibus benigne inclinati, & authoritate qua in hac parte fungimur freti, tenore præsentium supradictis Fratribus Ecclesiam & Monasterium erigendi facultatem concedimus: necnon Rev. P. Vicario Generali ejusdem Ordinis licentiam impartimur, ut primum lapidem benedicere, cæterasque functiones valeat agere, quæ in hac Sacra Solemnitate a Rituali Romano præscribuntur. In quorum fidem. Dat. Portusgruarii in Palatio nostro Episcopali XVII. Junii M. DC. XCIX. P. Episcopus Concordiensis. Antonius Monsylex Vicecancellarius. " Primum itaque lapidem *die* 29. ejusdem Mensis *Junii* posuit *Jo: Albertus Tabaccus*, Præfectus Congregationi. Amplum, & elegans est Templi, ac Cœnobii ædificium: quod plurium annorum decursu, magnoque pecuniarum sumptu absolvi demum potuit.

Ad prædictum locum intercipiebat, impediebatque Civium ac populorum accessum tum pinnatus murus, quo ipsa cingebatur Civitas, tum media quædam late patens fossa cum Rivo decurrente. Hiatum demolitione muri aperiendum *die* 28. *Aprilis* 1699. permiserat Venetus Magistratus, quem vocant *alle Rason vecchie*. Civitatemque conjungi cum loco nostro necesse fuit, aggere, & ponte lateritio *anno* 1724. confectis. Absolutum, completumque Templum consuetæ benedictionis formula *Georgius Modinò* Congregationi Præfectus *anno* 1728. *die* 2. *Junii* initiavit, adsignavitque ad usum divinum: *dieque 6. ejusdem Mensis*, relictis Ædibus ad *Sancti Philippi*, quas numerata pecunia compararunt Savoldelli Fratres, *Veneti Oratorii* Sacerdotes, in novum Cœnobium sedem transtulerunt Nostrates, perfectionem ejusdem diligentius curaturi. Insequente *anno* 1729. Consecrationis Ecclesiæ persolvit officium *Jacobus Ericius*, ad Infulas *Concordienses* e nostra Congregatione adsumptus, *die* 25. *Quarta Dominica Septembris*. In Templi fronte Epigraphem positam legimus. *D. O. M. in honorem Deiparæ Virginis sub nuncupatione Rosarii Templum, ac Fratribus Prædicatoribus Ædes, Aloysius Gerardus Patricius Venetus Testamento fieri mandavit. Fundatori optime merenti perenne gratiæ monimentum iidem statuerunt anno M. DCC. XXXIII.*

Una

Una desiderabatur præfectura *Prioris*, qui Cœnobii regimen teneret, regeretque Fratres alumnos. Mandatum tulere Patres in Cœtu, quem anno 1735. pro more celebraverunt, in hæc verba. " Cœnobii nostri *Portus-* „ *Naonis* constructione fere ad complementum redacta, „ habitaque indubia notitia sufficientiæ proventuum, qui „ partim certi sunt, partim ex consuetis eleemosynis „ obveniunt, ad commode duodecim saltem Fratres alen- „ dos: committimus Rev. admodum P. Vicario Generali „ proxime futuro, ut si quæ supersint expensæ ad resi- „ duum supellectilis comparandum opportune factis, con- „ gruo tempore intra Præfecturæ biennium a Reveren- „ dissimo P. Magistro Generali humillime petat ejusdem „ Conventus formalem erectionem, ac primi institutio- „ nem Prioris, ut felicius regularis Disciplina in eodem „ floreat ac augeatur. " Primum itaque Generalis Magister, votis annuens, præfecit deditque Cœnobio Priorem eodem *anno* 1735. *die* 27. *Augusti*, Joannem cognomine *Vicentinum*, qui muneris demandati provinciam suscepit *die* 31. insequentis *Octobris*. Marmoreas aras in Sacello majore, & ad latera Templi erigere pergunt Fratres.

CAPUT XXV.

Abdicant se alumni Congregationis jure suffragii in Comitiis Provinciæ. Adfiliationes quoque Fratrum sublatæ. Abdicatio Graduum, ut vocant. Apostolicum Clementis XI. diploma.

CUm in dies, aucto Cœnobiorum numero, Congregatio nostra, Deo dante incrementa amplificaretur, simul etiam strenuam navabant operam Alumni, ut firmiores radices ageret Disciplina regularis tot impendio laborum reparata, ac impedimenta procul arcerentur, quæ lædere florem ejusdem possent. Jus nobis inerat ferendi suffragii in Comitiis Provincialibus: ad eosque biennales Provinciæ cœtus accedebant Nostrates, sive qui Cœnobia regebant *Priores*, sive qui *gradibus* honorum decorati jure suffragii potiebantur. Eo nos potiebamur

I. *Jus ferendi suffragii in Comitiis Provincialibus abdicatur.*

mur jure, quod Congregationem erigere, non avulsam a Provincia, sed Præfecto Provinciæ subjectam, placuit libuitque Magistro Generali *Jo: Baptistæ de Marinis*. Timor ergo alumnis Provinciæ insederat, ne crescente Suffragatorum numero, potentior aliquando fieret pars nostra: adeoque sibi rebusque suis consulentes ipsi, *Magistrorum* institutioni intercedere cœperunt, qui pro meritis e Congregatione proponebantur. Minus æquum, ut videbatur, commovit animos consilium: quod etiam juris hujusce suffragia ferendi in Comitiis Provinciæ abdicationem suasit. Accedebant incommoda plura, quæ vel futura timeri poterant, vel jam inlata ægerrime ferebantur: erantque inter Congregationis alumnos, qui aut ambitu victi, aut ingenii ducti levitate, in partes trahebantur, nimio Regularis Disciplinæ detrimento; quod omnino tolli, aut procul arceri debuerat.

Rei momentum diligentius excussum in Cœtu, anno *1692*. Præside *Joanne Olivato* celebrato: decretumque omnium calculis, ut jus ferendi Suffragii in Comitiis Provinciæ abdicaretur. Petitio facta, ut Generalis Ordinis Magister *acceptare dignetur renunciationem vocis activæ in Capitulo Provinciali: quam tenore præsentium*, (inquiebant Majores nostri,) *& unanimi consensu facimus pro tota Congregatione: itaut deinceps nullus quomodolibet ad eamdem Congregationem pertinens, vocem habeat activam in dicto Capitulo*.

Abdicationis examen distulit *Antoninus Cloche* peragendum in Generalibus *Provincialium* Comitiis, quæ fuerant ad annum 1694 indicta. Votis vero nostris factum satis. Id ipse litteris denunciavit eodem anno 1694 *die III. Julii* datis, antequam typis Acta Comitiorum prodirent. Verba sunt: " Cum nondum Acta nuperrimi Capituli Generalis prelo mandata sint; tamen quædam, „ quæ proposita in eodem fuere pro bono regimine Congregationis nostræ B. Jacobi Venetiarum & in eodem „ Capitulo statuta, in antecessum eidem Congregationi „ significanda decrevimus .... Ad petitionem ejusdem „ Congregationis, & assentiente etiam Patre Provinciali „ Provinciæ Venetiarum, communi omnium Patrum „ voto constitutum est: quod renunciatio, quam Patres „ Congregationis libere & sponte faciunt tam pro se, „ quam pro suis Successoribus, non accedendi amplius

„ ad

„ ad Capitulum Provinciale Provinciæ S. Dominici Venetiarum, de facto, realiter, & cum effectu acceptata „ est; itaut de cætero Patres Congregationis, sive sint „ Priores, sive Prædicatores Generales, ad Capitulum „ Provinciale, sive sit electionis, sive non, nullum jus „ habeant accedendi: nec possint, si accedant, voce activa potiri: & hoc sub pœna nullitatis Actorum; cesserunt quippe juri suo, & hoc Capitulum Generale „ eorum cessionem acceptavit." Mentio nulla *Magistrorum* inter Priores, Prædicatoresque Generales habetur, quod e Congregatione nemo hactenus, renitentibus Provinciæ Alumnis, gradum illum obtinuerit. Juris ejusdem abdicationem ratam habuit, firmamque Clemens Papa XI. edito Diplomate, quod infra recensendum est.

Factam hocce tempore Congregationi, quam sub nuncupatione *S. Sabinæ* in Provincia Lombardiæ anno *1695.* erexit Innocentius XII. ea conditione in Ordinem cooptandi juvenes facultatem resciverunt Nostrates, ut Fratrum *adfiliationibus*, queis singuli singulis adscribi Cœnobiis solent, omnino sublatis, nomine duntaxat ipsius Congregationis imposterum sacra vota emitterent, qui nomen Ordini darent. Consilium summopere placebat, quo plurium submovebatur malorum causa, quæ oriri ex hujusmodi adfiliationibus facile poterant: eaque simplicissima inducebatur vitæ ratio, quam florentibus instituti Prædicatorum Ordinis temporibus Majores nostri constantissime coluerunt. Similem & ipsi, bono communi prospicientes, facultatem postularunt: eamque nullo negotio obtinuere *anno M. DC. XCVII. die XVIII. Junii* ab ea Purpuratorum Patrum Congregatione, quam *super Statu Regularium* Innocentius X. instituerat. II.

Adfiliationes Fratrum, ut vocant, sublatæ.

Memorata Congregatione anno insequente extincta, aliam erexerit Innocentius XII. quam *super Disciplina Regulari* nuncupavit. Hujusce Decretum *anno M. DCC. die VII. Januarii* latum est, promulgatumque: quo *omnes & quæcumque antiquæ licentiæ, recipiendi ad habitum, & admittendi ad professionem Novitios, non ab eadem Sacra Congregatione* (nuper instituta) *concessæ, revocatæ sunt*, ac irritæ factæ. Si quæ vero petebantur recipiendi juvenes ad habitum facultates, non alia conditione eas impertiebatur nova Congregatio, nisi quod *Congregationis nomine in communi* vota Religionis ipsi nun-

nuncuparent. Hinc demum celebrato Patrum Cœtu anno 1701. sancitum fuit, ut *adfiliationes* imposterum de medio tollerentur: si quidve in hocce genere perverse actum foret, ad eamdem normam reduceretur.

Vitam ergo absque ullo *Adfiliationis* jure ducimus in Congregatione, nulli addicti loco, aut Cœnobio. Conventus incolimus, sive mediocres, sive ampliores, in Urbibus, aut Oppidis, aut Pagis positos, quos Præfectus Congregationi singulis designat, mandatis ejus, quæ pro conditione & idoneitate alumnorum temperantur, prona voluntate obsequentes. Communi bono addicti, pari studio emolumenta hujusce, vel alterius loci curamus, ubi nos degere contingit: deque rebus omnibus necessariis ubique pari providentia instructi, singulas omnesque perinde stationes gratas habemus. Faxit Deus, ut hanc vitæ rationem, quam novimus antiquis Majorum nostrorum moribus consentaneam, ac Regulari proficuam Disciplinæ, jugiter perseverantes custodiamus.

III. *Gradus Magisterii, cæterique omnes abdicati.*

Majoris momenti negotium censebatur abdicatio *Gradum*, quos vocamus: neque una Alumnis Congregationis opinio insederat. Ab initio reparatæ Disciplinæ postulari consueverat pro Viris emeritis *Magisterii* gradus. Magistrorum quippe sæpe mentio occurrebat in Statutis Collegii, quæ tulerat scripseratque *Jo: Baptista de Marinis*: tituli quoque apud nos vigebant *Regentis*, *Baccalaurei*, *Magistri Studentum*, *Lectoris*, qui omnes ad Magisterium viam parabant: pluresque demum *Prædicatores*, quos *Generales* appellamus, absque ulla difficultate instituti jam fuerant. Hisce permoti argumentis Patres, in Diæta, Præside Leonardo Peresio, celebrata anno 1690. congregati, preces enixas Antonino Cloche obtulere: ut *eos ad Magisterium promoveret, qui omnia Scholæ munia usque ad integram Regentiam* (sic ipsi loquebantur) *in Collegio nostro explevissent, ut hac ratione remuneratio daretur juxta nostras Constitutiones laborantibus in Scholæ officiis.*

Redditis ab Generali Magistro litteris eodem *anno die IX. Decembris*, significatum est: hujusce rei diligentiorem discussionem ad proxime futura Provinciæ Comitia dilata: interim vero justum & æquum judicari, ut *qui officium Regentis per quadriennium expleverint, debeant ubique* loci præcedentia, aliisque privilegiis *gaudere, quibus*

bus gaudent Prædicatores Generales, excepta voce activa in Capitulis Provincialibus; & censeantur Patres a Consiliis totius Congregationis, itaut in Diætis intervenire debeant, & sedere juxta præcedentiam quam servant in Choro. Post biennium Comitia Provinciæ celebrata sunt: in eisque negotium propositum, libratumque examine. Septem *Definitorum* sententia fuit, Congregationis Alumnos qui Studiorum labores pro dignitate sustinuissent, gradu *Magisterii* decorandos fore: id minime expedire Provinciæ bono, decem alii pronunciarunt.

Satis ergo Alumnorum Provinciæ mens innotescebat. Nihil ergo hæsitantes, abdicarunt sese Nostrates in Cœtu anno 1692. coacto jure suffragii in Comitiis Provinciæ ferendi: simulque Generalis Magistri æquitatem in negotio *Magisterii* exquisierunt. Id esse differendum ad Comitia Generalia, rescripsit ille datis eodem anno Litteris *die XXXI. Maii*. Hæc anno 1694. habita fuere. Oblatus Libellus supplex in hæc verba: *Obtemperantes mandatis Paternitatis suæ Reverendissimæ emanatis die* 31. *Maii M. DC. XCII. in confirmatione Diætæ præteritæ, quibus nobis commissum fuit, ut petitionem nostram in aliis Diætis factam pro gradu Magisterii mittere deberemus ad Capitulum Generale; suppliciter petimus & rogamus Paternitatem suam Reverendissimam, ut pro sua benignitate & æquitate promovere dignetur ad gradum Magisterii* (Petrum-Martyrem Bertagnam, Thomam-Antonium Massajum, & Hyacinthum Bigontinam, statutis a lege conditionibus instructos:) *ac etiam taxare dignetur numerum Magistrorum pro Congregatione*. Latum in Generalibus Comitiis decretum, litteris *die III. Julii* datis, antequam Acta prelo mandarentur, accepimus petitioni votisque adversum. " Unanimi Patrum voto (verba Decreti sunt) " statutum est gradus Magisterii in Congregationem minime fore introducendos: sed uti primitus fundata est, hoc " est absque gradu Magisterii, eam manuteneri debere, " ut in Observantia Fratres Deo famulantes, absque " hoc honoris gradu sicut educati & enutriti sunt, perseverent. "

Comitiorum, ac Magistri Generalis eo quo par est obsequio excipientes judicium Alumni Congregationis, rem accuratissimo subjiciendam examini putarunt: num expediret, gradu *Magisterii* abstinere, simulque titulos

alios honorum retinere a primordio Congregationis apud nos vigentes, gradumque permittere *Prædicatorum Generalium* plerisque jam conlatum. Penitiores cœperunt scrutari negotii stirpes; aliarum etiam in Italia Congregationum, & Provinciæ *Tolosanæ* exempla animadvertere; itemque Majorum nostrorum in memoriam redigere dictaque, factaque; & incommoda conferre cum emolumentis, ut peremptoria demum deliberatio fieret. Sub oculos versabantur Congregationes duæ, *Sancti Marci*, & *Sanctæ Sabinæ*, anno 1695. ab Innocentio XII. recens institutæ: quarum Alumni *Gradus* omnes eliminatos voluerunt. Florebant studia in Celeberrima Provincia *Tolosana*, probatissimis Doctissimisque Viris referta; quin stimulus foret graduum & honorum, qui pro mercede præmioque laborum proponerentur. Gradus etiam recusarunt, licet emeriti, *Bernardinus Gosellinus*, & *Basilius Pica*: quorum alter Disciplinam Regularem in Provincia Veneta prostratam primus erexit, erectam amplificavit alter. Accedebat, primis post Ordinis institutionem seculis, Titulos quidem muneris, aut officii post munera expleta deponendos, minime Gradus cum privilegiis, in usu fuisse: adeoque instauratæ primævæ Disciplinæ cultoribus mores antiquos maxime convenire. Majora denique emolumentis noscebantur incommoda: illaque obtineri, Gradibus etiam abdicatis, facile poterant: hæc vero difficillime impediri posse, Gradibus retentis.

Hæc aliaque rationum momenta suadebant, ut opus *abdicationis* perficeretur. Celso, erectoque animo rem aggredi voluit *Jo: Albertus Tabaccus*, qui anno 1699. præfecturam Congregationis capessiverat. Eodem anno cum pro more Cœnobia lustraret, singulis in locis Alumnorum cœtus convocavit: omniumque suffragiis, si paucos excipias, abdicationem animo conceptam magna lætitia probatam vidit. Venetias ad Collegium *SS. Rosarii* redux, de scribendo Libello supplici statim egit. Sequens formula cunctis arrisit. " Reverendissime Pater. Nos in-
" frascripti Patres Congregationis B. Jacobi Salomonii
" Ord. Præd. considerantes ejusdem Congregationis sta-
" tum feliciorem evasurum, si Gradibus quibuscumque
" & Privilegiis abdicatis, ad simplicitatis & religiosæ
" humilitatis semitam regularis vita reduceretur; una-
" nimiter censemus, Paternitati suæ Reverendissimæ hu-

" mil-

„ millimas ſupplicationes noſtras porrigere, ut acceptare dignetur quam præſentium tenore ſponte ac libere „ facimus, renunciationem Graduum omnium & Privilegiorum permanentium pro tota ipſa Congregatione. „ Sic enim ſublatos credimus ambitionis aut invidiæ ſtimulos, Studiorum exercitiis de idoneis Lectoribus & „ Studentibus ſatis proviſum, omniaque ſemota humanitatis impedimenta, ut aptiores ſacræ Prædicationis „ munus libenter ſuſcipiant. Quare humiliter rogamus „ Paternitatem ſuam Reverendiſſimam, ſtatuere, ſuaque „ auctoritate decernere: hac in Congregatione nec de „ præſenti, nec impoſterum vigere vel reperiri poſſe titulos Sacræ Theologiæ Magiſtri, Regentis, Baccalaurei, Magiſtri Studentium, & Prædicatoris Generalis: „ nullaſque Præcedentias amplius ſubſiſtere, ſed omnes „ & ſingulos locum ſuæ profeſſionis poſt Subpriorem ubique tenere: ac uniformiter ſimplici nomine vocari & „ denominari, ſolo ſui Officii addito quod actualiter „ exercent, quo expleto vocentur & nominentur, ut „ prius. Nulli unquam ſuffragari poſſit privilegium mittendi aut recipiendi litteras abſque Superiorum præviſione & lectione: ſicuti & ab Hebdomadariæ onere „ nullus ſit exemptus. Quas leges pariter, ſtatim ac „ promulgatæ fuerint, omnes quocumque titulo ea in „ Congregatione degentes ſubire teneantur; quandiu in „ ejus Conventibus eos commorari contigerit. “ Alia quædam ab Generali Magiſtro ferenda poſtremo loco ſtatuta proponebantur, quæ Studiorum florem, & incrementa ſpectabant, ac legitimam biennalis Diætæ celebrationem.

Romam *Andreas Tronus*, & *Daniel Danielius* miſſi ſunt, negotium peracturi. Difficultatibus, quæ proferebantur, feliciſſime expeditis, rem ipſi ad exitum pro voto Congregationis perduxerunt. Abdicationem *graduum* admiſit, adprobavitque *Antoninus Cloche*, deditque litteras in hæc verba: “ Nos F. Antoninus Cloche S. Th. „ Profeſſor ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & Servus. Exigit officii noſtri ratio, „ ut in vota Patrum Provinciarum & Congregationum „ aliquando deſcendamus, eorumque precibus inclinemur. Quare cum Reverendus admodum Pater Vicarius Generalis, cæterique Reverendi Patres Congrega-

„ tionis nostræ B. Jacobi Venetiarum , Libello supplici
„ nobis exposuerint : se vehementer optare , Gradibus
„ omnibus seu Magistri, seu Baccalaurei , seu Prædica-
„ toris Generalis, eorumque titulis, juribus, cæterisque
„ omnibus præeminentiis renunciare a Constitutionibus
„ nostris concessis; eorum petitionibus paterna providen-
„ tia annuentes, tenore præsentium nostrique auctorita-
„ te officii acceptamus Rev. admodum Patris Vicarii Ge-
„ neralis, aliorumque Patrum spontaneam abdicationem
„ Graduum omnium ab iis factam . Statuimus imposte-
„ rum, quod nulli in ea Congregatione assumantur vel
„ admittantur tituli Theologiæ Magistri, Regentis, Bac-
„ calaurei , Magistri Studentum , Prædicatoris Genera-
„ lis : quod nulla futura sit unquam quomodocumque
„ præeminentia, sed omnes & singuli post Suppriorem
„ sua loca sumant , & ordinem juxta professionis anti-
„ quitatem ubique teneant : nullumque titulum usurpa-
„ re audeant, nisi duntaxat Officii quod actualiter exer-
„ cent , quo Officio expleto nullum nisi qui simplici
„ Religioso convenit , titulum habeant : nullum etiam
„ privilegium mittendi , vel recipiendi , vel legendi lit-
„ teras habeant, nisi accepta a Superiori licentia : nul-
„ lam exemptionem a sequela Chori, aut ab onere Heb-
„ domadarii, sed omnimoda æqualitas ac uniformitas ab
„ omnibus & quoad omnia servetur; eosque sola in Re-
„ ligione antiquitas professionis distinguat ..... Atque
„ hæc omnia a nobis jam constituta vim omnem in per-
„ petuum ut habeant in Congregatione Venetiarum vo-
„ lumus ac mandamus, usquedum a Generali Capitulo
„ approbentur & confirmentur: iisque auctoritatis nostræ
„ robur addimus, præcipientes omnibus ad eamdem Con-
„ gregationem pertinentibus sub pœna privationis vocis
„ activæ & passivæ, & pœnis positivis inobedientibus se-
„ cundum Constitutiones nostras debitis, ut ea excipiant
„ seseque iis subjiciant : Prohibentes insuper , ne quis
„ unquam Vicarius Generalis , aut ulla etiam Diæta in
„ his quidquam immutare vel minuere respective possit,
„ non obstantibus in contrarium quibuscumque. In no-
„ mine Patris &c. In quorum fidem . Datum Romæ in
„ Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die VIII.
„ Aprilis M. DCC. F. Antoninus Cloche Magister Ordinis.
„ Reg. fol. 10. F. Aloysius de Barutel Magister & Socius. “

Non-

IV.
Eadem abdicatio Graduum Apostolico Diplomate munitur.

Nondum videbatur postrema negotio admota manus, donec Apostolicæ auctoritatis munimen accederet, quo prædicta *Graduum abdicatio* firma imposterum consisteret, & inconcussa. Perennem attulit firmitatem Diploma Sedis Apostolicæ. Verba sunt: " Clemens Papa XI.
" ad futuram rei memoriam. Exponi Nobis nuper fecerunt Dilecti Filii, Vicarius Generalis (*is erat Daniel Danielius*) & Fratres Congregationis Observantis B. Jacobi Venetiarum Ordinis Prædicatorum: quod ipsi ad Regularem disciplinam in dicta eorum Congregatione promovendam, & sublatis omnibus obstaculis perpetuo-stabiliendam, omnibus Gradibus, præcedentiis, & privilegiis personalibus, quorum usus in eam introductus reperiebatur, sponte renunciarunt ad hoc ut Religiosi, omni ambitiosa æmulatione & temporalis retributionis expectatione remotis, litterarum studiis & Verbi Dei prædicationi, gloriam Dei & spiritualem Christifidelium utilitatem sibi tantum proponentes, vacent ad imitationem & exemplum Provinciæ Tolosanæ, ac Congregationum S. Sabinæ, & S. Marci ejusdem Ordinis: ac Dilectus etiam Filius Antoninus Cloche Magister Generalis dicti Ordinis renunciationem & abdicationem hujusmodi acceptavit, & nonnulla statuit circa honorum titulos, præeminentias, exemptiones, & privilegia in prædicta Congregatione nulli imposterum competitura, ac omnimodam inter omnes æqualitatem servandam, & alia prout uberius continetur in ipsius Antonini Magistri Generalis Decreto desuper edito, tenoris qui sequitur. (*Litteræ superius descriptæ inseruntur.*) Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat & servetur exactius, Apostolicæ Confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desiderent; Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes & absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis

" su-

„ ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium & Dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper Diſciplina Regulari ſpecialiter deputatorum conſilio, Decretum præinſertum auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus & approbamus: illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes & ſingulos juris & facti ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint ſupplemus; ſalva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium & Prælatorum. Decernentes easdem præſentes Litteras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuosque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab illis ab quos ſpectat & pro tempore quomodocumque ſpectabit in omnibus & per omnia inviolabiliter obſervari: ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos & Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari & definiri debere, ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac quatenus opus ſit Congregationis & Ordinis Prædicatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolica, & alia quavis firmitate roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis & de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXI. Octobris M. DCC. I. Pontificatus noſtri anno primo. F. Oliverius. “

CAPUT XXVI.

Cœnobia duo, Ajellense in Comitatu Gradiscano, & Cormonense in Comitatu Goritiano, Provinciæ Forojuliensis.

I. *Cœnobium erigi in pago Ajelli, supremis Tabulis jubet. Bartholomæus de Frumentinis.*

CŒnobia duo sequuntur, quæ Tabulis Testamentariis erigenda legaverunt probatissimi Viri Nobiles, *Bartholomæus de Frumentinis*, & *Jo: Andreas Locatellus*, in pago *Ajelli* primum, alterum in Oppido *Cormoni*, utrumque in Diœcesi Aquilejensi, in eaque Forojuliensis Provinciæ parte, quæ Archiducibus Austriæ paret. In *Gradiscano Comitatu Ajellum* extat, septem circiter Milliaria Italica distans Aquileja: nedum rusticis hominibus, verumetiam nobilibus, & honestæ conditionis Familiis refertum. Jure, ac Magistratu Gastaldiæ sub Aquilejensium Patriarcharum dominio donatum fuit: quod hodieque viget, servaturque sub Majestate Archiducum Austriæ. Feudi quoque titulo jurisdictionem exercet Nobilissima *Gambarorum* Familia, Brixiana origine, inter Patricias Venetas anno 1653. die 8. Junii adscripta.

Prædia plura possidebat in loco *Bartholomæus de Frumentinis*, Forijulii seu Civitatis Austriæ Patricius. Legitima prole carens, propriæ consulens animæ, spiritalibusque prospiciens emolumentis proximorum, confectis signatisque Tabulis testamentariis *anno M. DC. XCVIII. Indictione sexta, die Lunæ XV. Septembris*, Alumnis Congregationis reliquit omnia, ad erectionem Ecclesiæ, ac Cœnobii sub nuncupatione *Rosarii*. Regulari Disciplinæ addictus, quam vigere animadverterat in Cœnobiis *Forijulii*, & *Faræ*, conditionem Legato apposuit: ut *si forte contingeret, (quod absit,) novi Cœnobii Alumnos ab officiis descifcere rigidioris Disciplinæ, alii sublegi debeant quos probati mores commendent, ut Observantiæ flos in eo perennis custodiatur.*

II. *Litigia componuntur. Consuetam impertitur facultatem Sacra Congregatio: itemque Antoninus Cloche.*

Mortalitatem in Civitate Austria explevit Testator eodem anno *die III.* insequentis *Octobris*. Suprema voluntas ejus ut innotuit, universa commota Civitas est: motusque cito pervasit Utinum, Goritiam, Gradiscam, ac

ac vicina quæque loca. Coram palamque Forojulienses Fratres traducebantur veluti Testamenti auctores; notum licet compertumque foret, piam hanc dudum animo ejus insedisse mentem. Jam enim *Carmelitas Excalceatos*, ad erigendum in eodem *Ajelli* pago Cœnobium, pridem evocaverat Græcio, Sororis precibus votisque annuens, quæ in ea principe Stiriæ urbe sub Regula *S. Teresiæ* militabat Deo. Negotio rursus cum Carmelitis infecto, anno 1682. obtulerat Petro Martyri Degna, Præfecto Congregationi, in eo loco Hospitium: quod ipse recusavit. Impactæ calumniæ, quibus Religiosi Cœtus ab initio impeti consueverunt, ac imposterum occasione data eos vexari ab avidis hominibus facile continget, æquo erectoque ferri animo debuerunt. Accerrimæ itaque lites a pluribus intentatæ, & actæ. Magni sumptus nobis insumendi fuere: ac pluries conficienda Græcium, & Viennam, aliaque ad loca itinera, ubi diversabatur *Jo: Christianus ab Eggenberg*, Comes Gradiscæ. Strenuam navavit operam *Jo: Baptista Sandrius* Tridentinus, idoneus aptissimusque Vir inter cæteros Congregationis Alumnos in id genus negotiis peragendis. Causam denique nobis adjudicavit Serenissimus Princeps *quoad Possessorium* Crumlovii die 6. Julii anno 1699. & *quoad Petitorium* in Arce Kurzwail die 11. Septembris 1703.

Facultatem Cœnobium, & Ecclesiam erigendi *juxta conditiones a Testatore præscriptas*, prævia Dionysii Delfini Patriarchæ Aquilejensis instructione, consueta formula fecerat Sacra Congregatio, *Negotiis Episcoporum & Regularium* præposita, *anno M. DCC. I. die XXVIII. Januarii*: eademqne de re datæ insequente anno Litteræ ab Antonino Cloche. Verba sunt; " Nos F. Antoninus " Cloche S. Th. Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & Servus. Providentiæ nostræ est ac singularis solicitudinis, ut Fratres " nostri latius palmites Religionis nostræ diffundant, " & ad salutem animarum cum vocati fuerint novos " Conventus erigant. Sane cum animi nostri voluptate " didicimus: quod Fratres nostri Congregationis B. Jacobi Venetiarum ob Regularis observantiæ bonum nomen, & famam vocati sunt ad erectionem novi Conventus in Oppido de Ajello Diœcesis Aquilejæ a parte Imperii, relicta a pio ac Religioso Viro hereditate " ad

„ ad hujusmodi Conventus fundationem sufficiente. Quare tenore præsentium nostrique auctoritate officii, licentiam & facultatem facimus Moderno Rev. Patri Vicario Generali ejusdem nostræ Congregationis, ut cum consilio Gravium Patrum præfatæ Congregationis dictam fundationem & erectionem novi Conventus in prænominato Oppido acceptare possit & valeat: ædificiumque Conventus juxta normam Constitutionum nostrarum, facto prius Exemplari per Peritos approbato, & exacta delineatione incipiant, & continuo adlaborent ad complementum & perfectionem. Et ex nunc pro tunc præfatum Conventum Ordini nostro incorporamus & unimus: eidemque Congregationi B. Jacobi Salomonii Venetiarum unitum & incorporatum dicimus, itaut in eo semper vigeat eadem Regularis observantia & Disciplina, quæ ea in Congregatione, benedicente Deo, viget & stabilita est. Sicque omnibus privilegiis, juribus, immunitatibus, & gratiis, quibus cæteri Conventus ejusdem Congregationis & Ordinis nostri gaudent, potiri ac frui & uti debere declaramus & dicimus. Adhortantes omnes ad hanc nostram Congregationem spectantes, ut in eo Conventu ædificando regularem semper promoveant & manuteneant Observantiam: populumque ejusdem Oppidi ac Diœcesis exemplo & doctrina instruant & ædificent, ipsique ad omnia charitatis officia inserviant: tamque pium, & Magnificum Benefactorem omnium Suffragiorum Ordinis perpetuo participem facimus. In nomine &c. In quorum fidem. Dat. Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die XXVIII. Octobris M. DCC. II.
„ F. Antoninus Cloche Magister Ordinis. Reg. fol. 12.
„ F. Thomas Ripoll Magister & Socius. "

III. *Cœnobio erigendo consensum negat Jo: Christianus Princeps ab Eggenberg, comes Gradiscæ. Favet vero Siggifridus Frater.*

Arci Gradiscanæ, locisque in agro positis, titulo *Comitis*, ea tempestate imperitabat Jo: Christianus Princeps *ab Eggenberg*. Novi Conventus erectioni dicebatur ille adversus, Capucinis Fratribus, quos impense colebat, detrimenta timens. Partes nostras pro summa clementia tuebatur *Siggifridus*, Principis frater: operamque suam Viennæ præstabant *Joannes Delfinus*, Venetus ad Imperatorem Orator, & *Aloysius a Turre* in Arce Gradiscana Capitaneus. Hisce munitus præsidiis, oblatus Principi libellus supplex: quo facultas postulabatur, *tum erigendi*

Cœnobium, suprema Bartholomæi de Frumentinis voluntate demandatum; tum legatos Fundos retinendi, qui legi suberant redemptionis anno 1693. ab ipso Principe latæ. Decretum *Viennæ* tulit ille *die XII. Aprilis M. DCC. IV.* quo prædia Testamento relicta decernebat legi redemptionis subjecta, petitamque erigendi Cœnobii facultatem negabat.

Mollire Principis animum studuit *Siggifridus* frater: deditque litteras, quibus omnes, quæ motæ fuerant, amoliebatur difficultates. Integras easdem, quæ latine redditæ fuerunt, proferre liceat, ut negotium innotescat quod agebatur. " Serenissime Princeps, Amantissime Domine Frater. Quod ipse cum lectissima Conforte Principissa peroptata fruatur valetudine, (cui pariter me commendatum cupio,) non solum spero, sed ex corde voveo. Nunc gratiosas percipio lineas, quæ eam valetudinem confirmant & prosperitatem, de qua summopere gaudeo. Verum longinqua Boëmiam versus via me non parum desolatur, ubi Serenitatem vestram ob nimiam distantiam intuendi parva spes affulget: quod ante mortis adventum perficere in votis summum est. Quod autem ter Optimus Maximus id voti mihi deneget, solis meis adscribendum censeo peccatis. Præterea non latebit Serenitatem Vestram, quod eidem Patres Dominicanos Farenses, (quoniam certa quædam bona per Testamentum Formentini piæ memoriæ obtinuerunt, ut in solatium pauperum novum ædificent Monasterium: quæ bona tamen per certos Cognatos in litem tracta sunt,) impense commendaverim, ut si sententia in favorem eorum lata fuerit, Serenitas Vestra iisdem gratiosum consensum pro ædificando dicto Monasterio præbere dignetur: quod mihi pariter Serenitas Vestras sub Dato XXIV. Aprilis M. DCC. I. benigne promiserat; pro quo favore debitas rependo gratias. " Scriptas a *Siggifrido* ante litis decisionem litteras commendatitias, addiscimus. Has ille hoc loco memorat. Causam nobis *anno* 1703. *die* 11. *Septembris* adjudicatam fuisse, narravimus.

Pergit ille: " Notum igitur nunc facio, quod sententia in favorem dictorum Patrum lata fuerit, itaut Testamentum sit validum: nihilominus a Serenitate Ve-

„ stra

„ stra negativam obtinuerint, itaut neque iisdem bonis „ perfrui, multominus Monasterium ædificare valeant; „ cum sub anno *1693*. Decretum emanaverit & publi„ catum fuerit, vi cujus Ecclesiastici seu Religiosi te„ neantur Secularibus cuncta bona, sive fuerint per Te„ stamentum, sive per Donationem, & quocumque mo„ do detenta, pro numerata solutione cedere: atque hoc „ nunc post dictam resolutionem accidit, cui quidem de „ rigore loquendo insistendum foret. Verum ut ajunt, „ nulla est regula sine exceptione, nec Legislator in hoc „ ligari valet: quod idem ab Augustissimo nostro, aliis„ que Magnatibus passim observatur, nimirum juxta pla„ citum unicuique gratificando seu consentiendo. Præte„ rea status secularis non videtur obicem sive impedi„ mentum inferre posse, cum per hoc nullum effulgeat „ secuturum detrimentum: neque commodum inde elu„ cet, sed magis damnum, cum extra limites & juris„ dictionem pecuniæ transferantur, si nimirum quis cun„ cta venderet & alibi figeret domicilium. Secundo non „ video, quomodo absque speciali animæ gravamine si„ miles piæ Causæ, Testamenta, & Legata pia inhibe„ ri valeant, cum hoc contra cuncta militet jura: & „ timendum foret, ut Sua Serenitas cuncta suffragia tali „ modo tollere posset, cum unum sequatur ex altero, „ & non paucæ Defunctorum animæ diutius in piacu„ laribus detinerentur flammis. An igitur Deo similia „ oblata tolli a vero Catholico bona conscientia queant, „ in corde meo non invenio. Quid solatii moribundo „ speique, ubi neque proles, neque posteri defuncti me„ mores forent animæ, sed solis addicti terrenis & ca„ ducis? "

Injectas discutit, & expellit omnes difficultates. "Præ„ tenditur quidem, quod ædificatione talis Monasterii „ secuta, Patribus Capucinis eleemosyna tolleretur: quod „ pariter non subsistit, cum dicti Patres Dominicani ad „ extrahendas reversales sese promptos offerant de inter„ mittenda collectura; quod pariter strictissime in Clau„ sulis observari posset. Præterea specialiter hic Ordo „ æstimandus est, utpote cujus Religiosi, promptissimi „ Clientes Magnæ Matris, ejus cultum ubique promo„ vere conantur. Hinc denuo pro eis rogo, præsertim „ cum Vestra Serenitas se specialem Beatæ Virginis præ-

„ ferat zelotem, ut eos commendatos habere dignetur, „ prout nunc nomine Magnæ Matris, ut obstrictissimus „ Cliens ejusdem, commendo. Imo sua Serenitas ipsa „ sub alis tantæ Virginis ut Sodalis sese totam dicavit: „ quæ cum piissimam se monstret Matrem, ita fas est „ ut unusquisque se monstret Filium, quoniam merces „ secutura magna nimis. Frater amantissime, tribuatur „ mihi fides, quam vere Deus videt, quod ut fidus & „ sincerus Frater vivam & moriar: neque fallaci huic „ addictus mundo, qui (proh dolor) totus in maligno „ positus est, atque meris politicis & iniquitatum laqueis „ irretitus. Interim pectore tenus loquor, & cordialiter „ mentem declaro, nec larvatus incedo: quapropter fir- „ miter credo, quod Serenitas vestra sincerum non abo- „ lebit meum calamum. “

Modos aperit, quibus executioni facile fundatio Cœnobii mandari posset, satisque fieri omnium votis. “ Ul- „ tro incidit, quod si tandem Serenitas Vestra dictis Pa- „ tribus in totum non velit gratificari, saltem tali inhæ- „ rendo medio termino, consultum foret: nimirum ut „ memorati Patres medietatem bonorum adeptorum ven- „ dant, eam scilicet partem quæ ipsis non est vicina, sed „ procul dissita. Secundo non ut Monasterium, sed solum „ Hospitium erigant, ubi Patribus Capucinis in spiri- „ tualibus nihil derogaretur, neque per Rosarium Pleba- „ nis, neque in inquirendis eleemosynis. Interim tamen „ eorum Domus subsistere posset, etsi Collectura reli- „ quis, (de qua re certior factus sum,) non prohibea- „ tur, uti Civitatensibus, & Utinensibus. Et quoniam „ debita sunt persolvenda, nunquid de proventibus ero- „ ganda? Posset quidem proponi, ut dicta pecunia trada- „ tur, & de interesse fiat solutio: verum Amantissime „ Frater, moderno tempore facile quis periclitatur, ne- „ que sequeretur intentum, & melius est habere, quam „ tradere. Felicem me vere æstimarem, si totalem con- „ sensum in honorem Matris Dei animarumque solamen „ obtinere possem, ubi revera non levem sperarem ad „ Cælos gradum. Serenitas Vestra dignetur hanc tenuem „ meam ponderare mentem, neque cunctis fidat: neque „ enim remunerator est mundus, sed solus Deus. Quod „ igitur in honorem cedit ejus Genitricis, id centuplum „ resarcietur: & tota Familia benedicetur. Non ulterio-

„ res

„ res afferam moleſtias, verum ejus Fraterno amori & „ favori commendatum cupio. Wolcnſtain die XXVIII. „ Maii D. DCC. IV. Siggifridus &c. " Principis eximiam religionem, mentemque præclare affectam erga Virginem Deiparam, auream ſinceritatem animi, atque propenſam in nos voluntatem ſatis declarant litteræ, quas in lucem protulimus.

IV. *Jo: Christiano ſuccedit Siggifridus. Eleonora Augusta erectionem Cœnobii commendat. Amplissima conceditur a Principe facultas.*

A ſententia, quam ſemel animo conceperat, Fratris litterarum inſcius, quas ferunt celatas eidem fuiſſe, diſceſſit nunquam *Jo: Chriſtianus*. Interim prædiorum venditio, quæ lata Redemptionis lege, ac Principis mandato indicebatur, in plures annos pro cauſis occurrentibus dilata. Accidit vero ipſius Jo: Chriſtiani mors: eique ſucceſſit *Jo: Siggifridus*. Diu exoptatæ facultatis tandem aliquando obtinendæ ſpem injiciebat ſuaviſſima novi Comitis Gradiſcæ indoles: ab eoque pridem factæ pollicitationes videbantur certiſſima *Ajellenſis* perficiundi negotii argumenta.

Supplex libellus, interjecta mora nulla, oblatus. Cito datum Reſcriptum *Græcii die VII. Februarii M. DCC. XI.* Pars altera facultatem complectebatur, *Fundos poſſidendi ad quatuordecim mille nummûm valorem*, æſtimationemque: altera, minus conſona votis, novum Cœnobium, cujus erectio concedebatur, *ad Hoſpitii coarcebat anguſtias, quod ſeptem duntaxat Fratres incolerent*. Id nempe conſilii jam propoſuerat ipſe in Litteris ad Fratrem ſcriptis: eaque ratione fortaſſe arbitrabatur, ſatis tum nobis, tum Capucinis Alumnis fieri poſſe. Pene concidit animus, cum eam fieri a Principe facultatem animadvertimus, quæ utpote diſſona Pontificiis Decretis, duodenarium ſaltem numerum in quibusque Cœnobiis definientibus, nulla ac inanis erat, ſuaque ſponte cadebat. Nova tamen ſpes affulſit, quæ ſolatium dolentibus nobis attulit. Indulſit ille: ut Reſcripti executio differretur, donec diligentiore de Negotio facta perquiſitione, peremptoriam denique ſententiam ferret. Benevolam mentem litteris eodem anno datis *die XXIV. Martii* ſignificavit.

Hocce temporis intervallo, Imperatricis *Eleonoræ*, quæ Joſepho I. denato, implicatoque Carolo VI. inter armorum ſtrepitus, Regentis Matris munere fungebatur, favor acceſſit. Nomine ejus ſcriptæ ad Principem litteræ ab

ab Balthaſſare Millero S. J. Datæ ſunt *Viennæ die XXV. Septembris M. DCC. XI.* Deforis hæc habentur verba : *Sereniſſimo D. D. Siggifrido S. R. I. Principi, Comiti Gradiſcæ, Duci Crumlovii, Principi ab Eggenberg, Comiti in Adelsperg, ac Domino Aquilejæ, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario intimo, & Aurei Velleris Equiti.* Intus vero hæc animi ſenſa promuntur . " Factam erigendi „ Hoſpitium a Principe facultatem neque Teſtatoris men- „ ti convenire, neque Decretis Summorum Pontificum. „ Expediri facile poſſe difficultates omnes , conditioni- „ bus adjectis , quas Dominicani Alumni Farenſes pro- „ ponunt. Sibi videlicet ipſos haud unquam vendicatu- „ ros quæſtus in Ajelli pago viciniſque locis , neque „ proventus Eccleſiæ Parochiali ex Sodalitio Roſatiano „ obvenientes, neque in habendis Quadageſimalibus Con- „ cionibus in loco alternationem: legatumque Frumen- „ ti ac Vini Capucinis Gradiſcanis a Frumentino reli- „ ctum, prompte ſoluturos ſingulis annis. Quæ denique „ omnia ſi Principi non arrideant , conſenſum ejus pe- „ roptari, ut integrum ſit præfatis Alumnis, legata præ- „ dia ſervare , in aliumque transferre locum Cœnobii „ fundationem . Gratiſſimum vero Imperatrici fore , ſi „ eadem perficeretur Ajelli ad mentem Teſtatoris funda- „ tio : adeoque oblatum Confundatricis titulum luben- „ tiſſime ab ipſa acceptum. "

Pientiſſimæ Auguſtæ voluntati obſequi voluit *Siggifridus*. Libello ſupplici iterum oblato pro ſumma annuit humanitate. Propoſitis aquievit conditionibus , Titulum *Confundatoris* excepit , juſſitque fieri ſequens Diploma . „ Nos Johannes Siggifridus Dei gratia Dux Crumlovii, „ Principalis Comes Gradiſcæ, S. R. I. Princeps ab Eg- „ genberg, Comes Adelsperg , Dominus Aquilejæ, Pe- „ tovii in Rakespurg, Strans, Wildon, Wolſtein , Eg- „ genberg, Stibing, Thaal , Seffemberg &c. Supremus „ Mareſchalus hereditarius Auſtriæ ſupra & infra Ona- „ ſum, Supremus, Camerarius hereditarius Stiriæ, Pin- „ cerna Carnioliæ & Marchiæ , Sacræ Cæſareæ Maje- „ ſtatis piiſſimæ memoriæ Conſiliarius intimus & Came- „ rarius &c. Ad perpetuam rei memoriam. Tenore præ- „ ſentium ſignificamus, quibus expedit univerſis . Cum „ nobis Honorabiles Religioſi Devoti Nobis Dilecti Pa- „ tres Dominicani de Obſervantia Congregationis B. Ja-

„ cobi

„ cobi Salomonii humillime expofuerint, atque fide di-
„ gnis Documentis fat loculenter demonftraverint : iis-
„ dem, eorumque Congregationi a q. Bartholomæo For-
„ mentino de Civitate jam dudum defuncto, vigore fuæ
„ ultimæ difpofitionis Teftamentariæ fub Dato dictæ Ci-
„ vitatis die XV. Septembris M. DC. XCVIII. factæ ,
„ Titulo inftitutionis, omnia & fingula bona, tam Mo-
„ bilia quam ftabilia, juraque ad illum fpectantia in Vil-
„ la Ajelli fuisque pertinentiis in Comitatu noftro Prin-
„ cipali Gradifcano, cum onere & honore , & quidem
„ cum obligatione fundatitia, relicta effe, ut exinde ad
„ Chriftianæ pietatis fubfidia novum ibidem in dicta
„ Villa Ajelli Conventum, atque Ecclefiam hujufce Or-
„ dinis feu Congregationis in honorem SS. Dei Geni-
„ tricis S. Rofarii extruendam, erigerent & ædificarent.
„ Ac Nos propterea memorati Patres humillime fuppli-
„ caverint , quatenus conceffionem & confenfum no-
„ ftrum; ut videlicet tam prædicta bona Stabilia ac Ju-
„ ra antea eidem Teftatori , nunc vero ipfis Patribus
„ qua Heredibus competentia , quam alia pro ambitu
„ & area inædificandi Conventus & Ecclefiæ neceffaria
„ poffidere, Ecclefiamque & Conventum novum a præ-
„ nominato Teftatore fundatum ædificare poffint, beni-
„ gne impartiri dignaremur. Nos proinde demiffis hifce
„ precibus pro majori Divini Numinis cultu & gloria ,
„ animarumque falute clementer annuere volentes: nec-
„ non Clementiffimo Auguftiffimæ Imperatricis Viduæ
„ Eleonoræ Magdalenæ Terefiæ, Regnorum, & Provin-
„ ciarum Auftriacarum Rectricis , in Confundatricem
„ electæ defiderio Nobis per Litteras infinuato prompto
„ animo totoque fpiritu fatisfacere cupientes ; fingulari-
„ bus moti rationibus , animoque bene deliberato , ac
„ maturo accedente confilio, petitum confenfum & con-
„ ceffionem noftram prædictis Patribus benigne imperti-
„ ti fumus , atque vigore præfentium quantum de jure
„ & æquitate poffumus , impertimur . Ipfisque omnino
„ authoritatem & facultatem atque licentiam irrevoca-
„ biliter damus & elargimur, ut omnia & fingula bona
„ Stabilia & Mobilia , juraque a memorato Fundatore
„ fuo Bartholomæo Formentino dictis Patribus relicta ,
„ necnon & alia pro ambitu & area inædificandi Con-
„ ventus & Ecclefiæ neceffaria, quiete poffidere, iisdem-

„ que,

„ que , non obstantibus quibuscumque in contrarium ,
„ perpetuis temporibus pacifice & absque ulla molestia
„ uti , & frui necnon Ecclesiam & Conventum novum
„ perpetuo ad dictam Congregationem spectaturum jux-
„ ta normam Constitutionum suarum, & licentiæ Sacri
„ Ordinis Generalis; & præcipue juxta expressam volun-
„ tatem ac pia præfati Testatoris vota & conditiones ,
„ in prænominata Villa Ajelli in Comitatu nostro Gra-
„ discano sita, funditus erigere, ædificare , & conserva-
„ re possint ac valeant , cum infrascriptis tamen Nobis
„ per ipsosmet Patres humillime expositis conditionibus
„ ac reservationibus . Ac I. quidem cum supradicti Pa-
„ tres privilegio Ordinis Mendicantium gaudeant: simi-
„ les vero Religiosi quæstuationibus & mendicationibus
„ ab ipsis fieri solitis, tam quoad emendicandum victum
„ & vestitum, quam alia ad eorum substentationem ne-
„ cessaria , Populo ac Statui politico magno incomodo
„ & oneri esse videantur ; ut ii in toto nostro Statu a
„ quæstuationibus supradictis quomodocumque & sub quo-
„ cumque prætextu fieri solitis omnino & sub pœna se-
„ questrationis eorum fructuum a Capitaneis nostris, qui
„ pro eo tempore constituentur , proportionate infligen-
„ da, abstinere & supersedere debeant ac velint. II. Ut
„ in Concione Quadragesimali Parochialis Ecclesiæ Ajel-
„ li, quandiu ibidem hoc munere Honorabiles Religiosi
„ Devoti nobis Dilecti Patres Capucini Conventus Gra-
„ discani fungi voluerint vel potuerint, sese ingerere non
„ audeant nec possint. III. Ut quotannis solvant & præ-
„ stent iisdem Patribus Capucinis annuum Legatum a
„ Fundatore ipsis relictum . IV. Ut juxta gratuitam di-
„ ctorum Patrum Dominicanorum oblationem & remis-
„ sionem , intacta prorsus relinquatur & remanere de-
„ beat dictæ Parochiali Ecclesiæ Ajelli, una cum Altari
„ B. Virginis SS. Rosarii, omnis supellex ad ipsius Ro-
„ sarii Confraternitatem spectans , necnon quæcumque
„ bona sive Legata eidem Confraternitati a piis Fideli-
„ bus relicta , vel per ipsam quoquomodo possessa. V.
„ Ut supradicti Patres Dominicani bona alia immobilia,
„ quam quæ eis per dictum Testamentum a Bartholomæo
„ Formentino una cum juribus exinde resultantibus re-
„ licta sunt , exceptis tamen supranominato ambitu &
„ area pro extruendo Conventu applicanda, possidere vel
„ ex

„ ex quocumque titulo aquirere possint, valeant, & au-
„ sint, salvo jure Retractus vi nostrarum in hac parte
„ emanatarum Constitutionum omnibus de Statu nostro
„ Gradiscano competenti. Acceptantes præterea oblatum
„ Nobis per eosdem Patres tam titulum, quam meritum
„ Consundatoris. Gratiose insuper concedimus, atque ex-
„ presse statuimus: ut Conventus ille ibidem extruen-
„ dus, & dicti Patres Observantes S. Dominici, ipso-
„ rumque Ministri ac Servi, & tota Familia universis
„ & singulis immunitatibus, libertatibus, exemptionibus,
„ personalibus & localibus, juribus, prerogativis, atque
„ beneficiis, quibus alia Monasteria & Sacræ Religioso-
„ rum Domus ac loca, Deoque Sacrati Viri & Religiosi
„ sub Regulis viventes in aliis Provinciis & specialiter
„ in Statu nostro Gradiscano uti, frui, & gaudere so-
„ lent, pariter gaudeant, utantur, fruantur, & potian-
„ tur: salvo tamen nostro supremo jure in dignoscendis
„ causis Judicialibus quibuscumque; & ut omnes præsta-
„ tiones reales supradicti Patres a bonis suis, non mi-
„ nus quam alii incolæ & Vasalli Comitatus nostri Gra-
„ discani, debito tempore annuatim exsolvant. Et su-
„ pradicta omnia sine omni prorsus sive Ecclesiasticorum
„ sive Secularium quorumcumque impedimento aut con-
„ tradictione, harum testimonio Litterarum manu nostra
„ subscriptarum, & principali nostro Sigillo munitarum,
„ quæ dabantur in Arce nostra Ernhausen die XXIII.
„ Novembris anno M. DCC. XI. Jo: Siggifridus. Auslap
„ loco Secretarii". Ita latine redditum ex Theotonico idiomate Diploma in Archivo servamus.

V. *Ecclesia erigitur cum Cœnobio sub nuncupatione Rosarii. Nova domus construitur Paupercularum S. Catharinæ.*

Principi optimo gratias egimus, quas potuimus amplissimas. Tum diligentissimum studium adhibitum ad purgandam hereditatem, æs alienum solvendum, ac minora quædam litigia componenda. Simul etiam magno proximorum spiritali emolumento sacris defungebantur muneribus Nostrates in Sacello, cujus usum pro summa concesserat humanitate *Orpheus*, Comes *de Strasoldo*, Goritianus.

Novum Templum satis amplæ, elegantisque formæ construi cœptum in honorem Virginis Deiparæ titulo Rosarii *anno M. DCC. XVI. die ... Mensis Junii*: quo sacro in loco divinis operantur Alumni, proximorumque saluti consulunt. Cœptum quoque novum Cœnobium,

quod absolutum, completumque videbunt posteri. Simul etiam Virginibus rusticis, quæ seculo relicto famulari Deo peroptant, aptissimum Gynæceum parat Petrus Comes *de Strasoldo* Goritianus, Sacerdotali insignitus charactere, morumque probitate conspicuus, adinstar *Farensis* Domus *Paupercularum S. Catharinæ*, quam a Viro probatissimo Basilio Pica erectam, narravimus Capite XII.

VI.

Fundationem Cœnobii Cormonensis pluries oblatam, supremæ voluntatis Tabulis perficit jubet Jo: Andreas Locatelius.

Eodem tempore, quo *Ajellensis* fundatio promovebatur, sedem Alumni Congregationis obtinuerunt in Oppido *Cormoni*, pluries quidem oblatam, magnis etiam oppugnatam conatibus, impetu demum adversariorum fracto constabilitam. Remotiorum temporum gesta primum narro. Familiæ nostræ, quæ in Cœnobio *Faræ*, Basilio Pica fatore, bona virtutum fama florebat, coloniam deducendam in oppidum *Cormoni* cogitabat *Lucas Del-Mestrius*, Vir generis nobilitate clarus, probitate morum conspicuus, Aquilejensis pridem Archidiaconus in Comitatibus Goritiano, & Gradiscano, deque nobis in Fundatione *Farensi* optime meritus. Animi vota aperuit Picæ: obtulitque ad novi erectionem Cœnobii Ecclesiam *S. Mariæ*, quæ sita est in Colle, Oppido imminente, vulgo *del Soccorso* appellatam, quam cum Ædibus juxta positis ære proprio construxerat. Æquis inter utrumque pactis conditionibus, publicæ donationis Tabulæ confectæ leguntur *anno M. DC. LV. Indictione VIII. die vero Lunæ XXIX. Martii, Cormoni in Ædibus Ven. Ecclesiæ de Cormono super Cymiterio, præsentibus Testibus Joanne Colussio, Georgio Strazzulino, & Gregorio Romanuto*. Tabulas ipsas confecit, scripsitque *Columbichius Notarius*. Fecit etiam Marcus Gradonicus Patriarcha Aquilejensis facultatem, initumque donationis contractum ratum habuit, firmumque his verbis: *Attentis narratis in Supplicatione præmissa, approbamus & confirmamus donationem, & Concordium initum inter partes subscriptas: ac pro eorum perpetua validitate nostrum interponimus Patriarchale Decretum. Datum Utini in nostro Patriarchali Palatio die XXXI. Martii M. DC. LV. Marcus Patriarcha Aquilejensis. Petrus Oliva Cancellarius Patriarchalis Aquilejensis*. Vulgato novæ Fundationis consilio Fratres Capucini Cormonenses intercessere. Diffidia vitans mitissimus Pica ultro cessit, mentemque manumque revocavit ab opere.

De-

Decem post annos iterum de constituenda Nostratibus Domo in eodem Oppido *Cormoni* actum. Auctor fuit *Stephanus Del-Mestrius*, Archidiaconus Aquilejensis, ac Parœciæ Cormonensi Præfectus. Morbo gravissimo cum laboraret, proprias Ædes cum parva Ecclesia *S. Antonio* sacra, si pristinam valetudinem adsequeretur, in Cœnobium erigere Deo voverat. Morbo levatus, redditusque sanitati, ut fidem liberaret, ingressum Alumnorum Congregationis, quos olim in Oppidum vocatos noverat, animo designabat. Egit ille, remque perfecit anno 1665. cum *Andrea Trono*, quem sacras in Quadragesima superioris anni conciones habentem audiverat, habebatque in magno pretio ob ejus præclaras virtutes, cultumque severioris disciplinæ. Iterum intercessere Fratres illi. Nihil profuit data a Nostratibus fides, abstinendi a questu. Neque satis rebus suis consultum censebant ipsi, quod certos proventus Dominicanis adsignaret Del-Mestrius; aliosque ad Ecclesiam *S. Mariæ de Subida* nuncupatam spectantes pro jure quo potiebantur, Cives humanissimi traderent. Non valuit demum prona, & optima eorumdem Civium erga nos voluntas, neque auctoritas qua pollebat Archidiaconus, neque susceptum a Comitibus *a Turre* patrocinium, *Matthia* scilicet qui jus dicebat in loco, & *Francisco* Nepote, in Arce Gradiscana Capitaneo. Evanuit ergo secunda vice Fundatio *Cormonensis*, quæ bonis avibus incepta videbatur.

Tempora notare libeat, ac memorare Documenta, quibus optimam voluntatem testatam voluere Cives humanissimi. Cœtu congregato *die VIII. Martii M.DC.LXV.* in Archidiaconi vota, negotium agente Marco-Antonio Coronino, cæteri lubentissime concesserunt. Vetus, ac Novum, ut vocant, Consilia *die XXIX.* ejusdem *Martii* Mensis convocata: decretumque, ut portione proventuum, qui ad Sacellum S. Mariæ *de Subida* spectabant, novi Cœnobii Alumnis tradita, expediri injectæ possent difficultates. Acta confecit *Michaël Strazzulinus Publicus Imperiali auctoritate Notarius*. Prædictam vero donationem pro jure suo ratam habuit laudatus Stephanus Del Mestrius, *Liber Baro de Schomberg*, *Cormonensi Parœciæ Præfectus*, & *Aquilejensis in Comitatibus Goritiano & Gradiscano Archidiaconus:* Tabulasque eodem die scripsit *Sebastianus Columbichius Imperialis Notarius & Archidiaconalis Cancellarius*.

 Fun-

Fundationem Cormonensem jam tertio moliri cœpit *Jo: Andreas Locatellus* J. U. Doctor: egitque serio cum *Jo: Baptista Sandrio*, qui anno *1696.* grata populorum adclamatione Conciones habebat in loco. Ad operis perfectionem maturandam ultro accessit animi voto, bonorumque larga oblatione, Nobilissima ex Comitibus *de Arcano* Matrona, *Speronella* appellata, quæ Marito Utinensi ex prænobili *Floriorum* familia viduata, probatissimam in Castro *Brazzano* parum dissito vitam agebat. Nondum vero constituta in Cælis venerat optata novæ Fundationis dies. Moras quippe texente *Speronella*, variasque causas discedendi a consilio obtendente, in irritum cecidit negotii perfectio.

At opus alta mente repostum tenebat Locatellus. Ad erectionem Cœnobii, (quod nemo cogitasset,) legavit hereditatem. Testamentarias Tabulas propria manu *die XIV. Aprilis anno M. DCC. I. Indictione nona* scripsit, ex apoplexia convalescens, qua correptus fuerat. *Farenses* Alumnos, post alia plura legata, declarat heredes: *obligatione* indicta, *Cœnobium, & Ecclesiam in Oppido Cormoni erigendi: ubi novæ domus Alumni pietate, ac litteris juvenes loci imbuant, divinæ legis mysteria e suggestu exponant, Sacrificium quotidie Numini Supremo ad spiritale ipsius levamen offerant, aliasque prescriptas singulis quatuor anni temporibus preces orent.* Tum Archiduci Austriæ studiosissime commendat supremæ voluntatis impletionem: Fratres Capucinos enixe obtestatur, ut oppositionibus abstineant: Institutosque Heredes admonet, ut largas eisdem facile conferant eleemosynas. Obiit ille die 22. Aprilis: dieque VIII. insequentis Maii Testamentarias Tabulas, ut ipse mandaverat, resignavit *Michaël Novajolus Notarius.*

VII.
Oppidum Cormoni olim Sedes Patriarcharum Aquilejensium Forumjulium differt a Castrojulio.

Hæc Fundationis origo in Oppido Cormoni, quod in Comitatu *Goritiano* situm est, perillustribus Familiis, honestæque conditionis hominibus refertum. Sedes etiam Aquilejensis post excisam Aquilejam in loco posita, famam eidem peperit. Paulus Diaconus, dissidia scribens inter Calistum Patriarcham, & Pemmonem Ducem Forijulii, hæc habet Libro VI. Capite LI. *Adveniens anteriore tempore Fidentius Episcopus de Castro Juliensi* (in ea Provinciæ parte, quæ Carnia dicitur,) *cum voluntate Superiorum Ducum intra Forojuliani Castri* (Cividale di Friu-

Friuli) *muros habitavit: ibique sui Episcopatus Sedem statuit. Quo vita decedente, Amator in ejus loco ordinatus est. Usque ad eumdem enim diem Superiores Patriarchæ, quia in Aquileja propter Romanorum incursionem habitare minime poterant, sedem non in Forojulii, sed in Cormones habebant. Quod Calisto, qui erat nobilitate conspicuus, satis displicuit, ut in ejus Diœcesi cum Duce, & Langobardis habitaret Episcopus: & ipse tantum vulgo sociatus, vitam duceret, Quid plura? Contra eumdem Amatorem Episcopum egit: eumque de Forojulii expulit, atque in illius Domo sibi habitationem statuit.*

Aquileja nempe per Langobardos excisa, sederunt in Insula Grado *Paulus*, *Probinus*, *Elias*, & *Severus* Patriarchæ: qui omnes, cum anathemati in celeberrima tria Capitula ab Œcumenica Synodo quinta lato refragarentur, dirum schisma fovebant. Severo defuncto, emerserunt duo ejusdem Metropoleos Aquilejensis capita: *Candidianus*, quem Catholici, urgente Pontifice Romano, in Grado elegerunt: *Joannes* in Vetere Aquileja, Gisulfi Ducis Forojuliensis opera, & consensu Agilulfi Langobardorum Regis, a schismaticis electus. Huic successere *Marcianus*, *Fortunatus*, *Felix*, *Joannes*, *Joannes tertius*, *Petrus*, qui schismate Ecclesiam purgavit, *Serenus*, *Calistus*. Metropolitas, Calisto *superiores*, narrat Diaconus, *quia in Aquileja propter Romanorum incursionem habitare minime poterant*, *sedem in Cormones habuisse*. Romanos incursantes intellige Græcos, vel etiam Gradenses, qui Langobardos & Aquilejæ Antistites infectabantur. Tutum ergo quærentes locum, *Cormoni*, quod Oppidum est XV. circiter M. P. supra Aquilejam, sedem posuerunt Patriarchæ.

In Chronico Gradensi, cujus Fragmenta nonnulla apud Ughellum recensentur, hæc legimus verba: *Fortunatus quidam hæreticus Pontificatum* (Gradensem) *arripuit: qui Quintam Synodum minime credens, ob sui erroris piaculum pavens, totam Ecclesiam Gradensem Metropolitanam*, (quam errore simulato obtinuerat,) *denudans auro, vestibus, & ornamentis, simul & Ecclesias Baptismales Provinciæ Histriæ, & Xenodochia quæ ad Sanctam Ecclesiam Gradensem pertinere videbantur, fugam in Langobardiam petiit apud Castrum Cormones super Civitatem Aquilejam*. Locum habes, ubi degerent im-

Muratorius in Annalibus ad Annum 737. admonet : In Chronico Patriarcharum Aquilejensium, quod prostat Tomo IV. Anecdotorum latinorum abs se typis edito , *Fridericum* legi Fidentii successorem , ac *Fidentii* Amatorem. Sed hæc vero minime loco citato habentur: ubi *Fidentii* nulla mentio, ac solum *Friderici* successor dicitur ***Amator***. Nempe Notarii cubat error in voce ***Friderici*** loco ***Fidentii***: quem unum memorant Chronica Patriarcharum emendatiora in Appendice ad Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis ; ejusdemque unius mentionem ingerit Scriptor vetustus probatissimus , Paulus diaconus , loco superius citato. Hæc innuisse satis.

VIII. *Litigiis compositis, Diploma Cæsareum obtinetur ad erectionem Cœnobii Cormonensis.*

Demandatam suprema *Locatelli* voluntate in hoc oppido Cormoni erectionem novi Cœnobii pro viribus tutandam suscepere Alumni *Farenses* . Negotium agebat Viennæ Jo: Baptista Sandrius . Lata sententia est *die II. Junii* eodem *anno M. DCC. I.* qua *Farensibus* Alumnis facultas hereditatis possessionem adeundi concedebatur . Tum ulteriora litigia, Jo: Baptista Del-Mestrio conciliatore, cum Locatellis composita: publicæque Tabulæ confectæ a ***Michaële NoVajolo Notario anno Incarnationis M. DCC. I. Indictione IX. die Veneris XXI. Octobris in Ædibus*** ejusdem ***Delmestrii***.

Difficultatibus, quæ motæ fuerant , expeditis , Cæsareum Diploma *Leopoldus Augustus* largitus est, quod integrum profero . " Nos Leopoldus divina favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, „ Croatiæ , Sclavoniæ Rex , Archidux Austriæ , Dux „ Burgundiæ, Styriæ, Charintiæ, Carnioliæ, & Vittembergæ, Comes Tyrolis & Goritiæ &c. Ad perpetuam „ rei memoriam, tenore præsentium significamus quibus „ expedit universis . Cum Nobis Honorabiles Religiosi „ Devoti nobis Dilecti Prior & Patres Observantes S. Dominici in Fara prope Gradiscam humillime exposuerint, atque compluribus fide dignis Documentis sat luculenter demonstraverint: eosdem eorumque Congregationem, seu Conventum Farensem a pio quondam Viro Jo: Andrea Locatello J. U. D. nuper defuncto, vigore suæ ultimæ dispositionis Testamentariæ, sub dato „ Cormoni die XIV. Aprilis anno M. DCC. I. in Scriptis solemniter factæ , veros Heredes universales institu-

„ tutos; ipsisque omnem ejus substantiam, atque singu-
„ la bona, tam mobilia quam immobilia, deductis nempe
„ & solutis prius certis Legatis residua, & quidem cum
„ obligatione & ordinatione fundatitia, relicta esse ut
„ exinde præter diversa pro anima Defuncti suffragia &
„ Christianæ pietatis subsidia perpetuis temporibus con-
„ tinuanda, novum ibidem in prælibato Oppido Cormo-
„ ni Conventum atque Ecclesiam hujusce Ordinis seu Con-
„ gregationis funditus erigerent & ædificarent: ac Nos
„ memorati Patres propterea humillime supplicaverint,
„ quatenus eisdem concessionem nostram & consensum
„ nostrum Cœsareum, ut videlicet tam prædicta bona
„ stabilia, quam quæcumque alia pro fundatione neces-
„ saria possidere, Ecclesiamque & Conventum novum a
„ prænominato Testatore fundatum ædificare possint, be-
„ nigne impartiri dignaremur. Nos proinde demissis hi-
„ sce precibus pro majori Divini Numinis cultu & glo-
„ ria, animarumque salute clementer annuere volentes,
„ singularibus moti rationibus, animoque bene delibera-
„ to, ac maturo accedente consilio, deque Cæsareæ &
„ Archiducalis potestatis nostræ plenitudine, humillime
„ petitum consensum & concessionem nostram prædictis
„ Patribus benigne impertiti sumus, atque vigore præ-
„ sentium quantum de jure & æquitate possumus imper-
„ timur. Ipsisque omnino authoritatem & facultatem at-
„ que licentiam damus & elargimur, ut omnia & sin-
„ gula bona stabilia & instabilia a memorato Fundatore
„ suo Jo: Andrea Locatello relicta, necnon quæcumque
„ alia pro Fundatione hacce necessaria, & usque ad Sum-
„ mam duodecim Mille Talerorum sive Imperialium ex-
„ cursura quiete possidere: iisdemque, non obstantibus
„ in contrarium quibuscumque, perpetuis temporibus pa-
„ cifice & absque molestia, uti, & frui: necnon Eccle-
„ siam & Conventum novum juxta normam Constitu-
„ tionum suarum, ac licentiæ Sancti Ordinis sui Gene-
„ ralis nobis jam tum demississime exhibitæ, necnon
„ juxta intentionem ac pia sæpesati Testatoris & Fun-
„ datoris vota, in prænominato Oppido Cormoni in Co-
„ mitatu nostro Goritiæ sito, funditus erigere, ædifica-
„ & conservare possint & valeant. Concedentes præte-
„ rea atque expresse statuentes, ut Conventus ille ibidem
„ fundandus, & dicti Patres Observantes S. Dominici,
„ ipso-

„ ipſorumque Miniſtri & ſervi ac tota Familia, in om-
„ nibus & per omnia univerſis & ſingulis immunitati-
„ bus, libertatibus, exemptionibus, juribus, prærogati-
„ vis, atque beneficiis, quibus alia Monaſteria & Sacræ
„ Religioſorum Domus ac loca, Deoque ſacrati Viri &
„ Religioſi ſub Regulis viventes in Regnis & Provinciis
„ ſeu Ditionibus noſtris hereditariis uti, frui, & gaude-
„ re ſolent; pariter gaudeant, utantur, fruantur, & po-
„ tiantur ſine omni prorſus ſive Eccleſiaſticorum ſive ſe-
„ cularium quorumcumque impedimento aut contradi-
„ ctione. Harum teſtimonio Litterarum manu noſtra
„ ſubſcriptarum, & Sigillo noſtro Cæſareo munitarum,
„ quæ dabantur in Civitate noſtra Viennæ Die XVIII.
„ Menſis Januarii M. DCC. II. Regnorum noſtrorum.
„ Romani XLIV. Hungarici XLVII. Bohemici vero XLVI.
„ Leopoldus. Julius Fridericus Comes Bucelleni ad man-
„ datum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium. Jacobus
„ Erneſtus Nob. de Plockner. "

Facultas memoratur Cæſareo in Diplomate, quam Generalis Ordinis Magiſter jam conceſſerat. Hanc ab Antonino Cloche legimus conſueta forma datam *Romæ die XX. Auguſti annu M. DCC. I.* ſubſcriptamque ab *Aloyſio de Barutel ſocio*. Tum ſupplex libellus Purpuratis Patribus Romæ oblatus. Appoſita nacti ſumus impedimenta, quæ nota fecit Sacra Congregatio. Verum etiam innotuit, novas Viennæ innecti difficultates, ut Cæſareum Diploma irritum redderetur. Adverſarios conatus celſo ſuſtinuit animo, fregitque *Jo: Baptiſta Sandrius*, qui diebus illis cum *Auguſtino Leveſi* Gallo, Congregationis *S. Sabinæ* Alumno, quem *confidentem* Legatum mittebat Clemens XI. in Septemptrionis Regiones, in eam Metropolim Imperialem profectus fuerat. Romam quoque pro votis tranſmiſerat *Dionyſius Delfinus* Patriarcha Aquilejenſis de negotio inſtructionem, *Utini* datam *die XX. Decembris* eodem *anno M. DCC. II.* eaque in Urbe cauſam noſtram pro dignitate egit *Nicolaus Perotus*, luculentiſſima ſcripta Apologia, quam anno inſequente 1703. die 1. Auguſti Sacræ obtulit Congregationi.

IX. *Novis expeditis difficultatibus, Eccleſiaſticæ facultates conceduntur.*

Quod optabatur, Diploma confici juſſerunt Purpurati Patres, his verbis. " Sacra Congregatio Eminentiſſimo-
„ rum ac Reverendiſs. S. R. E. Cardinalium, Negotiis
„ & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præ-

„ posita, attenta relatione Patriarchæ Aquilejensis, & stan-
„ te assensu Universitatis Oppidi Cormoni, referente
„ Eminentissimo S. Clementis, censuit committendum,
„ prout præsentis Decreti tenore benigne committit Or-
„ dinario loci, veris existentibus narratis; & postquam
„ sibi constiterit, Fabricam prædicti Conventus cum Ec-
„ clesia, Campanili, Choro, Sacristia, Refectorio, Dor-
„ mitorio, Hortis, & spatiis numeris omnibus esse ab-
„ solutam, & supellectili tam sacra quam profana suffi-
„ cienter instructam, necnon eidem annuum reditum
„ Scutorum noningenta vere, & cum effectu fuisse as-
„ signatum: ad petitam erectionem, & Religiosorum in-
„ troductionem ad formam Decreti fel. rec. Urbani VIII.
„ & novissimi s. m. Innocentii XII. & servatis alias ser-
„ vandis, pro suo arbitrio & conscientia procedat. Ita
„ tamen ut in prædicto Conventu erigendo servetur exa-
„ cta vita communis ad formam ejusdem Decreti s. m.
„ Innocentii XII. necnon per Patres ipsos Dominicanos
„ fiat renunciatio quæstuationis; & declaratio, quod nun-
„ quam quidquam prætendere possint tam super rediti-
„ bus Ecclesiæ dictæ della Subida, quacumque antiqua
„ Scriptura non obstante; quam super Altari asserto Pri-
„ vilegiato B. Virginis Rosarii in Ecclesia Parochiali exi-
„ stente, sed idem Altare in Parochiali Ecclesia perma-
„ nere debeat eo modo quo in præsenti reperitur, cum
„ omnibus & singulis Capellaniis in eodem Altari fun-
„ datis, reservata duntaxat Ecclesiæ seu Conventui no-
„ viter erigendo Confraternitate SS. Rosarii cum Lega-
„ tis ad ipsam Confraternitatem spectantibus, juxta con-
„ sensum præstitum a Plebano & Curatis dicti loci. Et
„ in reliquis ea omnia, quæ per Sacros Canones, Sacrum
„ Concilium Tridentinum, Constitutiones Apostolicas,
„ & Ordinis prædicti circa hujusmodi novorum Regula-
„ rium Conventuum erectiones præscripta sunt, religio-
„ se serventur. Romæ die III. Augusti M. DCC. III.
„ J. Cardinalis Carpineus. H. Grimaldus Secretarius. "

X.

Templum, ac Cœnobium sub nuncupatione SS. Dominici, & Leopoldi erigi cœpta.

Pace jam fruentes, quam diu optaverant Alumni *Faventes*, ad erectionem Cœnobii mentem operamque, una cum Vicario Generali Congregationi Præfecto, convertere statuerunt. Situs aptus primum deligendus fuerat. Pluribus locis oblatis, aut excedentis pretii, aut nimiæ angustiæ, aut impedimenti occurrentis causa rejectis, in eam

eam ſententiam itum eſt, ut ædes *Antonii Panzeræ* emerentur, novumque modico ſumptu erigeretur Sacellum, ubi excepti Fratres fungerentur ſacris muneribus, donec aptiorem æquo pretio nacti locum, ſatis voluntati ſupremæ Teſtatoris facerent. Initi contractus confectæ Tabulæ ſunt *die XI. Julii anno M. DCC. V.* Facta rurſus a Patriarcha Aquilejenſi facultas, conſtruendi Sacellum, in eoque divina Myſteria ac officia celebrandi, ſcripto Decreto his verbis: " Die Veneris VII. Menſis Auguſti „ M. DCC. V. Utini in Palatio Patriarchali. Coram „ Illuſtriſſimo & Reverendiſs. D. D. Dionyſio Delphino „ Patriarcha Aquilejenſi comparuit Rev. Pater Baſilius „ Maria Mazzalorſo, Prior modernus Conventus S. Jo: „ Baptiſtæ de Fara Congregationis B. Jacobi Salomonii „ de Obſervantia Ordinis Prædicatorum: & actualiter „ produxit infraſcriptam Supplicationem, necnon Scri- „ pturas in eadem nominatas, inſtando humiliter ſibi „ fieri & impertiri, ut petitur & ita &c. Qui Illuſtriſſi- „ mus & Reverendiſs. D. D. Patriarcha Aquilejenſis, vi- „ ſa ſupplicatione ſibi porrecta cum Scripturis productis, „ licentiam petitam conceſſit & concedit Patribus ora- „ toribus, conſtruendi per modum proviſionis Eccleſiam „ in loco Cormoni muro decenter ornatam, in qua poſ- „ ſint Miſſas & divina Officia celebrare, facta prius de „ ſuo mandato viſitatione ejuſdem & benedictione a per- „ ſona deputanda in forma &c. ſine tamen præjudicio ju- „ rium Parochialium: ita tamen ut prædicti Patres ora- „ tores nullo quæſito colore quæſtuare valeant in præ- „ judicium Patrum Capucinorum Ordinis S. Franciſci „ præfati loci de Cormono &c. & ita &c. non ſolum „ &c. ſed & omni &c. Dionyſius Patriarcha Aquilejen- „ ſis. Jo: Dominicus Fantini J. U. D. Cancellarius Pa- „ triarchalis Aquilen. " Erectum Sacellum, titulo *SS. Dominici, & Leopoldi* nuncupatum eſt.

Plures annos domum Panzeræ tres quatuorve Fratres incoluere, ſacro in loco quem aptaverant Supremo Numini litantes, conſuetisque Inſtituti officiis conſulentes proximorum ſaluti. Emptus denique amplior ſitus, qui jure Dotali ad Hieronymum Moſchettinum attinebat, ad erectionem Templi ac Cœnobii aptiſſimus: publicæque Tabulæ confectæ *die Sabbato XXIX. Februarii anno M. DCC. XVI. a Michaële Novajolo Notario.* Eodem an-

no, Civibus Oppidi, ac frequenti populorum turba ſpectantibus, poſitus eſt *die Dominico XIII. Decembris* primus Eccleſiæ lapis in honorem *SS. Dominici*, & *Leopoldi*, qui pridem ad tutelam delecti fuerant. Cœptum urgentes opus Noſtrates, Odeum, ac Bemma biennio nondum abſoluto completa viderunt, ac Navis magnam partem ædificatam. Prope junctam Domunculam in Cœnobioli formam redegerunt, cubiculis ac cellis pro anguſtia loci diſtinctam: in eamque migrarunt *anno M. DCC. XVIII. die VII. Septembris*, ut ſacras in novo Templo functiones peragerent. Priores Ædes, celebrato contractu, juſtoque ſoluto acceptoque pretio, traditæ ſunt Virginibus quibuſdam, quæ vitam agunt a ſeculo ſecretam ſub auſpiciis *Divæ Catharinæ Senenſis*; habentque pro inſtituto, ut bonis artibus puellas inſtituant, ac Fidei rudimenta doceant. Novi demum Cœnobii poſita ſunt anno 1729. die 26. Aprilis fundamenta: ipſumque, majorem partem affabre ſciteque conſtructum, prioris Domunculæ anguſtiis relictis, modo incolunt Fratres. Agunt vero pro viribus, ut cœptum Cœnobium perducant ad conſummationem.



CAPUT XXVII.

Cœnobiola, Nauplienſe in Peloponneſo, & Argoſtolenſe in Cephalenia. De reformatione Provinciæ Dalmatinæ conſilium.

I. *Novam Domum Naupliæ in Peloponneſo erigunt Alumni Congregationis.*

LAtius per hæc tempora explicari fines contigit Congregationis, eoſque proferri ad Orientis Provincias, Venetæ Majeſtati ſubjectas. Acceſſere nova Domus *Nauplienſis* in Peloponneſo, ac altera in Portu *Argoſtoli* dicto, in Inſula Cephalenia. Utriusque originem, ac primæ jacturam in fœda Regni Peloponneſiaci per Turcas inlata clade, dimiſſionemque ſecundæ poſt Corcyræ obſidionem, notis Chronicis diſtinguere libet, memoriæque poſterorum tradere.

Victricibus Venetæ Reipublicæ armis capta fuit anno 1686. ac ſubjugata, Franciſco Mauroceno Imperatore, Civitas *Nauplia* in Peloponneſo, vulgo *Morea*, ad ſinum Ar-

Argolicum posita, totius Regni princeps, ac olim Episcopalis sub Archiepiscopo *Corinthio*. Nihil habuit antiquius Senatus Venetus, quam ut in illas Regiones, a Domino exercituum concessas, Ecclesiastici Viri transmitterentur ex Ordinibus Disciplina Regulari præstantibus, qui populos legitima fidei ac morum doctrina informarent, pietatisque præberent exempla Græcæ genti. Alumni Congregationis nostræ inter cæteros delecti sunt. Missi fuerunt primi, *Thomas Baretta*, *Bartholomæus Cavagnius*, *Leonardus Ragusinus*, & *Dominicus Maria Timon*. Duo priores grassante peste afflati, paullo post obierunt. Ducales litteras detulerant ipsi ad Maurocenum, quæ latine sueta formula inscribuntur hoc modo: *Marcus-Antonius Justinianus Dei gratia Dux Venetiarum Nobili & Sapienti Viro Francisco Mauroceno Equiti D. Marci Procuratori Capitaneo nostro Generali Maris Fideli Dilecto salutem & dilectionis affectum*. Alumnorum, quos memoravimus, probitas, doctrina, ac optima voluntas Italicis verbis commendantur; quorum opera ad Instituti normam in proximorum salutem uti possit laudatus Maurocenus, ac debeat. *Datæ* leguntur *in nostro Ducali. Palatio die XVII. Octobris Indictione* X. M. DC. LXXXVI.

Meschitam, in superiore Civitatis munimento positam, quam jusserat Maurocenus sub nuncupatione *S. Marci* sacris initiari Ecclesiæ ritibus, Dominicanis tradidit cum Ædibus juxta positis in Cœnobiolum erigendis: animarumque curam demandavit, ab eisdem exercendam. Decretum latum est *e Triremi*, (latine reddimus subscriptionem,) *apud Naupliam Romaniæ die VIII. Aprilis anno M. DC. LXXXVII. S. N. Felice Gallo a Secretis*. In album Patriciæ Venetorum nobilitatis Familia *Gallorum* postea connumerata est: idemque *Felix* benevolam erga nos voluntatem tota vita gessit, probavitque. Ineptus vero locus erat, minusque commodus, in quem Civitatis inferioris incolæ confluerent ad sacra Mysteria. Hac ratione, aliisque causis permotus *Dominicus Mocenicus*, cui summa rei Militaris post obitum Hieronymi Cornelii commissa fuerat, Ædes ampliores in ipsa inferiore Civitate, cum Ecclesia *Divo Antonio* Sacra, Franciscanis tertii ut nuncupantur Ordinis dimissis, pro sua concessit Nostratibus humanitate, Decreto scripto Naupliæ *in Romania die XVII. Februarii anno M. DC. XCII.*

mo-

more Veneto S. N. (ideſt anno vulgari M. DC. XCIII.) ſubſcribente *Marino Marino a Secretis.*

Acceptas ædes refecerunt, ampliaruntque Fratres: Eccleſiamque deformatam, pluribus magno ſumptu comparatis ornamentis honeſtarunt. Sacris pro dignitate fungebantur muneribus, Marianum Pſalterium fidelibus colendum proponebant, ſeduloque vacabant proximorum ſaluti. Tot meritis, de quibus certior *Antoninus Clocbe* factus fuerat, vicem rependens, *Nauplienſem* Domum ſubjecit Præfecturæ Congregationis. Hanc litteris declaravit mentem, queis Acta Diætæ, anno *1694.* celebratæ, auctoritate ſua pro more roboravit. Verba ſunt : " Cum noverimus, quo cum fructu Fratres noſtri hujuſce Congregationis Naupliæ ad fidelium ſalutem inſudaverint, ac inſudare non deſinunt; cenſuimus nihil fore utilius, quam ſi Vicario pro tempore hujus Congregationis curam eas in partes Fratres transmittendi committeremus: ita tamen ut alios ex aliis Provinciis Naupliam deputare non poſſit, ſed duntaxat eos qui ex eadem Congregatione ſunt, aut in ea enutriti aut educati fuerint: facultatemque eidem Vicario facimus, inſtituendi Vicarium Domus S. Antonii Naupliæ, in qua Fratres noſtri inſerviunt; cui damus auctoritatem ſupra omnes Fratres, quos eas in partes adventare contigerit. Incorporantes eamdem Domum S. Antonii Naupliæ præfatæ Congregationi, ipſique eam aggregamus ... Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die VI. Novembris M. DC. XCV. F. Antoninus Cloche Magiſter Ordinis. Reg. fol. 5. F. Salvator Aſcanio Magiſter & Socius. "

Accidit vero, hoc eodem anno *1695.* ex Inſula *Chio*, quam Veneti deſeruerant, profugum Naupliam advenraſſe *Leonardum Balſarinum*, Chienſem Epiſcopum: ipſumque anno inſequente *Corinthiæ* Eccleſiæ, Senatus Veneti ſuffragiis, & auctoritate Apoſtolica præfectum fuiſſe. Sedem ſibi Naupliæ conſtitui, petebat Archiepiſcopus: idemque Templum *Divi Antonii* cum animarum cura nobis antea conceſſum, Ædesque noſtras optabat. Meſchitam aliam, in qua res Frumentaria ſervabatur, nobis in ſacros uſus tradendam proponebat *Auguſtinus Sagredus*, Generalis Regni Proviſor: ac ultro Senatus conſen-

fenfit datis Litteris *die XXVI. Julii anno M.DC.XCVII.* De Sede priore migravimus, inita anno *1699.* novi loci poffeffione, eademque Mefchita Virgini Deiparæ dicata fub nuncupatione *Rofarii*.

Domus alia in Infula *Cephaleniæ* anno infequente acceffit. Datas hac de re Litteras legimus ab Antonino Cloche. Verba funt: "Nos F. Antoninus Cloche S. Th. 11.
Domus Argoftolenfis in Cephalenia Congregationi adjuncta.
„ Profeffor Ordinis F.F. Prædicatorum humilis Magifter
„ Generalis & Sevus falutem. Conventui noftro Cepha-
„ leniæ ad illius obfervantiam regularem provifuri, ni-
„ hil utilius fore exiftimavimus, quam fi ipfum Con-
„ gregationi B. Jacobi Salomonii, in qua benedicente
„ Deo viget Regularis difciplina, uniremus. Ideo teno-
„ re præfentium & Officii noftri auctoritate, prenomi-
„ natum Conventum Cephaleniæ Ordinis noftri unimus
„ Congregationi noftræ B. Jacobi Salomonii Venetiarum,
„ & unitum per Præfentes dicimus cum omnibus juri-
„ bus & gratiis, quibus cæteri Conventus ejusdem Con-
„ gregationis potiuntur & gaudent. Committentes Mo-
„ derno Patri Vicario Generali, ut poffeffionem ejusdem
„ Conventus fecundum praxim Ordinis accipiat, & Fra-
„ tres in eodem Conventu ex eadem Congregatione de-
„ putet & affignet: Superiorem dicti Conventus inftituat
„ pro hac vice tantum, fervatis impofterum juribus &
„ Privilegiis Fratribus in eodem affignatis, quibus cæ-
„ teri Fratres affignati in Conventibus ejusdem Congre-
„ gationis potiuntur & fruuntur. Ita tamen ut in eodem
„ Conventu Cephaleniæ eadem vigeat Obfervantia re-
„ gularis, ficut viget in Conventibus ejusdem Congre-
„ gationis: & fic Conventum ejusdem Congregationis
„ per præfentes dicimus & declaramus. In nomine Pa-
„ tris &c. In quorum fidem. Datum Rome die XXIII.
„ Januarii M.DCC. F. Antoninus Cloche Magifter Or-
„ dinis. Reg. fol. 82. F. Jofeph M. Brouet Magifter &
„ Socius."

In loco fcilicet, ac portu, *Argoftoli* dicto, in ea Infulæ parte quæ ad Auftrum vergit, Civibus frequenti, Ecclefiam Virgini Deiparæ fub titulo *Salutis* dudum excitaverat *Francifcus Caënatius*, Italus, & Rodiginus origine. Ipfam Ecclefiam cum Ædibus adjunctis Ordini Prædicatorum oblatam patefaciunt Tabulæ *anno 1646. die 29. Januarii* confectæ; fed ipfam diu poft Ordini ad-

fcri-

ſcriptam a Jo: Thoma de Roccaberti Generali Magiſtro, docent ejus litteræ *anno 1673.* datæ *die 20. Martii*. Regimen ergo loci, quem Præfecturæ Congregationis addixerat Magiſter Generalis, tenuit aliquot annos *Jo: Matthias Noſenus*: quo vita anno 1704. functo, litteras dedit *Jo: Vincentius Philippus* ex Ordine Servorum, latinus Epiſcopus *Zacynthi* & *Cephaleniæ*, tum Romam ad Antoninum Cloche, tum Venetias ad Angelum-Mariam Paſinum Præfectum Congregationi; ut in locum *Argoſtolenſem* probos, idoneosque Miniſtros mitterent, qui Domum eamdem Fratribus deſtitutam incolerent, ac Ordini ſervarent. Neque ſatis *Philippi* votis facere, neque Antonino Cloche id conſulenti morem gerere Paſinus potuit, cum præſto non eſſent Operarii, quos novam illam in vineam transmitteret. Interim loci, & Eccleſiæ curam prudentiſſimo, ac benevolo Antiſtiti committendam fore, donec opportuna, ac decens parari miſſio poſſet, Magiſtro Ordinis conſentiente, ſancitum fuit: eaque de re Tabulæ ſcriptæ anno 1705. quas ipſe *Philippus* manu propria, ſigilloque conſignaret.

Utramque Domum ſervare, *Nauplienſem*, & *Argoſtolenſem*; idoneosque Fratres deligere, quibus illarum cura ac regimen committeretur, nimium grave ac permoleſtum videbatur. Locorum diſtantia, penuria proventuum, modica proficiendi ſpes inter gentes duræ cervicis, laxandæque Regularis diſciplinæ prompta occaſio revocabant Graviores Patres a conſilio, quominus operi cœpto inſiſterent. Urgebat vero *Philippus* Generalem Ordinis Magiſtrum, ſimulque Præfectum Congregationi, ut ſuppetias ferrent, transmiſſis Alumnis, qui Religionis decus in Inſula *Cephaleniæ* proveherent: ipſiusque Principis acceſſit mandatum, ut alii *Naupliam* mitterentur, qui diligentiorem novi loci curam gererent.

III. *Utriuſque Domus incrementa.*

Ad utrumque locum novi Alumni miſſi ſunt, ſtatisque temporibus alii ſuffecti. *Argoſtolenſis* Domus regimen ſuſcepit *Jo: Chryſoſtomus Calvus* anno 1708. Hujuſce Viri præclara merita ipſum ad Inſulas *Zacynthi* & *Cephaleniæ* evexerunt, quas anno 1718. lubens abdicaverat Philippus ad Eccleſiam *Caprulanam* in Æſtuariis Adriacis a Clemente XI. translatus. Idem *Calvus* a Benedicto XIII. dictus eſt anno 1729. die 7. Septembris Epiſcopus *Leopoleos*, ſeu *Feretranus* ſub Archiepiſcopo Urbinate. Plures in Ar-

in Archivo Congregationis adſervantur Litteræ Antonini Cloche, quibus effuſas *Philippi Antiſtitis* laudes in Argoſtolenſes Fratres læto animo ſignificat. Civibus etiam Cephalenis probitas eorum commendabatur: fueruntque inter Græcos, qui pecuniarum ſummam obtulere ad erectionem Collegii, in quo Adoleſcentuli probatis moribus, ac litteris imbuerentur. Spes etiam facta, Cœnobiolum erigendi in pago *Lixuri*: deque novo Hoſpitio in Inſula *Leucadia*, vulgo *S. Maura*, agebatur. Vota ſua frequentius aperiebat *Auguſtus Zaccus*, Archiepiſcopus Corcyræ: expoſuitque, dum Romæ diverſabatur, Antonino Cloche ut in eam Civitatem, ubi multa meſſis, diligentes e Congregatione operarii mitterentur. Hanc ſibi gratiam, & exiſtimationem probitate morum, primævæ Regularis diſciplinæ officiis, aſſiduoque ſtudio in proximorum ſalute procuranda, Alumnos noſtros peperiſſe, ex Documentis addiſcimus quæ ſervantur in Archivo.

Pari diligentia qui *Naupliæ* morabantur, Meſchitam tertia vice conceſſam refecerunt, ornaruntque, ac dignum Deo Templum reddidere. Priore Hoſpitio dimiſſo, quod procul erat, novam Domum ſatis amplam collectis benevolorum eleemoſynis excitarunt: ubi vitæ rationem eamdem, ac in reliquis Cœnobiis Congregationis, ducebant rigidioris diſciplinæ officiis exercitam, aſſiduamque die noctuque in operibus caritatis erga proximos.

IV. *Perit Naupliensis Domus in clade Regni Peloponnesiaci. Domus etiam Argostolensis abdicatur.*

Hanc vero amiſimus (proh dolor!) in extrema clade Civitatis principis, totiuſque Regni Peloponneſiaci, quam immenſæ Turcarum copiæ anno 1715. intulerunt. Aliqui Fratres cum *Angelo Maria-Carlino*, qui poſt Balſarinum Inſulas *Corinthiacas* geſtabat, truncati ſunt: aliique in Africam captivi ducti, quos demum magno redemptionis pretio numerato in Patriam reduces amplexati ſumus.

Inſequente anno, Corcyra obſidione cincta, diſcedentes Alumni *Argoſtolenſes* e Portu barbarorum depopulationibus obnoxio, partim in Venetorum navibus excepti ſunt, partim in ipſa Corcyra Civitate. Obſidione ſoluta, fugatiſque Turcis, moleſtior deinceps viſa eſt *Cephalena* ſtatio: neque nobis præſto fuerunt Fratres, qui locum illum facile incolerent. Translato demum anno 1729. ad

 Leo-

Leopolitanam Ecclesiam Calvo, tradere Domum *Argoſtolenſem* Generali Magiſtro Ordinis, animo conſtituimus: quod Patrum ſuffragio decrevit, perfecitque *Jo: Jacobus Polus*, Præfectus Congregationi anno 1732. die *16.* Februarii.

V.
Reformationem Provinciæ Dalmatinæ per Alumnos Congregationis molitur animo Antoninus Cloche. Res in irritum cadit.

Grande, & arduum ſuccedit opus, quod *Antoninus Cloche*, capeſſita Ordinis Præfectura, moliri cœpit: idemque perficiundum curabat Alumnorum Congregationis ſtudio, ac labore. Provinciam *Dalmatinam*, in qua collapſam dolebat Regularem diſciplinam, minutum Fratrum numerum, litterarum ſtudium neglectum, ut in ſplendorem priſtinum revocaret, pro viribus niti decreverat. Datis *Romæ* litteris *anno M.DC.XCVIII. die VIII. Februarii*, conceptam aperuit ſententiam Hyacintho Bigontinæ, qui Congregationis Præfecturam exercebat. Unionem ejusdem Provinciæ proponebat cum Congregatione, auctoritate Apoſtolica indicendam, ut unius corporis vigor, ac ſanitas in alterum corpus refflueret: quo ſane modo Præceſſores Generales Magiſtros non ſemel Reformationis Provinciarum opus perfeciſſe, Hiſtoriæ produnt.

Demandari ſibi munus arduum, & aleæ plenum, animadvertebant Noſtrates. Unionis perficiundæ modos, quicumque excogitari poſſent, magnis affici difficultatibus: ac plurima nobis inferri damna poſſe, aliorum emolumenta quærentibus. *Dalmatas* Alumnos machinas omnes adhibituros, ut Provinciæ jura tutarentur, Gradus titulosque invectasque diſpenſationes vindicarent, eamdemque ducere pergerent vitæ rationem, quæ ab adoleſcentia placuerat. Alumnos etiam *Provinciæ Venetæ* trahendos in partes, ut veluti communem cauſam tuerentur: totisque viribus impedituros, quo minus avulſio fieret Congregationis, quam juribus Provinciæ addictam inſtituerat *Jo: Baptiſta de Marinis*, eaque ratione erectam *Alexander VII.* confirmaverat. Locorum denique diſtantia, periculis itineris, ac moleſtia, longiore mora in dirimendis negotiis, ipſorumque Civium Dalmatarum vel amicitia vel conſanguinitatis cauſa vario ſtudio affectuque, pluribusque id genus circumſtantiis, injuncti operis difficultatem augeri.

Reponebat Generalis Magiſter, laborioſum quidem eſſe *Reformationis* opus, magnisque ſeptum difficultatibus,

quæ

quæ proponebantur : verum etiam præsto fore subsidia, quæ rem perducere ad optatum exitum valeant. Unionis conceptæ Decretum obtineri facile posse a Summo Pontifice: id omne se præstiturum, auctoritate adhibita qua pollet, quod expedire videretur : *Dalmatas* plures Antistites datis litteris collapsæ disciplinæ instaurationem postulare, eademque esse vota quamplurium *Dalmatinæ* Provinciæ Alumnorum: ac unam postremo desiderari propitiam Principis voluntatem, cujus nutu mandari salubre consilium executioni tuto queat. *Dalmatarum* Præsulum, quos memorabat Magister Ordinis, in Archivo Congregationis adservantur epistolæ. Sunt vero *Stephanus Cosmus* e Congregatione Somasca, ad Spalatensem Archiepiscopatum evectus; *Raimundus Aspertus* Phariæ, vulgo *Lesina*, Episcopus ex Ordine nostro adsumptus; ac etiam *Catharensis*, & *Traguriensis*. De negotio ad annum usque 1706. continenter egit Antoninus Cloche.

Opus ergo tam præclare commendatum aggressi sunt Majores nostri. Primo loco Ducales litteræ occurrunt, *ab Aloysio Mocenico Dei gratia Duce Venetiarum* datæ *Nobili & Sapienti Viro Justino a Ripa Provisori Generali Dalmatiæ & Albaniæ*, consignatæque *die IX. Januarii Indictione XIV. anno M.DCC.V.* more Veneto, idest anno 1706. Perquisitio mandabatur de Provinciæ *Dalmatinæ* statu, Cœnobiorum numero, Fratrum moribus ac disciplina. Redditæ litteræ sunt a Proconsule, seu *Provisore Generali*, ut vocant, ex *urbe Jadera die XII. Februarii*, eodem anno 1705. more veneto : quæ faciem Provinciæ deformatam exhibent, novique splendoris indigam.

Tum Antonino Cloche morem gerens *Jo: Albertus Tabaccus*, Præfectus Congregationi, primum qui animo obversabatur, Reformationis perficiundæ modum, nonnullis oblatis propositionibus anno 1699. exposuerat. " 1. " Suppresso titulo *Congregationis*, hæc in *Provinciam* " erigatur sub priore *B. Jacobi Salomonii* nuncupatione, " in integrum manentibus Venetæ Provinciæ *S. Dominici* juribus. 2. Novæ Provinciæ addicta remaneant pro- " pria Cœnobia, in quibus Regularis viget observantia: " cæteraque *Dalmatina* subjiciantur. 3. Vicarius Gene- " ralis *Congregationis* institui debeat primus *novæ Pro-* " *vinciæ* Præfectus : Successoresque de more eligi de-

„ beant in *Comitiis Provincialibus*, quibus præter Cœ-
„ nobiorum Priores, interesse debeant cæteri omnes,
„ qui jure potiuntur suffragii in Diætis. 4. Provinciæ
„ præficiatur nemo, qui duodecim saltem annos vitam
„ communem non coluerit, egregiumque non dederit
„ Regularis observantiæ specimen: itemque Priores eli-
„ gendi, quatuor saltem in rigidioris Disciplinæ Officiis
„ expleverint annos. 5. Cœnobia tria *Dalmatinæ* Pro-
„ vinciæ illico novi Provincialis regimini, & curæ
„ committantur, ut in eis collapsa disciplina erigatur.
„ 6. In *Comitiis Provincialibus*, quæ secundo quoque an-
„ no celebrari solent, unum pariter, vel alterum con-
„ cedatur, prout opus fuerit, Cœnobium instauratæ Di-
„ sciplinæ cultoribus. 7. Cœnobia nondum reformata
„ pergat regere antiquus *Prior Provincialis Dalmata*:
„ subsint vero Novi Provincialis jurisdictioni cætera, in
„ quibus *Reformationis* opus, Deo dante, perfectum fue-
„ rit. 8. In eisdem Cœnobiis non reformatis habitum Or-
„ dinis non induant Juvenes Candidati, nec vota Reli-
„ gionis emittant. 9. Majore demum parte Cœnobio-
„ rum, vel omnibus ad primævam formam redactis, *Re-*
„ *formata* consurgat *Provincia Dalmatiæ*: eademque se-
„ juncta, ac distincta a nova Provincia *B. Jacobi Salo-*
„ *monii*. "

Quæ postrema propositæ *Reformationis* pars Majores nostros egregie vindicat ab eo, quo notabantur, ampliandæ jurisdictionis ambitu. Mediocritatem animi luculentius altera procurandæ *Reformationis* ratio demonstrat, quam Magistro Generali, opus vehementius urgenti, proposuit *Reginaldus Panighetus*, cœtu Patrum Graviorum anno 1705. die 14. Augusti convocato. "Sua
„ namque jura *Provinciæ Dalmatinæ* serventur: neque
„ *Congregatio* ad Provinciæ statum evehatur. Auctorita-
„ te Apostolica Cœnobium designetur, in quo Regula-
„ ris observantia per alumnos Congregationis instaure-
„ tur: eademque paullatim in reliqua, Deo dante incre-
„ menta, ipsiusque Pontificiæ potestatis præsidio, propa-
„ getur Cœnobia. Pareant *reformatæ* Domus tum *Præ-*
„ *fecto Provinciæ*, tum *Vicario Congregationis*; inter
„ utrumque distributis Præfecturæ muneribus ad normam
„ Diplomatis, quo *Jo: Baptista de Marinis* Congregatio-
„ nem, Venetæ Provinciæ adnexam, instituit. Cætera
„ ser-

„ ferventur, quæ ad rectam œconomiam regiminis, ad „ juvenum tirocinium, ad florem ftudiorum in eadem „ *Congregatione* conftituta funt, ac vigent. "

Hæc Antonino Cloche propofuerant Noftrates, ut ejus de reformatione *Provinciæ Dalmatinæ* confilium, fi fieri quidem poffet, executioni mandaretur. Plurima, ut prævifum fuerat, obftabant impedimenta, quæ mentem manumque noftram ab opere fancto revocarunt, ipfiusque Magiftri Generalis ardorem cohibuere. Satis eft hæc protuliffe, ut quod inde Congregationi accedit, ornamentum pateat.

CAPUT XXVIII.

Cœnobium Cordubatenfe in Provincia Forojulii, ac Diœcefi Concordienfi. Avulfio Congregationis a Provincia Veneta, Diplomate Clementis XI. indicta. Jus ferendi fuffragii in Comitiis Generalibus, a Clemente XII. Conceffum Congregationibus. Alumnorum Congregationis noftræ Confilium. Jus idem a Benedicto XIV. revocatum.

I. *Cordubatenfis Ecclefiæ fub nuncupatione B. Virginis origo. Ius Cordubati Caftri vetufta monumenta.*

Cordubatum appellat Henricus Palladius, *antiquo Caftro, & nova Virginis æde clarum*. Infra *S. Vitum* aperto fitum eft in campo: feptemque circiter M. P. diftat *Portu-gruario*, ubi fedem habent Concordienfes Epifcopi. Nomina *Cordovati*, *Corduati*, & *Cordubati* publicis legimus in Tabulis, vetuftis, ac recentibus. Diploma Urbani III. proftat apud Ughellum Venetæ editionis, quo Jonathæ Antiftiti Concordiæ feculo XII. cadente Privilegia conceduntur; habeturque mentio *Villæ de Corderado*, & *Plebis de Corderado*.

Utroque in loco *Cordevadum* lege: ac Villam intellige, Caftro ejusdem nominis junctam. In eadem Ughelli editione Tabulæ recenfentur *Inquifitionis*, quam *anno M. CCC. XXXVIII. Indictione fexta die XIII. Martii* fieri juffit *Guido Epifcopus*, ut falva confifteret temporalis jurisdictio, quam in loco, vicinisque pagis exercent Præfules Concordienfes. Verba refero: " Quod Jurisdictio „ temporalis cum Garrito in dicta Villa (*Foffalta*) per„ tinet ad Dominum Epifcopum Concordienfem: & eam „ exer-

„ exercet per suum Gastaldionem, qui tenet placitum
„ Advocatiæ singulis annis in dicta Villa Fossaltæ; ad
„ quod conveniunt homines de Villis Dominatunæ, Li-
„ pugnanæ, Biragi, Justagi, Vadi, Gurgi, Portus-vete-
„ ris, Cintelli, Cordevadi, Saleti, Suzolini, Filei. Ve-
„ rum est, quod dicta Gastaldia modo divisa est: & fa-
„ ctus est Gastaldio in Cordevado, sub quo respondent
„ Villæ Cintelli, & S. Joannis de Caxarla. Et per di-
„ ctos Gastaldiones in prædictis Villis fit Justitia, tam
„ in Civilibus, quam in Criminalibus causis." Villam primam lege *Metunam*, ac postremam *S. Joannem de Casarza*. Gastaldio Cordubati labente tempore *Capitaneus* dictus est: quocum assident ad jus dicendum Nobilium loci duo, duoque Popularium. Vocem denique Theotonicam *Gariti*, seu *Garicti* Synonimam esse cum voce *jurisdictionis*, ac frequentius in Tabulis loco pleonasmi adhiberi, eademque variam significari jurisdictionem pro varia personarum conditione, proque variis conferendi „ jurisdictionem modis, adnotant Scriptores.

Nova *B. Virginis* Ædes ornamentum loco attulit. Originem ejus narro. Picta in pariete colebatur imago Deiparæ in publica via extra Cordubatum. Plura feruntur, in ejusdem honorem patrata a Deo miracula. Tabulas refero *Cordubati* confectas *anno a Nativitate M. DC. Indictione XIII. die vero Lunæ III. Mensis Januarii*, in quibus hæc habentur verba: " Ibique cum S. Daniel
„ q. S. Josephi Sclavoni de Castro-Novo, incola Villæ
„ Rodincich, jurisdictionis Illustrissimorum D.D. de Val-
„ vasono, votum fecisset, sic inspiratus ab Omnipotenti
„ Deo ejusque Gloriosissima Matre Maria; voluntarie &
„ & de plano per se suosque Heredes se obligavit, & pro-
„ misit dare & solvere annuatim singuloque anno de li-
„ vello Beatissimæ & Gloriosissimæ semper Virgini Ma-
„ riæ Miraculorum statuæ seu Capitelli, positi & jacen-
„ tis super strata publica extra Burgum novum Cordu-
„ bat, eundo Sacudellum penes vadum Curregeato-
„ rum . . . Ego Dominicus Zaccolus de Cordubato q.
„ S. Antonii Zaccoli publicus Imperiali auctoritate No-
„ tarius." Veterem situm habes, ubi sacra illa imago olim colebatur. Eodem anno captum erigendæ Sacræ Ædis consilium sequentes Tabulæ docent. " Anno Do-
„ mini M. DC. Indictione XIII. die vero Mercurii XXV.
Men-

„ Mensis Januarii. Actum in Castro Cordubati ... ubi „ personaliter constitutus S. Baptista filius q. S. Marci „ de Ajuta de Cordubato, volens exequi votum per se „ factum B. Mariæ Capitelli apud Burgum-novum pe- „ nes Stratam publicam tendentem ad Villam Sacudel- „ li, & aquam dictam *Lo guado de Carradori;* ex nunc „ legavit fabricæ seu Ecclesiæ faciendæ prædicti Capi- „ telli ... Ego Franciscus filius Sp. D. Bartholomæi de „ Federicis Civis Opitergii , & Incola Castri Corduba- „ ti, publicus Imperiali auctoritate Notarius. “

Hanc post bienium jam erectam Ædem , completamque, ex alio colligimus Documento. Priora verba refero: “ Anno a Nativitate ejusdem (Domini) M. DC. II. „ Indictione XV. Die Lunæ XVIII. Martii ... *Item io* „ *lasso , e dono , & ho donato e legato alla Veneranda* „ *Chiesa della Madonna de' Miracoli di Cordovato* .... Ego „ Joannes Andreas Cabalettus Notarius & Cancellarius „ de Quadruvio. “ Annum denique, Mensem, Diemque Consecrationis legimus in Epigraphe supra fores intus posita: *Beatissimæ Virgini Dei Matri Mirificæ Matthæus Sanuto Epus Concordien. quotidiana pii Populi stipe , & sua industria fundatum extructumque , consecravit Kal. Maiis anno M. DC. III.*

II. *Eadem Ecclesia cum Ædibus adjunctis in Cœnobium erigendis traditur Alumnis Congregationis.*

Templum mediocre est, sed elegans: octogona figura constructum, ornatumque selectis lapidibus , marmoreis Aris, & fornice picta, ac inaurata. Ædes adjunctæ sunt, quas incolerent Æditui quinque Sacerdotes. Hi constituto annuo stipendio, quotidie litare sacrificia tenebantur, sacris officiis defungi , deiparæque cultui operam dare . Post seculum negligenter agebantur omnia . Hac ratione *Paulus Vallaressus*, Concordiæ Antistes, Civesque humanissimi *Cordubatenses* permoti, locum tradere Regularibus Viris constituerunt , qui diligentius Sacra peragerent munera , Parœco gravi animarum cura occupato susibdium ferrent, ac juvenibus loci litteras ac scientias traderent.

Delecti sunt Alumni Congregationis, quos *Vallaressus* impensius diligebat . Pacti sunt annui proventus : Senatusque Veneti consensus, oblato Libello supplici, postulatus est. Regium beneplacitum Litteræ Ducales significant, a *Joanne Cornelio Dei gratia Duce Venetiarum* datæ *Nobilibus & Sapientibus Viris Natali Donato de suo* man-

mandato Locumtenenti Patriæ Forijulii & Successoribus Fidelibus Dilectis. Consignatas *legimus in Ducali Palatio die XXVIII. Julii Indictione V. M. DCC. XII.*

Consuetam facultatem exoratus, lubenti animo, largitus est *Antoninus Clocbe*, qui magna intellexit voluptate dilatationem Congregationis, in eaque vigentis Regularis Disciplinæ incrementa. Animi sensus aperuit Litteris datis *die XX. Augusti M. DCC. XII.* subscribente *Thoma Ripoll Magistro Provinciali Terræ Santæ & Socio*. Verba sunt: " Providentiæ nostræ est ac singularis „ solicitudinis, ut Fratres nostri latius palmites Reli- „ gionis diffundant, & ad salutem animarum cum vo- „ cati fuerint novos Conventus erigant. Sane cum ani- „ mi nostri voluptate didicimus, quod Fratres nostri „ Congregationis B. Jacobi Salomonii Venetiarum ob „ Regularis observantiæ bonum nomen, & famam a „ Dominis Terræ de Cordubato, Diœcesis Concordien- „ sis, vocati sunt ad erectionem novi Conventus in di- „ cta Terra &c. " Transmissa quoque Romam a Vallaresso instructione, facile annuit Sacra Congregatio *Negotiis*, *& Consultationibus Episcoporum*, *& Regularium præposita*, Rescripto dato *die XV. Septembr. M. DCC. XIII.*

Tum traditionis Ecclesiæ, ac Ædium, proventuumque Tabulæ confectæ *die XVII. Aprilis* insequente *anno M. DCC. XIV.* a *Benedicto Rappa Notario*. Pro sibi vero demandata auctoritate Decretum tulit Antistes Concordiæ. " Paulus Vallaressus Dei & Apostolicæ Sedis „ gratia Episcopus Concordiæ, Dux, Marchio, Comes, „ & Pontificio solio Prælatus assistens. Cum nobis a „ S. Congregatione Eminentiss. S. R. E. Cardinalium, „ Negotiis & Consultationibus Episcoporum & Regula- „ rium præposita, demandata sit executio in forma com- „ missaria Decreti ejusdem Congregationis die XV. Se- „ ptembris M. DCC. XIII. super supplicatione porrecta „ pro introductione Fratrum Regularium de Observan- „ tia Congregationis B. Jacobi Salomonii Venetiarum: „ neque pro nunc subsistant omnes conditiones requisitæ „ ab eodem Decreto pro erectione Conventus formalis „ ideo ut dicti Patres possint ac debeant quamprimum „ perficere omnia necessaria ad formalem Institutionem „ Conventus, ita quod sit omnibus numeris absolutus „ juxta Decretum prædictum: ne interim deficiat divi-

„ nus

„ nus cultus in eadem Ecclesia B. Virginis Mariæ, cujus „ per publicum Instrumentum rogatum in Actis Sp. „ D. Benedicti Rappa Notarii hujus Civitatis diei XVII. „ currentis Mensis facta fuit resignatio ac plena renunciatio eisdem Patribus a Ven. Confraternitate piæ Domus dictæ Terræ, ut in dicto Instrumento ad quod „ plena relatio habeatur; Nos igitur Episcopus, & Commissarius ad hoc specialiter electus, auctoritate Apo„ stolica qua fungimur in hac parte, ad muneris nostri „ ut supra injuncti executionem procedendo, Ecclesiam „ S. Mariæ præmissam, quæ hucusque secularis extitit, „ in Ecclesiam Regularem erigimus, constituimus, & „ respective transferimus cum omnibus & singulis Privilegiis, facultatibus, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, prærogativis, indulgentiis etiam plenariis, „ & peccatorum remissionibus, cæterisque gratiis universis, tam spiritualibus, quam temporalibus quibuscumque Ecclesiis dicti Ordinis illorumque Superioribus, Fratribus, & utriusque sexus Christifidelibus eamdem Ecclesiam visitantibus, in genere & in specie, „ per viam simplicis communicationis, aliisque quomodolibet concessis & pro tempore concedendis. In quorum fidem & testimonium præsentes nostras per Cancellarium nostrum Epistolas dari mandavimus, & Sigillo nostro epistolari, quo in similibus utimur, jussimus & fecimus appensione muniri. Datum Portusgruarii ex Cancellaria Episcopali die XVIII. Mensis „ Aprilis anno M. DCC. XIV. P. Episcopus Concordiensis. "

Eodem die demandata *Hieronymo Bonaldo*, qui Parœciam loci regebat, provincia est, ut in possessionem mitteret *Hyacinthum Bigontinam*, Præfectum Congregationi. Acta scripsit Cancellarius his verbis. " In Dei eterni nomine Amen. Per hoc præsens publicum Instrumentum universis & singulis ipsum inspecturis, lecturis, & auditaris notum sit: qualiter anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi M. DCC. XIV. Indictione VII. die vero XVIII. Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. Clementis Divina providentia Papæ XI. anno ejus XIV. in Ecclesia „ S. Mariæ nuncupatæ Castri Cordubati jurisdictionis Episcopalis Concordiensis; Reverendus D. Hieronymus

„ Bonaldi, Vicarius Curatus dicti loci, de speciali mandato Illustrissimi ac Reverendissimi D. D. Pauli Vallaressi, Ducis, Comitis, & Marchionis ejusdem loci, „ & Episcopi Concordiensis, ut ex litteris Commissionis in Cancellariæ Episcopalis Actis, registratis, adhibitis consuetis ritibus & solemnitatibus post absolutam prædictam institutionem & erectionem prædictæ Ecclesiæ in Regularem sub Ordine S. Dominici, Reverendum Patrem Hyacinthum Bigontina Vicarium Generalem Congregationis B. Jacobi Salomonii Venetiarum Ordinis Prædicatorum de Observantia per clavium traditionem, & alia consueta in similibus nomine Religionis supradictæ acceptantem posuit ac induxit in actualem, realem, & corporalem possessionem Ecclesiæ S. Mariæ supradictæ cum omnibus annexis, connexis, dependentibus: In qua valeant Fratres supradicti juxta eorum instituti Regulas eam officiare, ac Deo famulari; necnon jura, obventiones, & emolumenta ex ea provenientia, legata, oblationes & eleemosynas eidem Ecclesiæ pro tempore relicta & elargita, relinquenda & elargienda recipere, & in usum ac utilitatem propriam convertere cum omnibus & singulis Privilegiis, honoribus, oneribus, & conditionibus, ut in Instrumento Concessionis, cui semper in omnibus relatio habeatur. Præsentibus Nob. & Reverendissimo D. Friderico de la Fratina Filio N. D. Joan-Joannis Baptistæ de Utino, & Reverendissimo D. Angelo Nonis de Cordubato testibus ad præmissa vocatis, habitis, & rogatis &c. Jo: Jacobus Bolis Cancellarius Episcopalis." Epigraphi superius descriptæ, ex adverso sequentem posuere Fratres: *Paulo Vallaresso Concordiæ Episcopo, quod Templum, ac ædes adjunctas, Civium Cordubatensium assensu, Venetique Senatus consulto, Fratribus Prædicatoribus tradi curavit, grati animi monimentum iidem posuerunt anno M. DCC. XIV.*

III. *Cœnobium erigitur, eleemosynis a Vallaresso Concordiensi Antistite erogatis.*

Sacris ergo defungi muneribus cœperunt Nostrates ad Instituti normam: cæterasque magno emolumento explere pergunt conditiones, quæ statutæ fuerunt. Ædes ut in Cœnobium erigerent, manum admoverunt. Largas ad opus consummandum erogavit eleemosynas *Paulus Vallaressus*: ipsumque absolutum, completumque declaravit Successor ejus, *Jacobus-Maria Ericius*, Patricius Venetus,

tus, e Congregatione nostra ad Insulas *Concordienses* evectus. Latum est consueta forma Decretum *die II. Julii anno M. DCC. XXVI.* subscribente *Jacobo Formenti Cancellario Episcopali*.

IV. Congregationis avulsio a Provincia S. Dominici, Diplomate Clementis XI. indicta.

Tredecim Regularis Observantiæ locis magno laborum impendio comparatis, postremum validissimum ad perennitatem obtinuere Majores nostri præsidium, quod anno 1702. concessit edito Diplomate *Clemens XI.* roboravitque regio beneplacito Principis Majestas anno 1731. ad executionem. Abdicationem suffragii in Comitiis Provincialibus, quæ anno 1692. sancita fuerat, probaverunt Generalia Comitia post duos annos, *Antonino Cloche* præside, celebrata: at eam præterea Apostolica demum firmari auctoritate, summopere exoptabamus. Quo sane jure suffragiorum abdicato, ac omni Provinciæ negotiorum administratione sublata, frustra Congregationis unio reddebatur cum Provincia, quam servandam jusserat *Jo: Baptista de Marinis*, ejusdem Congregationis merentissimus institutor. Accedebat molestum onus multiplicis contribuendæ tum Vicario Generali, tum Præfecto Provinciæ solutionis: ac plurima oriebantur incommoda in perniciem Disciplinæ; quæ omnia radicitus evelli ut possent, avulsionem Congregationis petendam, Majores nostri constituerunt.

Nihil erat, quod juris suffragiorum in Comitiis Provincialibus abdicati adprobationem a Sede Apostolica obtinendam impediret. Operosius agendum fuit, ut animo concepta Congregationis avulsio a Provincia, quam validissimum Disciplinæ regularis præsidium putabamus, eadem sanciretur Apostolica auctoritate. Rei vero momentum optime noverat *Clemens XI.* cui nihil antiquius erat, quam ut collapsam in Cœnobiis instauraret regularem Observantiam, eamdemque instauratam servaret. Supplici oblato libello clementissime annuit, ac utramque, quam postulabamus, facile largitus est gratiam.

Diplomatis verba sunt. " Clemens P. P. XI. ad futu-
" ram rei memoriam. Injuncti nobis divinitus pastoralis
" officii ratio postulat, ut prospero Christifidelium Altis-
" simi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum
" statui, & felici progressui consulere, & ea quæ Regu-
" laris Disciplinæ stabilimento & incremento impedimen-
" tum adferre noscuntur, quantum cum Domino possu-

" mus, e medio tollere studeamus. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius Vicarius Generalis Congregationis B. Jacobi Salomonii Venetiarum Ordinis Fratrum Prædicatorum: quod alias nempe anno 1662. tunc existens Magister Generalis dicti Ordinis, ut Observantia regularis in quosdam Conventus Provinciæ Venetæ ejusdem Ordinis introducta stabiliretur, illos in dictam Congregationem erexit: ipsique Congregationi proprium Vicarium, qui illam regeret, assignavit: Priori tamen Provinciali dictæ Provinciæ pro tempore existenti, ut prædictos Conventus, cum auctoritate Priores ab illis electos confirmandi, visitaret: ac dictis Prioribus, ut Capitulis Provincialibus ejusdem Provinciæ intervenire possent, permisit. Cumque hæc ita ordinata & disposita dictæ Regulari Observantiæ stabiliendæ sufficientia, ac ipsius Provinciæ statui conservando & in melius redigendo utilia visa fuissent, Litteræ in simi forma Brevis illorum confirmatoriæ a fel. rec. Alexandro P. P. VII. Prædecessore nostro obtentæ fuerunt. Verum post modicum experientia compertum fuit, dictam Congregationem propter communicationem inter eam & Provinciam prædictam, ratione interventus dictorum Priorum in prædictis Capitulis Provincialibus intercedentem, & dependentiam eorumdem Priorum & Conventuum prædictorum a dicto Priore Provinciali, eos infelices progressus, quos aliæ Congregationes sub simili consilio & ratione erectæ passæ fuerunt, fecisse, multisque notabilibus malis & inconvenientibus inde emergentibus obnoxiam esse. Quorum duo præcipua sunt: nempe unum quod Vocales dictæ Congregationis, qui animis inter se ad Religiosos magis idoneos ad Officia promovendos conjuncti esse debeant, sollicitationibus & persuasionibus Vocalium prædictæ Provinciæ, cum quibus in dictis Capitulis Provincialibus interveniebant, abducti in diversa studia & factiones dividebantur: & hinc magnæ in dicta Congregatione perturbationes proveniebant, & licentia minus religiosa & disciplinæ regularis relaxatio enascebatur. Cui quidem malo & inconvenienti ut occurreretur, Fratres dictæ Congregationis, quibus id liberum erat, dictis Capitulis Provincialibus intervenire ab aliquot annis destiterunt. Alterum vero, quod visitatio quam dictus

" Prior

„ Prior Provincialis in prædictis Conventibus instituit, „ eisdem Conventibus propter contributiones ab illis faciendas oneri & dispendio tantum esse dignoscitur: „ illiusque occasione in animis Religiosorum præsertim „ juvenum; & aliorum male affectorum tentationes eorum vitæ Regularis instituto contrariæ disseminantur, „ & confoventur, ac inde evenit, ut quotannis plures „ dictam Congregationem deserant, & si id eis impediatur ex ea aufugiant, ac in Conventibus dictæ Provinciæ recipiantur. Huic autem malo & inconvenienti „ nullum nisi ex hujus Sedis providentia remedium afferri, nec ullo magis congruo & efficaci modo Observantia Regularis in dicta Congregatione conservari & „ promoveri posse putatur, quam si ad illius gubernium „ nonnullæ Ordinationes, pro bono Congregationum „ S. Sabinæ utriusque Lombardiæ, & S. Marci Romanæ respective Provinciarum dicti Ordinis regimine in „ quibusdam ven. m. Innocentii P. P. XII. etiam Prædecessoris nostri in eadem forma Brevis litteris super „ illarum erectione emanatis factæ, accommodentur. „ Nobis propterea dictus Vicarius Generalis humiliter „ supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, „ & ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictam regularem Observantiam in „ Congregatione & Conventibus prædictis consolidare, „ & sublatis impedimentis promovere cupientes, ac piis „ ipsius Vicarii Generalis votis hac in re quantum in „ Domino possumus favorabiliter annuere volentes: eumque a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & „ Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, „ & pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel „ causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, „ ad effectum præsentium duntaxat consequendum, Harum serie absolventes & absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium „ Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Dilectorum Romanæ Curiæ Prælatorum super Disciplina Regulari specialiter deputatorum, qui Dilectum etiam „ Filium Procuratorem Generalem dicti Ordinis super „ præmissis audiverunt, consilio; omnes & singulos primo dictæ Congregationis Conventus, eorumque Priores, Fratres, & personas quascumque, cum omnibus &

„ sin-

„ singulis illorum membris, juribus, & pertinentiis uni-
„ versis, ab omni & quacumque jurisdictione, superio-
„ ritate, correctione, visitatione, regimine, cura, & gu-
„ bernio Dilecti Filii Moderni & pro tempore existen-
„ tis Prioris Provincialis Provinciæ Venetæ, tam in tem-
„ poralibus quam in spiritualibus, itaut Congregatio hu-
„ jusmodi Dilecto pariter Filio Moderno & pro tempo-
„ re existenti Magistro Generali Ordinis prædicti im-
„ mediate subjacere debeat, nec in illa ulli alii ipsius
„ Ordinis Superiores præterquam ejusdem Congregatio-
„ nis Vicarius cæterique illius Prælati juxta morem de-
„ putari soliti potestatem aliquam valeant exercere, au-
„ ctoritate Apostolica tenore præsentium eximimus &
„ plenarie liberamus: ac ne imposterum dicti Priores ad
„ prædicta Capitula Provincialia unquam accedant illis-
„ ve intersint, eadem auctoritate Harum serie prohibe-
„ mus & interdicimus. Cæterum in prædictis Conven-
„ tibus, & illis qui deinceps ad dictam Congregationem
„ spectabunt, Fratres omnes ad Regulæ quam professi
„ fuerunt præscriptum vitam instituere & componere,
„ atque illa quæ communem vitam, victum, & vesti-
„ tum concernunt juxta Concilii Tridentini ac rec. m.
„ Clementis P. P. VIII. Prædecessoris pariter nostri De-
„ cretorum tenorem fideliter, ac inviolabiliter observa-
„ re debeant ac omnino teneantur. Eidem vero Con-
„ gregationi Vicarius Generalis, qui illam adjuvante Do-
„ mino salubriter dirigere valeat, ex Fratribus alicujus
„ ex Conventibus hujusmodi is pro tempore assignetur,
„ qui in illis saltem per septennium exactæ Regularis
„ observantiæ specimen dederit, & quantum fieri potest
„ alicui ex eis laudabiliter præfuerit. Porro Dilectus Fi-
„ lius Modernus, & sic pro tempore assignandus Vica-
„ rius eamdem prorsus jurisdictionem & auctoritatem
„ habeat in Conventus & Fratres prædictæ Congregatio-
„ nis, quam juxta Apostolicas & dicti Ordinis Constitu-
„ tiones Priores Provinciales habent in suis Provinciis.
„ Possit quoque idem Vicarius quoscumque Fratres Or-
„ dinis supradicti undecumque venientes suscipere, &
„ eisdem de dictis Conventibus per deputationem vel
„ assignationem providere: quod tamen criminosis juxta
„ dicti Clementis Prædecessoris Decreta nullatenus pro-
„ desse poterit. Non autem intelligantur iidem Fratres
„ Con-

„ Congregationi hujusmodi incorporati , nec in Prio-
„ res, aut Magistros Novitiorum institui valeant , nisi
„ post quadriennium : eoque durante , si ad suos Con-
„ ventus vel Provincias redire voluerint , licentia eis
„ abeundi libere concedatur. Præterea nulli ex Fratribus
„ prædictæ Congregationis , sive intra eam habitum su-
„ sceperit , sive aliunde per quadriennium ut præmitti-
„ tur incorporatus fuerit , permittatur transire ad Con-
„ ventus extra ipsam Congregationem , nisi de licentia
„ pro tempore existentis Vicarii Generalis una cum con-
„ silio sex Graviorum Patrum ejusdem Congregationis :
„ quæ tamen licentia non facile detur , sed omnimoda
„ diligentia & caritatis officia adhibeantur ut abire vo-
„ lentes, in suscepto vitæ instituto confirmentur : quod
„ si adhuc in discedendi voluntate permanserint , tandem
„ dimittantur ne aliis impedimento sint . Salva tamen
„ semper in præmissis auctoritate Congregationis corun-
„ dem Cardinalium & Prælatorum . Decernentes , eas-
„ dem præsentes Litteras semper firmas , validas , & ef-
„ ficaces existere & fore , suosque plenarios & integros
„ effectus sortiri & obtinere , ac illis ab quos spectat &
„ pro tempore quandocumque spectabit in omnibus &
„ per omnia plenissime suffragari , & ab eis respective
„ inviolabiliter observari : sicque in præmissis per quos-
„ cumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cau-
„ sarum Palatii Apostolici Auditores judicari & definiri
„ debere: ac irritum & inane, si secus super his a quo-
„ cumque quavis auctoritate , scienter vel ignoranter ,
„ contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, & qua-
„ tenus opus sit nostra & Cancellariæ Apostolicæ regula
„ de jure quæsito non tollendo , aliisque Constitutioni-
„ bus & Ordinationibus Apostolicis , necnon Congrega-
„ tionis B. Jacobi, Conventuum, Provinciæ , & Ordi-
„ nis Prædicatorum etiam Juramento , confirmatione
„ Apostolica , vel quavis alia firmitate roboratis Statu-
„ tis, & Consuetudinibus, Privilegiis, Indultis, & Lit-
„ teris Apostolicis , in contrarium præmissorum quomo-
„ dolibet concessis, confirmatis , & innovatis . Quibus
„ omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro
„ plene & sufficienter expressis & de verbo ad verbum
„ insertis habentes , illis alias in suo robore permansu-
„ ris , ad præmissorum effectum hac vice duntaxat spe-

„ ciali-

„ cialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis „ quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judiciis, & extra, ubique adhibeatur quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die X. Novembris M.DCC.II. Pontificatus nostri anno secundo. F. Oliverius. "

V.

Idem Pontificium Diploma Regio beneplacito munitum ad executionem.

Gratissimum Diploma, quod a Romano Pontifice, Regularis Disciplinæ servandæ, & amplificandæ cupidissimo obtinuimus, non illico executioni mandatum. Interim frequentia, quæ narrantur in Diplomate, Congregationi in eaque vigenti Observantiæ inferrebantur incommoda: eademque præteriri, aut æquo animo ferri diutius non poterant. Cœtu Patrum coacto sancitum est, ut Regium beneplacitum postularetur: idque factum anno 1731. die 22, Januarii.

Intercessere Alumni Provinciæ: opponebantque, institutam a *Jo: Baptista de Marinis* Generali Magistro, itemque ab *Alexandro VII.* Romano Pontifice confirmatam Congregationem, salva ejusdem cum Provinciæ unione: initam etiam tempore Institutionis de prædicta servanda unione conventionem: atque demum injuste Cœnobiis spoliari Provinciam, suoque jure Prefectum Provinciæ. Repositum vero, initam, quæ proferebatur, adduci nullam posse mutuam conventionem. Congregationis unionem, quæ primo tempore Romano Pontifici, ac Generali Magistro placuit ob ipsius Provinciæ bonum, dissolvi ac rumpi modo pari Clementis XI. auctoritate in ipsius Congregationis levamen, ac disciplinæ Regularis præsidium. Regularium Ordinum, Provinciarum, & Congregationum statum ex Romanornm maxime Pontificum nutu, consilioque pendere: neque jus vindicare sibi Præfectum Provinciæ posse, quod minuere, circumscribere, ac omnino tollere justa causa postulante, non valeant supremi Ecclesiæ Hierarchæ. Nota ac pervia esse frequentissima exempla, quæ trium seculorum decursu in Ordinis Provinciis partim minutis, partim deletis acciderunt, ut collapsa in illis erigeretur disciplina Regularis. Nihil vero demum Principi gratius olim fuisse, ac im-

imposterum fore, quam ut floreret in Cœnobiis regularis observantia, suæque professionis partes explerent omnes Religiosi Viri. Pro votis ergo latum Decretum est in amplissimo Senatorum cœtu eodem anno *die XXIV. Martii Sabbato Sancto*. Quo validissimo accedente præsidio, diu servari vigentem Regularem disciplinam, ac perrennem fieri posse, supremo desuper protegente Numine, confidimus.

VI. *Jure suffragii in Comitiis Generalibus a Clemente XII. ornantur Congregationes Ordinis Prædicatorum Primo earumdem conditio: aquisitusque tempore sequiore status.*

Præclarissimum tum nostræ Congregationi, tum cæteris quæ in Provinciis erectæ florent, anno 1733. de Sedis Apostolicæ benignitate accessit ornamentum. Rem ab ovo illustrare præstat. Congregationes, quæ in Ordine Prædicatorum post annum 1391. natales habuerunt, eo consilio a Generalibus Magistris, vel a Summis Pontificibus erectæ fuerunt, ut primæva regulari disciplina instaurata in Provinciarum Cœnobiis, *Congregationes observantes*, hisce Cœnobiis coalescentes, primævum reciperent *Provinciarum* titulum, earumque juribus ac privilegiis potirentur. Hanc sibi mentem insedisse, *Raimundus a Capua*, primus *Reformationis*, & *Congregationum* auctor, luculentissime declarat in Libello ad Philippum de Alenconio S. R. E. Cardinalem oblato, scribens: in qualibet *Provincia* se unum, alterumve constitui Cœnobium voluisse, in quo regularis observantiæ officiis excolerentur Alumni; qui *postquam per aliquod tempus firmati essent in observantia regulari, dispergi possent per diversos conventus, ut essent quasi condimentum aliorum: & sic Ordo totus paulatim firmaretur, & reformaretur absque coactione*. Mentem suam iterum aperit eamdem in litteris *Panormi* datis, quas Vincentius Fontana Tit. de Reformatione integras refert: *Ordinavi*, inquiens, *saltem de uno Conventu: non quia plures non haberem libentius, & libentissime omnes; sed tamen sequens illum versum*, debile principium melior fortuna sequetur, *nunc fui contentus de uno, ut decentius, & discrete procederem ad alios attrahendum*. Notum ergo, non ita Congregationes fuisse institutas, ut immobilem ac perennem statum haberent: erectas imo eo consilio, ut Provinciarum Cœnobiis paullatim reformatis, ipsæ demum Congregationes evaderent Provinciæ, ac Provinciarum juribus & privilegiis potirentur. Præsto sunt apud laudatum Fontanam hujusce rei exempla plura.

Factum vero, *Reformatorum* consiliis minime exitum respondisse: Congregationes etiam sequiore tempore institutas, easdemque sive ex Provinciarum Cœnobiis, sive ex novis constantes, firmum indeptas esse, immobilemque statum: pari certare cum Provinciis, aut illis etiam præstare numero Cœnobiorum: neque modicum sane toti Ordini afferre splendorem, & ornamentum; quin tamen locum, & jus obtineant suffragii in Comitiis Generalibus ferendi. Eapropter Clementi XII. humillime expositum fuit: *Nonnullas Congregationes Ordinis Fratrum Prædicatorum, quas Observantes appellant, tam citra, quam ultra montes, Apostolica auctoritate institutas reperiri:* earum *aliquas sufficientem numerum Conventuum, & Religiosorum habere, ut juxta morem usumve antehac in dicto Ordine servatum, in Provincias ejusdem Ordinis erigi possint:* ipsæ vero *si in Provincias hujusmodi erigerentur, formam gubernii ipsarum Congregationum, non sine regularis disciplinæ in eis vigentis detrimento, immutari oportere:* adeoque facultatem fieri posse, *ut absque immutatione status supradictarum Congregationum, Vicarii earum quæ competentem numerum Conventuum & Fratrum habuerint, cum duobus aliis Religiosis, definitore scilicet, & Socio, seu Electore, Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis interesse valeant, adinstar Priorum Provincialium dicti Ordinis, & perinde ac si præfatæ Congregationes in Provincias erectæ essent.*

Novo ut ornarentur Congregationes jure, quæ sequuntur momenta rationum, adducebantur. Quandoquidem cum illæ, ac Provinciæ *unicum corpus, & Ordinem constituant, & ab uno eodemque Capite, & Magistro Generali regantur; congruum omnino videtur, quod quemadmodus Priores Provinciales electioni Superioris Generalis assistunt, sic quoque ad illam concurrant, & admittantur Vicarii Congregationum.* Rursum *in Capitulis Generalibus non minus Statuta generalia universum Ordinem concernentia, quam particulares ordinationes pro singulis Provinciis, & Congregationibus ejusdem Ordinis possint condi solent: unde si Prioribus Provincialibus licet suarum Provinciarum rationes in illis exponere, Vicariis quoque præfatis permittendum venit, ut suarum Congregationum necessitates illuc deferre valeant.* Ambigendum non fuerit, quin *id apprime respondeat menti Constitutionum Ordinis;* utpo-

utpote *perfectam unionem omnium membrorum sub uno capite præscribentium, ac vicissim quamcumque divisionis speciem probibentium*. Hinc enim efficitur, ut *ad constabiliendum, arctiusque colligandum hoc religiosæ concordiæ, mutuæque unionis, & caritatis vinculum, Prælatos Provinciarum & Congregationum una convenire deceat, ubi totius Ordinis negotia pertractantur*. Quidni præterea, *cum memoratæ Congregationes exactam regularis disciplinæ observantiam profiteantur, omnis æqui bonique ratio poscat, illarum Vicarios Capitulis bujusmodi interesse, in quibus de præficiendo Magistro Generali, vel de promovenda regulari disciplina, vel de tollendis si qui irrepserint abusibus, agitur?* Illud enim absurdum sequeretur: *dictas Congregationes, ob ipsam exactiorem observantiam, cui assidue insistunt, deterioris esse conditionis cæteris ejusdem Ordinis Religiosis; ac damnum, & incommodum sentire, si iis privilegiis carerent, quibus dictæ Provinciæ gaudent*.

His omnibus mature pro rei momento expensis, indulgendum denique Congregationibus censuit summus Ecclesiæ Hierarcha. Diploma *motu proprio* scribi jussit, quo statuitur: " ut deinceps perpetuis futuris temporibus omnes & singuli *Vicarii*, nunc & pro tempore existentes, Congregationum prædicti Ordinis Fratrum Prædicatorum, quos *Observantes* vocant; tam citra, quam ultra montes, authoritate Apostolica erectarum, & si quas alias in futurum simili authoritate erigi contigerit; dummodo tamem *sex saltem Conventus formales* habuerint: cum duobus Religiosis suæ respective Congregationis, pro quolibet ex Vicariis hujusmodi, uno nimirum *Definitore*, ac uno *Socio*, seu *Electore*, in earumdem respective Congregationum Diætis eligendis; in quibuscumque Capitulis Generalibus ejusdem Ordinis interesse libere, licite, & valide possint, & valeant. Ipsique *Vicarii*, & *definitores*, & *Socii*, seu *Electores* in dictis Capitulis Generalibus votum, sive suffragium habeant in omnibus, & per omnia adinstar *Priorum Provincialium* Ordinis præfati; & perinde acsi ipsæ *Congregationes* in *Provincias* hujusmodi erectæ, & institutæ forent. "

Datum legitur Diploma *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII. Julii*

M. DCC. XXXIII. ejusdem Clementis XII. *anno quarto*; ſubſcribente *F. Cardinali Oliverio*. Typis editum proſtat in Bullario Ordinis Prædicatorum Tomo VI. Autrographum in Archivo noſtræ Congregationis adſervatur. Tanti negotii molem erecto ſuſcepit animo *Daniel Concina*, ejusdem Congregationis alumnus, dum redux Neapoli, ubi ſacras habuerat quadrageſimales conciones, Romæ eodem anno diverſabatur. Sibi Optimi Pontificis conciliata voluntate, brevi ſpatio temporis, optato exitu potitus eſt.

VII. *Congregationis alumnorum varia conſilia. Deliberatio, ſententia.*

Perlata ad nos adſumpti primum negotii, reique poſtea confectæ notitia, varios animorum ſenſus excitavit. Datum Diploma, ſicuti ſpecioſum & illuſtre, ita decens ac plenum æquitate, nemo non commendabat. Eo, quo par eſt obſequio, illud proſequuti ſumus. Num vero ad effectum perduci Privilegium oporteret, res ardua cenſebatur, nec una cunctis inſedit opinio.

Spectabant alii, quod exinde Congregationibus ornamentum obveniebat: ſimulque in ſpem erigebantur fore, ut validius vindicaretur diſciplinæ regularis inſtauratio, eademque latius ac felicius, per Ordinem propagaretur. Exerendos prævidebant alii conatus, ut Apoſtolicæ litteræ data occaſione revocarentur: & incommoda volvebant animo, quæ multiplici ex capite pertimeſcenda forent, ſive temporum conditione, ſive perplexa adminiſtratione negotiorum, ſive demum hominum vitio, aut humanarum voluntatum inconſtantia. Una ſcilicet erat vigens in Congregatione diſciplina regularis, quæ diverſimode inſpecta varios ingerebat affectus, variasque opiniones.

Ad cœtum Patrum in Diæta, ſtato tempore celebranda, dilata res eſt. Hæc anno 1735. coacta. Serio inſtituto examine, in id Patrum diſcuſſiones dirigebantur, quod nobis rebusque noſtris proficuum foret, ac florenti in Congregatione regulari diſciplinæ magis conſentaneum. Sancitum denique unanimi conſenſu fuit, conceſſo non utendum Privilegio: neque *Definitorem*, ac *Socium*, ſeu *Electorem* pro data occaſione, eligendos, qui ſuffragia ferrent in Comitiis Generalibus. Fuerunt utique, qui conſilium iſtud non æqua audierunt aure, ac fere deſpicatui habuerunt.

VIII. *Clementis XII. litteræ, revocatæ a Benedicto XIV.*

Quod verebantur plerique, tandem accidit. Ad annum usque

usque 1742. nulla celebrata fuerant Generalia Comitia, quibus interessent, ac suffragia ferrent *Vicarii*, & *Definitores*, ac *Socii* earum Congregationum, quæ Pontificium privilegium admittere e re sua censuerant. Anno Pontificatus secundo, æræ vulgaris 1742. quo Ecclesiam moderabatur Benedictus XIV. censuit ipse, Congregationes *in pristinum statum* redigendas fore: ac novo suffragii ferendi jure, quod antehac Provinciarum peculiare erat, spoliandas. Hinc edito Diplomate *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris*, eodem anno, *die* 23. *Februarii*, Clementis XII. litteras revocavit.

Verba sunt: " Quod sane indultum, ac privilegium, „ etsi aliquo pacto rationabile, tamen eam in Ordinem „ præfatum invehere & afferre impofterum rerum bene „ constitutarum confusionem, graviores sapientioresque „ quamplurimi ex Fratribus dicti Ordinis augurantur, „ quod inde Congregationes hujusmodi fere adinstar Pro- „ vinciarum administrari contingeret: ac timendum esset, „ ne dissidia quoque in futurum oriantur. Hinc est, „ quod Nos, qui opportuna atque salutaria hisce omni- „ bus remedia, quantum cum Domino possumus, adhi- „ bere cupimus; motu proprio, & ex certa scientia, ac „ matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ pote- „ statis plenitudine, Indultum, seu Privilegium hujus- „ modi, a Clemente Prædecessore præfato, ut præmitti- „ tur, concessum, nec ad hanc usque diem executioni „ mandatum, tenore earumdem præsentium, veluti non „ concessum haberi volumus, ac revocamus, irritamus, „ cassamus, & annullamus, viribusque & effectu peni- „ tus & omnino vacuamus: perinde acsi dictæ litteræ „ ejusdem Clementis Prædecessoris, quibus motu, scien- „ tia, potestate, ac tenore paribus derogamus, ac dero- „ gatum esse declaramus, nunquam emanassent. " Faxit Deus, ut regularis disciplina, pro qua promovenda, constabilienda, augendaque diversas, optimo ducti consilio, scripsere litteras Romani Pontifices, *Clemens XII.* & *Benedictus XIV.* apud nos jugiter floreat, habeatque perennitatem.

CA-

CAPUT XXIX.

Cœnobium Peleſtrinenſe in Clodienſi Diœceſi, & Parentinum in Iſtria.

1\. *Eccleſia in honorem B. Virginis, ac Cœnobii Peleſtrinenſis origo. Cœnobium incolunt Fratres Diſcalceati Sanctiſſimæ Trinitatis.*

PEleſtrinenſe accedit Cœnobium, Clodienſis Diœceſeos, in *Æſtuariis Adriacis*. Anno 1735. ſumma Sereniſſimæ Reipublicæ munificentia Congregationi noſtræ addictum eſt. Illud Hiſpani Alumni Diſcalceati *Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis*, annuente Veneto Senatu, erexerant in *Littore* quod a Metamauco ad Foſſam-Clodiam protenditur: poſtque duodecim annos, orto inter eos diſſidio, amiſerunt. Ad octo circiter milliaria idem *littus* protenditur, mari Adriaco ad Orientem, ſtagnis ad occaſum circumdatum, ac hortis perpetuis diligenter conſitis, popularium cura & induſtria excultum.

Inſula *Albiola*, cujus frequens in antiquis Venetorum Hiſtoriis mentio, ad Metamauci portum olim poſita, ac mari interciſa, nunc adhæret Continenti, ejusdemque littoris pars eſt. Sequitur Peleſtrina. Diploma refert Bernardus Triviſanus, Patricius, Venetus, in Opere *della Laguna di Venezia*, ab Henrico II. Rege *anno M. XI.* datum, in quo populos legimus appellatos *Clugienſes*, *Priſtilenſes*, *Caputagerenſes*, & *Brintalenſes*: itemque aliud Friderici I. *anno M. C. LXXVII.* ubi *Brintalenſes*, *Clugienſes*, *Peleſtrinenſes* occurrunt. Frequentius *Peleſtrina* dicitur in Monumentis poſterioris ævi: quam etiam vocem, niſi typorum cubet error, Tabulæ Marini *Clodienſis* Epiſcopi *anno M. C. LXV.* confectæ exhibent apud Ughellum in Italia Sacra Venetæ editionis.

Populorum originem Dandulus patefacit in Chronico Libro V. Capite I. Parte XI. Narrat quippe: *Montiſilicenſes populos*, & *cæteros circa Montana degentes*, *eadem clade* (a Gothis primum, tum ab Hunnis inlata) *ad maritima venientes*, *in littoribus Mathemaucum*, *Albiolam*, *Peleſtrinam*, & *Clodiam pariter condidiſſe*. Vices, quæ deinceps acciderunt, memorat ille Libro VII. Capite XIV. Parte XXIII. *Pipinus* (inquiens, Caroli Magni Filius, Rex Italiæ, Veneticis infenſus,) *fugatis Bron-*

du-

dulensibus, *Clugiensibus*, *&* *Pelestrinensibus*, *ad locum quemdam*, *qui Albiola vocatur*, *in Ripa Mathemaucensis portus situatum*, *tandem pervenit*. Plura demum, quæ tempore *Clodiensis belli* in littore *Pelestrinæ* contigerunt, posterorum memoriæ tradidit Raphaynus Caresinus Venetus Cancellarius, & Chinatius. Utriusque Chronica edidit Muratorius inter Scriptores Rerum Italicarum. Exstat vero *Pelestrina* in Diœcesi Episcopi, qui olim *Metamauci* sedebat, sedemque postea transtulit *Clodiam* anno 1100. ut ex Tabulis vetustis colligitur, quæ prostant in citata Veneta Italiæ Sacræ editione.

Annus æræ vulgaris Christianæ 1716. volvebatur, quo post ereptum Venetorum Reipublicæ Regnum *Peloponnesi*, Corcyram obsidione Julio Mense cingi immanis Turcarum Imperator jusserat: ductisque in Hungariam copiis, *Petro-Varadino* in Comitatu Sirmiensi vastitatem minabatur, ac universæ Sclavoniæ. Rumore quodam Venetiis vulgatum est: Adolescentulo simplicibus moribus ornato, in littore *Pelestrinæ* ante Sacellum Martyribus *Vito & Modesto* sacrum pertranseunti, die 4. Augusti ejusdem anni, Virginem Deiparam, cujus imago in eodem Sacello, media inter Divos Martyres, in asfere picta colebatur, adspectabilem se præbuisse: simulque pietatis officiis, quæ sine mora peragerentur, indictis, victoriam contra barbaros Christianis prænunciasse. Is vocabatur *Natalinus Scarpa*: postea Clero adscriptus, ac divino cultui mancipatus. Rei examen *Joanni Soffietto*, Antistiti Clodiensi, commissum. Paucos post dies de victoria constitit, quam Cæsaris copiæ ad *Petro-Varadinum* die 5. Augusti retulerant: fugatisque Turcis, *Corcyram* die 21. obsidione liberarunt Veneti.

Egregia permotus, qua pollet Senatus erga Deiparam pietate, Templum in eodem *Pelestrinæ* littore erigi jussit loco prioris Sacelli, cum ædibus adjunctis, quas duo incolerent Sacerdotes, quotidie sacris operaturi. Latum legitur Senatus-consultum *anno* insequente *M. DCC. XVII. die XXI. Augusti*. Positi primi lapidis Acta refero. "Die „ XVI. Augusti M. DCC. XVIII. Illustrissimus ac Re„ verendiss. D. Joannes Soffietti Episcopus Clodiensis, „ publica Serenissimi Dominii Venetiarum auspicante Re„ ligione ac pietate, hodierna die ad SS. Viti & Mo„ desti Capellam in Districtu Pelestrinæ olim fundatam „ ap-

„ appulit, ad quam alias Beatissima Virgo Maria suæ apparitionis portenta dedit: peractisque, quæ de ritu fanciuntur, primum in fundamentis benedictum lapidem jecit novæ Ecclesiæ ex Senatus Consulto magnifice erigendæ. In cujus lapidis facie insculpium: *Præsidium Venetorum*, visitur; alio lecto lapide plumbea lamina contecto, in qua dies, annus ut supra, nomenque Dominationis suæ Illustrissimæ ac Reverendissimæ cudun„ tur; iconibus pluribus in fundamentis dispositis ex metallo Virginis Mariæ effigie pie inscript. *Præsidium Venetorum. Templum Beatæ Virginis Pelestrinæ Anno Domini M. DCC. XVIII. S. C.* Illinc: *Joanne Cornelio Duce, Joanne Episcopo Clodiensi: Procurantibus Andrea Capello, Daniele Rainerio, Vincentio Gradenico P. Provisoribus super Monasteriis*, inscriptis: *Illustrissimo Domino Alexandro Maria Zuccato a Secretis Excellentissimi Magistratus super Monasteriis promovente.* “

Quinque ferme post annos absolutum completumque Templum, sacro benedictionis, ritu, Numini supremo dicatum est in honorem Virginis Deiparæ. “ Die Jovis „ XI. Martii M. DCC. XXIII. Reverendissimus Dominus Joseph Ballarenus J. U. D. Canonicus & Vicarius Generalis cum præcisa facultate Illustrissimi & Reverendissimi D. Joannis Soffietti Episcopi Clodiensis se contulit ad locum de Pelestrina, ubi ex Serenissimi Principis Decreto atque pietate magnifice erecta fuit Ecclesia Beatæ Virgini vulgo *di San Vio* nuncupatæ dicata post patrata miracula nuper patrata: & associatus ab admodum Rev. D. Paulo Zennaro J. U. D. Plebano Matricis Ecclesiæ Omnium Sanctorum dicti loci, atque a pluribus Sacerdotibus, indutus sacris indumentis assistente Rev. D. Angelo Varagnolo Ceremoniarum Magistro, præfatam Ecclesiam atque Altare in medio Tribunæ ex marmore fabrefactum benedixit juxta Rubricas Ritualis Romani: & signanter in medio Altaris lapidem sacrum cum Sepulcro apposuit, & solidavit ad effectum, ut super eodem Sacrosanctum Missæ Sacrificium futuris temporibus celebrari valeat. “ Tum solemni indicta supplicatione, a priore Sacello Sacra Virginis Deiparæ icon eodem anno translata est ad nova Ecclesiam *III. Kal. Junias Dominica elucente.*

Dum hæc agebantur, annuerat Senatus Venetus, ut Fra-

Fratres Discalceati *Ordinis Sanctissimæ Trinitatis* exciperentur Venetiis ad negotium perficiundum Captivorum, qui sub infidelibus miseram vitam agunt. Statutum est, ut ipsis locus aptus prope novam Ecclesiam in littore *Pelestrinæ* traderetur: factaque eisdem facultas, Cœnobium erigendi. Possessionem loci adierunt illi eodem *anno M. DCC. XXIII. die XXXI. Maii* magnoque pecuniarum sumptu, duodecim annorum spatio, Cœnobium erexere, quod Regulæ ipsorum, instituto, ac usibus conveniebat.

11. *Dimissis Fratribus Discalceatis, Cœnobium traditur Alumnis Congregationis.*

Dimissum, relictumque Cœnobium ut Regularis Ordinis alumnis concederetur, Amplissimorum Patrum sententia fuit. Libellos supplices obtulerunt *Franciscani*, quos Reformatos vocant, & *Capucini*. Ardentiore studio locum exoptabant Clerici Regulares *S. Pauli*, vulgo *Barnabitæ* appellati, tum *Clerici Regulares Minores*, quos instituit Jo: Augustinus Adornus Presbyter Januensis, ac Eremitæ Discalceati *S. Augustini*, qui nullam in Ditione Veneta Domum possident. Votis vero nostris annuerunt Patres conscripti. Decretum *anno M. DCC. XXXV. die XVIII. Augusti* latum est; quo *Dominicani de Observantia præferuntur*, utpotequi *scientias tradere soleant in Scholis, ac peculiari afficiantur observantia erga Virginem Deiparam, cujus Sacra Icon in Ecclesia Pelestrinensi colitur*.

Loci possessio inita *die XXV. ejusdem Augusti* Mensis: eademque die, consuetæ a Thoma Ripoll Generali Magistro Ordinis *Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam* datæ Litteræ, subscribente *F. Cajetano Benitez Magistro & Socio*. Tum solemnis ingressus indicta dies, Dominica, undecima insequentis Mensis Septembris, *Nomini Mariæ* sacra. Frequens Fratrum, qui Venetiis pervenerant *Pelestrinam*, ac populorum supplicatio a Parochiali *Apostolorum Petri & Pauli* Ecclesia ducta est ad Virginis Sacram Ædem: Divina celebravit officia *Joannes-Maria Benzonus*, Clodiensis Antistes: habita e suggestu inter Missarum solemnia a *Daniele Concina*, eximio nostræ Congregationis Concionatore oratio: cunctaque rite, popularium, & advenarum plausu peracta. Protectione, ac beneficentia Principis fruuntur alumni, qui locum sub *Vicarii*, quem vocamus præfectura incolunt, donec ad aptiorem formam redacto Cœnobio, *Prior* ipsis con-

cedatur. Latiore calamo hanc novi Cœnobii erectionem enarrat *Jo: Baptista Contarenus*, Congregationis alumnus, in Opere Italicæ scripto, ac Venetiis apud Jo: Baptistam Pasqualium anno 1745. typis edito, cui titulus: *I Lidi Veneti difesi dalla Santissima Vergine, o sia Storia della Immagine, Chiesa, e Convento della Beata Vergine di Pellestrina &c.*

III. *Parentii, quæ urbs est Episcopalis in Istria, erecta Domus Presbyteris, sub Instituto Divi Philippi Nerii militantibus.*

Novum in Istria *Parentinum* Cœnobium sequitur. Inter *Oppida Istriæ Civium Romanorum* primo loco memorat Plinius Libro III. Capite XIX. *Ægidam*, dictam *Caprim* ab Anonymo Ravennate, ac sequiore tempore *Justinopolim*, & *Caput Istriæ*: tum *Parentium*, & *Coloniam Polam*. Urbs est, vulgo *Parenzo* dicta, peninsulæ imposita, muris ac turribus munita, celebri ornata portu; sedemque habet Episcopalem. Primus, qui certo innotescit Episcopus, memoratur *Joannes* in Synodo Gradensi anno 579. celebrata sub Elia Patriarcha Aquilejensi, & a Paulo Diacono Libro III. Capite XXVI. in Synodo schismatica Marianensi anno 587. habita. Consule Monumenta nostra Ecclesiæ Aquilejensis Capite XXVII. & XXIX. Cathedrale Templum, quod antiquam ac venerandam structuram præsert, ab *Othone Magno* excitatum creditur, Deoque in honorem Beatæ Virginis a *Rodoaldo Patriarcha Aquilejensi* nuncupatum, jussu & nomine *Joannis Romani Pontificis*. Mendis plurimis Parentina monumenta scatent, quæ rem hanc narrant: quibus eadem num felici conatu detergi valeant, loco citato operam adhibuimus Capite LII. Direptionem, & ignem seculo quartodecimo passa Urbs est in Bello, per Januenses acto, *Pagano Doria* duce. Annum notat 1354. diemque 11. Augusti Marinus Sanutus in Vitis Ducum Venetorum, quem inter Scriptores Italiæ vulgavit Muratorius Tomo XXII. Quo etiam anno Sacra *Mauri Martiris* lipsana ablata fuere, ac *Januam* delata. Civitatem fere desolatam frequentare mercatores ætate nostra cœperunt: invaluitque Civium multitudo. Sacri Ministri, qui proximorum saluti consulerent, impares facti sunt. Ecclesiæ namque Cathedralis tredecim duntaxat Canonici inserviunt; quorum duo dignitate eminent *Archidiaconi*, & *Archipresbyteri* cum animarum cura: ac unum exstat mediocre Cœnobium Regularium, quos *Conventuales Sancti Francisci* vocant.

Sa-

Sacellum extra mœnia ad Ortum situm est, Virgini Deiparæ, *Angelorum Reginæ* nuncupatæ, Sacrum: quod piorum virorum Sodalitium sub eadem nuncupatione coactum pridem curabat. Loco Sacro addictissimus erat *Marinus Marinus*, ex ordine Civium Venetorum perillustris, publicis muneribus obitis præstantissimus. Parentium proficisci consueverat, ut sacro in loco pietatis operibus exerceretur: dataque occasione messem ibi multam, ac in dies copiosiorem noverat, paucos vero operarios. Insedit ergo consilium, ut prope Sacellum aptam domum erigeret, ad eamque Presbyteros *Neriani Oratorii* advocaret, qui in ea vinea Domini pro instituti ratione laborarent. Viros Religiosos præferebat, qui sibi apprime cari erant ob eam, qua erga Sanctum Institutorem *Philippum Nerium* ferebatur observantia. Probatissimi Marini votis prona mente annuerunt Sodales, Parentina Universitas, Cathedralis Ecclesiæ Canonici, loci Episcopus. Acta servantur omnia, in eo quod sequitur authentico Monumento relata. " Noi *Pietro Grassi*, per la Dio grazia, e
" per la Santa Sede Apostolica Vescovo di Parenzo, Con-
" te e Signore di Orsara. " *Castrum est, ubi temporalem Jurisdictionem exercet Parentinus Antistes cum spirituali conjunctam. Petrus de Grassis, Nobilis Clodiensis, inter Venetos Patricios adscitus, a Clemente XI. Parentinis datus est Episcopus anno* 1718. *die* 14. *Martii. Ad hanc sedem anno* 1731. *vacantem Clemens XII. transtulit Vincentium Mariam Mazzolenum, quem ex Ordine Prædicatorum ad Archiepiscopatum Corcyrensem evexerat Benedictus XIII. anno* 1727. *die* 26. *Novembris.*

" La pieta, & il Zelo della Confraternita della Beata
" Vergine Maria degli Angeli, che con parte dè dì 24.
" Luglio 1718. hanno fatto donazione della loro Chiesa
" a Reverendi Preti *della Congregazione dell'Oratorio di*
" *S. Filippo Neri*: che fu anche con pieni voti approva-
" ta da questo Spett. Conseglio della Città, con parte dè
" dì 24. Luglio 1718. hanno dato motivo al nostro Zelo
" pastorale, d'interessare tutto il nostro fervore a secon-
" dare intenzioni sì pie. Per lo che con parte presa sot-
" to il dì 13. Marzo 1719. questo nostro Rev. Capitolo
" de'Canonici della nostra Catedrale, e parimenti il no-
" stro Rev. *Arciprete Parroco*, con atto segnato in Can-
" cellaria nostra de'dì 13. Marzo 1719. pienamente an-

„ che concorrono, e permettono ad essi Reverendi *Preti* „ *di S. Filippo*, che in essa Chiesa possano praticare le „ funzioni tutte del loro santo instituto. Però conoscen„ do noi ancora, che dall'effettuazione d'opera così, „ Santa e necessaria ne risulterà maggior gloria del Si„ gnor Iddio, & ubertoso il frutto spirituale di quest'ani„ me a noi commesse; non solo approviamo, e confer„ miamo tuttocciò, che fù accordato dal nostro Rev. *Ar-* „ *ciprete Parroco*, e Rev. *Capitolo de' Canonici* alli stessi „ Religiosi; ma con questo nostro speciale decreto, per „ quanto aspetta all'autorità nostra ordinaria spirituale „ interponiamo il nostro pieno assenso; e concediamo „ ampla facoltà à detti Rev. *Preti di S. Philippo* di po„ ter erigere la loro Congregazione alla Beata Vergine „ *degli Angeli*; & ivi stabiliti di domicilio con le Cano„ niche formalità tam de presenti, quam perpetuis futu„ ris temporibus possano esercitare in detta Chiesa le fun„ zioni del loro instituto; salvis semper rationibus Episco„ palibus. " Dato in Parenzo dal Palazzo nostro Episcopale 4. Maggio 1724. His accessit demum Veneti Senatus consultum anno 1725. die 4. Augusti.

† V. *Locus oblatus Congregationis Alumnis. Initæ conditiones, difficultates ablatæ, facultatesque concessæ, rem agente Marino Marino Cive Veneto, ac favente Vincentio Mazzoleno Episcopo.*

Nihil pientissimus *Marinus* molitus non est, ut faustis auspiciis exitus responderet. *Christophorus Bicchiachius*, Oratorii Neriani Presbyter, ad novam advocatus fundationem: domus erecta, quam commode incolerenr Socii: nummorum multa millia impensa. Quatuordecim annorum spatio laboratum est, ut Congregatio erigeretur: vano tamen conatu, ac irritis votis. Tacite rem secum meditabatur *Marinus*: seque Ministris aliis, ita Deo disponente, paravisse locum pro certo habebat. Uberes noverat fructus, quos *Fratres Prædicatores*, Observantes nuncupati, in eadem *Istriæ* provincia colligebant in urbe principe *Justinopoli*. Quod animo moliebatur, candide aperuit Dominico Mariæ Andrinssio, qui *Vicariam* Congregationis *B. Jacobi Salomonii* præfecturam gerens, domicilium Venetiis habebat in Cœnobio *SS. Rosarii*. Nova a Marino oblata, in examen vocata fundatio. Parentinæ Civitatis salubritas explorata, Cœnobii situs quoque lustratus, polliciti redditus annui expensi. Capta demum anno 1740. di 2. Maii deliberatio, coloniam traducendi Parentium. Assensum nostrum excepit Parentinorum Civium decretum, quod his Italicis scriptum verbis profero. " 22.

„ Mag-

„ Maggio 1740. Congregato lo ſpettabile Conſiglio de'
„ Signori Cittadini *della Città di Parenzo* , nella Sala
„ del publico Pretorio Palazzo, premeſſo il ſolito ſuono
„ della Campana Maggiore giuſta l'ordinario , ove in-
„ tervennero li Signori Cittadini al numero di XXIII.
„ compreſa la perſona di ſua Eccellenza Podeſtà , per fa-
„ re, e terminare ut infra. Tolta per mano e diligente-
„ mente eſaminata la Scrittura fatta preſentare per l'Il-
„ luſtriſs. Sig. *Abate Marino* in queſto Offizio, notifica-
„ ta alli Spettabili Signori *Giudici* , *Conſervatori* delle
„ leggi, e *Contradittori* alle parti : e rilevandoſi in eſſa
„ i di lui favj ſentimenti , e ſuggerimenti ſopra la pre-
„ ſente nota & infelice conſtituzione *della Congregatio-*
„ *ne di San Filippo Neri* , che mai ha potuto proſpe-
„ rare , non oſtanti le applicazioni , ſtudj , e diſpendj
„ compenſati dello ſteſſo Signor Abate che con tanto
„ merito ha dato principio , e ſempre procurato , ma
„ inutilmente il ſuo fiſſo Stabilimento coll' unione dè
„ Padri atti a dare a queſto Univerſale lo ſperato pabo-
„ lo ſpirituale , & alla Chieſa della Beata Vergine *de-*
„ *gli Angeli* il dovuto governo e culto, con quel di più
„ che viene eſpoſto in detta Scrittura . Sono venuti in
„ deliberazione i medeſimi Spettab. Signori Giudici ,
„ *Marc-Antonio Sincichi* , e *Benetto Salamon* , di poner
„ parte con l' aſſenſo di ſua Eccellenza Podeſtà : che
„ ſtantibus rebus prout ſtant, e l'irreparabile deficienza
„ de' Padri della Congregazione ridotti quaſi per lo più
„ ad un ſolo Sacerdote operario , in tempo che mercè
„ la benedizione del Signor Iddio , e la paterna predi-
„ lezione del noſtro Sovrano , ſi è aumentato rimarca-
„ bilmente il numero degli abitanti ; ſia ſupplicata la
„ clemenza del noſtro Principe Sereniſſimo a conceder-
„ ci, che vedendoſi ben chiaro per eſperienza, non po-
„ terſi ſtabilire Congregazione di *San Philippo Neri* ; ſia-
„ no chiamati in ſoſtituzione i Padri *Oſſervanti di San*
„ *Domenico* , capaci a ſupplire al comun biſogno , co-
„ me praticano con tanto frutto, merito, e commenda-
„ zione in *Capodiſtria* : e ad eſſi reſti conſegnata la Chie-
„ ſa ſuddetta, & altre azioni a quella ſpettanti , come
„ già la tenevano i ſopracitati Padri *di San Philippo* ;
„ aſſicurandoſi queſta Comunità, i Signori Cittadini , e
„ Popolo , che come anche per avanti hanno bramato
„ l'ad-

„ l'adjutorio di essa Religione esemplare, così non resteranno defraudati nelle loro speranze: ma saranno per veder posti in uso con Zelo gli esercizj Cristiani, le frequenti predicazioni, e le Scuole del loro instituto, e ristorati gli abitanti col pabolo spirituale delle loro anime con l'istruzione de' buoni costumi, & educazione anco nelle scienze della gioventù; con riserva sempre riverenziale, di dover essere umiliate insieme colla presente Parte, presa che sia, a piedi del Regio Trono del nostro Serenifs. semper benefico Principe le supplicazioni di questa Comunità per le supreme sue approvazioni. Qual parte ballottata ebbe 22 — 1, e fu presa. "

Libelli supplices, Parentinæ Universitatis nomine, oblati Regio throno: ejusque votis factum satis, edito Senatus consulto, quod sequitur. " *Aloysius Pisani Dei gratia Dux Venetiarum &c. Universis & singulis Repræsentantibus & Ministris, ad quos hæ nostræ pervenerint, vel executio spectat, vel spectare poterit. Significamus, hodie in Consilio Rogatorum captam fuisse partem tenoris infrascripti. Videlicet*, Oneste, e perciò pienamente esaudibili sono l'istanze della Comunità *di Parenzo*, che avendo in vista il culto della Chiesa dedicata a Maria Vergine *degli Angeli* di quel distretto, gli esercizj di Cristiana pietà, & il bene spirituale di quella popolazione notabilmente accresciuta; e vedendo mancargli, atteso l'intiero suo discioglimento, la Congregazione *di San Filippo Neri* colà introdotta con il beneplacito del Decreto 4. Agosto 1725. implora poter sostituire i Padri *Osservanti di San Domenico* della nota esemplarità, e del religioso utilissimo instituto. Il tutto viene comprobato dalle giurate informazioni ora lette del *Podestà* e *Capitanio di Capodistria*, e da Consultori in jure. Nel riflesso pertanto, che se nel 1725. suddetto fù creduto sufficiente motivo al concorso il contarsi in quel popolo 700. anime, molto più conferente e necessario si renda l'aderirvi in presente, che con la benedizione del Cielo è accresciuto il numero di que' abitanti a tremille in circa; & osservandosi ancora per l'unito attestato di Monsignor *Vescovo di Parenzo* il desiderio, e concorso suo alla bramata sostituzione per il bene spiri-

„ rituale di que' Sudditi: e però ad onore del Signor Iddio, e perchè non manchi a Maria Vergine Santissima il culto in detta Chiesa, l'anderà parte, che sia permesso alla Comunità suddetta *di Parenzo*, di chiamare i Padri *Osservanti di San Domenico* alla ufficiatura della Chiesa sunominata, & all'abitazione dell'annesso Convento: dichiarandosi però, che abbiano prima giusto al solito a precedere le licenze Ecclesiastiche, i Brevi di Roma abbiano ad essere presentati al Collegio nostro, il numero de' Religiosi non possa estendersi oltre a quello prescritto da Sacri Canoni, e dall' instituto della Religione: che non possano inferire pregiudizj alle ragioni del Parroco, e siano salvi nel resto quanto a beni & al fondo la legge 1605. & il predetto decreto 4. Agosto 1725. *Datum in nostro Ducali Palatio die XXV.* Augusti Indict. III. M. DCC. XXXX. Michel Angelo Marino Segretario. "

Parentini Episcopi testimonium, quod memoratur, prætermitti non potest: quo amoris ejus, ac benevolentiæ erga nos insigne monimentum constat. " Grande contento ha prodotto nell' animo mio, allorachè intrapresi gli esercizj pastorali nella Città *di Parenzo*, il ritrovarsi incaminata la Congregazione di *San Philippo Neri*, lo stabilimento della quale prometteva un sommo spirituale vantaggio a Cittadini, & abitanti della stessa. Ridotte però non solo sterili, ma inutili al fortunato esito le diligenze, e l'indefesse applicazioni di chi con benemerito Zelo, senza risparmio di dispendii, si è affaticato per il corso di quindici anni; mi conviene con altretanto spiacere vederla disciolta. Sarei inconsolabile nel mirare sprovista d'un soccorso sì opportuno & importante la popolazione di questa Città, che nel 1725. tempo in cui con publico decreto si piantò la Congregazione medesima, ella appena arrivava al numero di 700. anime in circa; quando di presente se ne contano 3000. in circa. Non posso negare, che non mi si ravvivi lo spirito in sentire propensa questa spettabile comunità ad implorar dalla publica sempre paterna clemenza la sostituzione de' Padri *Osservanti di San Domenico*, che con la fissazione, può in questi dirsi perpetua, con l'esemplarità della vita, con gli esercizj continuati delle confessioni, predicazioni, scole importanti da loro

„ ac-

„ accoftumate, particolarmente per il Clero che ne tie-
„ ne un fommo bifogno, e con le Miffioni neceffariiffi-
„ me di quando in quando in quefta Provincia, poffono
„ dare rimarcabile rifalto alla Criftiana pietà con profit-
„ to publico, e privato. Per quefto riflettendo, che se
„ nel 1725. fi refe bifognofo il foccorfo, in prefente può
„ dirfi per verità di fatto indifpenfabile. Sopra di che mi
„ trovo in debito d'eftendere in quefto foglio il mio umi-
„ liffimo fentimento, acciò valer poffa in qualunque in-
„ contro, che fi rendeffe neceffario. Parenzo 15. Giugno
„ 1740. F. Vincenzo Maria Mazzoleni Arcivefcovo, Ve-
„ fcovo di Parenzo. "

Parentini Cives, qui fibi integrum novæ fundationis onus impofuerant, fupplices alios libellos Romam transmifere ad Sacram Congregationem, Negotiis Epifcoporum & Regularium præpofitam, ut eorum votis & ipfa annuere dignaretur. Cenfuerunt Patres, ut ab Epifcopo loci de requifitis omnibus certiores fierent. Datæ ad ipfum litteræ eodem *anno* 1740. *die* 23. *Septembris*. Sine mora ad rei executionem convertit mentem, operamque fuam benevolus Antiftes, qui novos cooperatores vehementer exoptabat. De ipfius Univerfitatis Parentinæ, Capituli, & Fratrum Conventualium affenfu juxta juris formulas perquifitum: aliarumque conditionum, ut fieri adfolet, veritas explorata. Anno infequente jam cœpto datum refponfum in hæc verba. " Eminentifs. & Reve-
„ rendifs. Sigg. Sigg. Patr. Collendifs. Venerati gli Ordini
„ dell'E. E. V. V. direttimi fotto li 23. Settembre ulti-
„ mo unitamente coll'anneffo Memoriale di quefta Co-
„ munità fupplicante per la grazia, che fiano ammeffi
„ i Religiofi *di San Domenico* nel Convento dimeffo
„ dalli Rev. Padri *di San Filippo Neri*, fituato fuori di
„ quefta Città, ma in poca diftanza, mi fono accinto
„ alla dovuta ubbidienza. Chiamate, e udite le parti,
„ che intereffe aver potevano in queft' affare ed efami-
„ nato quanto dovevafi; ho trovato puntualmente veri-
„ ficato, quanto fta efpreffo nel detto Memoriale, ec-
„ cettuato folamente il numero degli abitanti: il quale
„ però è certo, che va crefcendo, ed è crefciuto nota-
„ bilmente, ancor in fortune per il commercio, che fi
„ aumenta per li Baftimenti che d'ogni ftagione appro-
„ dano a quefto porto; e feco crefce per gli abitanti la
„ ne-

„ necessità degli ajuti spirituali esposti nelle preci. Non „ ho trovato alcun' ostacolo all' introduzione de' Padri „ Domenicani, anzi un desiderio universale di averli „ quì; non essendo in questa Città altro Convento di „ Regolari, che uno de' Padri *Minori Conventuali di San* „ *Francesco*, abitato da tre Sacerdoti, e due laici, insuf- „ ficienti per li bisogni spirituali di questa accresciuta „ popolazione: e nemmeno essendo alcun altro Conven- „ to di Regolari in questi contorni per lo spazio di cir- „ ca dieci miglia. Questi Padri *di San Francesco* ancor „ essi acconsentono alla suddetta introduzione de' Padri „ *di San Domenico*, ma con la condizione di averne il „ luogo da' medesimi. Vedendomi accordato l' onore di „ dire il proprio parere, riverentemente espongo all'E- „ minenze Vostre, che questa Città è in grande penu- „ ria, ed ancora la Diocesi, di Confessori, di Predica- „ tori, di Maestri, e Uomini dotti, Zelanti, ed esem- „ plari: e però l'introduzione de' Padri Predicatori *del-* „ *la Congregazione del B. Giacomo Salomonio* di Vene- „ zia, de' quali ora si tratta, forniti di sì lodevoli qua- „ lità, sarà un provedimento divino, non solamente „ utile, ma necessario per il bene di queste anime, e „ per mio ajuto Supplico pertanto umilissimamente an- „ cor io per la grazia implorata da questa Comunità, „ e all' Eminenze Vostre baccio con pieno ossequio la „ sacra porpora. Dell' Eminenze Vostre Parenzo 15. Feb- „ brajo 1741. Umiliss. Divotiss. ed Obbligatissimo Ser- „ vitore F. Vincenzo Maria Arcivescovo, Vescovo di „ Parenzo. "

Praecedentiae conditio a Franciscanis alumnis apposita nullum ingessit negotium. Hanc nobis in publicis supplicationibus adjudicari notum erat Senatus consultis jam editis, quibus data dissidiorum occasione praejudicatum fuerat: nempe in locis Venetae Majestati subjectis, locum a Religiosis viris tenendum esse, quem servant ipsi in urbe Principe Venetiarum. Actum subinde de conventionibus cum Reverendissimo Capitulo Parentino ineundis, queis futura quaeque dissidia praeciderentur: initae que fuerunt, ac firmatae *Venetiis* 1741. *die* 1. *Martii*, & *Parentii eodem anno die* 23. *ejusdem anni*.

Interim Roma rescripta venerunt, quae Parentini Cives postulaverant. Facultas a Thoma Ripoll, Generali

Ordinis Magistro, his verbis facta: " Providentiæ offi-
" cii nostri maxime incumbit, ut fratres nostri Religio-
" nis nostræ palmites latius diffundant, & ad animarum
" Salutem, cum vocati fuerint, novos Conventus eri-
" gant. Sane cum magna animi nostri voluptate didici-
" mus, quod Fideles Civitatis *de Parentio* in Istria Con-
" ventum Fratrum Ordinis nostri in eadem Civitate fun-
" dare ac instituere peroptent; quodque ob maximam
" sui erga Religionem nostram benevolentiam, in hujus
" fundationis gratiam, Ecclesiam pro sacris functionibus
" peragendis, domos pro constructione Conventus, &
" sufficientes redditus pro substentatione Religiosorum
" benigne exhibuerint. Idcirco eorumdem Civium ur-
" bis *de Parentio* votis annuere cupientes, harum serie,
" nostrique officii auctoritate, licentiam & facultatem,
" quatenus in nobis est, concedimus R.R. P.P. Congre-
" gationis nostræ *B. Jacobi Salomonii* Venetiarum, in
" proxime futura Diæta congregandis; ut auctoritate no-
" stra dictam fundationem, novique Conventus erectio-
" nem acceptent, cum omnibus bonis ad eamdem per-
" tinentibus. Dantes præfatis Patribus supradictæ diætæ
" plenam & integram facultatem, servatis tamen aliis
" de jure, necnon juxta Apostolica statuta servandis.
" Facta vero erectione, novique Conventus fundatione,
" nunc pro tunc ipsum Ordini nostro incorporamus &
" unimus, Congregationique *B. Jacobi Salomonii* Vene-
" tiarum aggregamus cum omnibus juribus & privile-
" giis, quibus Conventus nostri, rite ac legitime insti-
" tuti, potiri solent & debent: ipsumque R. Patri *Vica-
" rio Generali* pro tempore Congregationis præfatæ, alüs-
" que ejusdem legitimis superioribus, quomodocumque
" existentibus, omnino subjicimus. In nomine Patris &
" Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his
" sigillo officii nostri munitis manu propria subscripsi-
" mus. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Ma-
" riæ super Minervam die 11. Martii 1741. F. Thomas
" Ripoll Magister Ordinis. Reg. fol. 3. F. Raphaël Fi-
" guerola Magister Provincialis Terræ Sanctæ & So-
" cius. " Hebdomade prima post Octavam Paschæ eo-
dem anno celebrata pro more fuere Comitia nostra, in
quibus hæc inter *denunciationes* habentur: *Quæ nostræ
Congregationi, divina favente clementia, accedunt orna-*

men-

menta, *lubenti ac lætanti animo denunciamus*. *Novum ſiquidem Cœnobium Parentii in Iſtria erigendum nobis*, *noſtræque Congregationi exhibitum fuit: quod etiam*, *Regio Sereniſſimæ Reipublicæ beneplacito obtento*, *habitaque facultate Reverendiſs. Patris Magiſtri Generalis Thomæ Ripoll*, *cæterisque facultatibus Eccleſiaſticis accedentibus*, *nunc pro tunc acceptamus*.

Votis etiam annuerunt Eminentiſſimi Patres. " Sacra „ Congregatio Eminentiſs. & Reverendiſs. S.R.E.Cardinalium, Negotiis & conſultationibus Epiſcoporum & Regularium præpoſita, referente Eminentiſs. Firrao præfecto, ac ponente, attentis relationibus Epiſcopi Parentini, & P. Procuratoris Generalis Ordinis, attentis peculiaribus circumſtantiis, & dummodo præſens gratia non tranſeat in exemplum, benigne commiſit eidem Epiſcopo, ut veris exiſtentibus narratis; poſtquam ſibi conſtiterit, fabricam prædicti Conventus cum Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, Refectorio, Dormitorio, Officinis, & ſpatiis numeris omnibus eſſe abſolutam, ac ſupellectili tam ſacra, quam prophana ſufficienter inſtructam, eique annuum perpetuum redditum pro alendis ſex pro nunc, & duodecim Religioſos in futurum vere & cum effectu fuiſſe aſſignatum, ad fundationem & erectionem Conventus, & enunciatorum Religioſorum Ordinis Prædicatorum introductionem, ſervatis ſervandis deveniat: ita tamen ut in reliquis omnia per Sacros Canones Sacrum Concilium Tridentinum, Conſtitutiones Apoſtolicas, & Ordinis prædicti circa hujusmodi novorum Conventuum erectiones, præſcripta ſunt, adamuſſim ſerventur. Romæ 17. Novembris 1741. I. Card. Firrao. C. Archiep. Damiat. Secretarius. "

V

Loci poſſeſſionem adeunt Fratres. Fauet Gaſpar de Nigris, novus Parentinus Antiſtes.

Dominico Andriuſſio, qui hactenus novæ fundationis negotium curaverat, in Congregationis noſtræ præfecturam ſucceſſerat Hyacinthus *Michelettus* eodem anno 1741. die 15. Maii. Hunc pientiſſimus *Marinus* urgebat qua precibus, qua adhortationibus, ut loci poſſeſſionem adiret, cœptumque perficeret opus. At reddituum, qui oblati fuerant ad Fratrum alimoniam, ſuſpenſos adhuc tenebat animos conditio. Securiores fundi, ac paulo liberalior novi Cœnobii dos requirebantur. Factum denique ſatis. Parentium miſſus *Joannes Dominicus de Fabris*,

bris, qui primus loci *Vicarius* designabatur, ut Procuratoris nomine publicis actis interesset. Donationes, cessiones, largitiones quæque in Tabulas relatæ sunt *anno a Nativitate Domini* 1742. *Indictione* 5. *die Martis* 25. *Mensis Septembris*. Subscripti leguntur, Benedictus Salamon Judex, Lucretius Raguzzi Judex, Jo: Antonius Frielli Judex, Michaël-Georgius Papadopoli Judex, Fr. Jo: Dominicus de Fabris Procurator, Marcus Antonius Mainenti testis, Antonius Albertini testis. Tum verba sequuntur. *Et ego Michaël Eq. Comnenus Papadopoli, filius q. Domini Joannis Nobilis Regni Cretæ, J. U. D. & publicus Veneta auctoritate Notarius, & Judex ordinarius, rogatus scripsi, & ab authenticis mei Notariatus per aliam manum mihi fidelem exemplari feci: & concordat cum Originali. In fidem &c.*

E vivis decesserat Antistes *Mazzolenus*. Differri loci possessio debuit, donec Parentinæ Ecclesiæ novum Episcopum præficeret Romanus Pontifex. Is fuit *Gaspar de Nigris*, ab Æmoniensi in Istria Ecclesia translatus. Virum moribus ornatum suavissimis, litterarum peritia egregie præstantem, nobisque addictissimum satis commendare haud valemus. Advocatos in solicitudinem muneris novos administros, quos peramanter complectebatur, libentissime excepit: ipseque complementum operis urgebat. Missi ad incolendum locum quatuor Congregationis alumni, ac his Vicarius designatus laudatus *Jo: Dominicus de Fabris*. Sodalitii *Rosarii* ad Ecclesiam translatio decreta anno 1743. die 20. Januarii: ac tandem loci & Ecclesiæ adita possessio. Rem omnem patefaciunt, quæ sequuntur Acta: " Die 18. Februarii 1743. in Curia Episcopali Parentina. Coram Illustriss. & Reverendiss. D.D. Gaspare de Nigris, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Parentino, Comite & Domino Ursariæ &c. comparuit ad R. P. F. Jo: Dominicus de Fabris Ord. Præd. Congregationis B. Jacobi Salomonii Venetiarum, ab adm. Rev. P. F. Hyacintho Micheletti Vicario Generali ejusdem Congregationis specialiter deputatus ad effectum ut infra, prout ex deputatione dei 14. labentis Februarii, quam actualiter produxit, & exhibuit ad manus dominationis suæ Illustrissimæ & Reverendissimæ supplicationem, una cum decreto Sacræ Congregationis Eminentiss. & Reverendiss. domi-

" no-

„ norum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationi-
„ bus Episcoporum & Regularium præpositæ: instando,
„ deveniri ad executionem. Et ita &c. Tenor autem
„ supplicationis, & decreti talis &c. Videlicet *Eminen-*
„ *tiss. e Reverendiss. Signori*: *La Comunità di Parenzo*
„ *&c.* Sacra Congregatio *Eminentiss. & Reverendissimor.*
„ *S. R. E. Cardinalium &c.* (ut supra.)

„ Qui Illustriss. & Reverendiss. Dominus Episcopus,
„ recepto ea qua decuit reverentia decreto supradicto,
„ mandavit ad illius executionem deveniri. Et imprimis
„ & ante omnia sumi diligentem informationem super
„ veritate narratorum: necnon exhiberi Instrumenta red-
„ dituum assignatorum pro sustentatione, inventaria mo-
„ bilium ac sacrarum supellectilium. Et deputavit diem
„ 26. labentis Februarii pro actuali & oculari inspectio-
„ ne fabricæ, Ecclesiæ, & Conventus. Et ita &c.

„ Die 25. Mensis Februarii 1743. Coram, & ubi su-
„ pra iterum comparuit idem adm. R. P. De Fabris, &
„ exequendo mandata actualiter produxit processiculum
„ Instrumentorum, una cum Inventariis, animo tamen
„ rehabendi, retenta quatenus placeat Dominationi suæ
„ Illustriss. & Reverendiss. copia collationata. Et ita &c.

„ Die 26. Mensis Februarii 1743. Illustriss. & Rever.
„ Dominus Episcopus supradictus, una cum suo infra-
„ scripto Cancellario, cæterisque familiaribus, persona-
„ liter se contulit ad Ecclesiam, & Conventum Sanctæ
„ Mariæ, vulgo dictæ Angelorum, extra portam hujus
„ Civitatis: & ibi ad normam decreti Superius relati
„ scrutatus est omnia diligenter. Et constito omnia con-
„ venire, mandavit extendi decretum executionis, prout
„ sequitur.

„ Gaspar de Nigris, Dei & Apostolicæ Sedis gratia
„ Episcopus Parentinus, Comes & Dominus Ursariæ &c.
„ Constito nobis, tum per publica instrumenta exhibita,
„ tum etiam per ocularem inspectionem per nos factam,
„ de veritate contentorum in precibus supradictæ Sacræ
„ Congregationi Eminentiss. e Reverendiss. D.D. Cardina-
„ lium negotiis & consultationibus Episcopum & Regu-
„ larium præpositæ parte & nomine spectabilis Comu-
„ nitatis hujus urbis porrectis: & præcipue constito, fa-
„ bricam Ecclesiæ & Conventus sub invocatione B. M. V.
„ vulgo dictæ Angelorum extra portam Civitatis, ubi

„ pau-

„ paucis abhinc annis degebant Religiosi Congregationis „ S. Philippi Nerii, esse omnino perfectam cum Campanili, Choro, Sacristia, Refectorio, Dormitorio, officinis, & spatiis necessariis & opportunis pro construendis viridariis &c. atque supellectili tam sacra quam prophana esse sufficienter instructam. Constito pariter, Ecclesiæ & Conventui supradictis fuisse vere & cum effectu assignatum annuum & perpetuum censum, qui pro nunc inspecta personarum & loci qualitate satis est ad alendos sex Religiosos, & duodecim in futuro. Auctoritate nostra, ordinaria non solum, verumetiam nobis per eamdem Sacram Congregationem delegata, adm. Rev. P. F. Johanni Dominico de Fabris Ord. Præd. Congregationis B. Jacobi Salomonii Venetiarum, a Superioribus suis legitime deputato, prout nobis pariter constare fecit, Monasterium seu Conventum ejusdem Religionis, servatis in reliquis Constitutionibus Ordinis, in loco supradicto fundandi & erigendi licentiam impartimur: sive potius, stantibus rebus ut stant, Nos ipsi per nosmetipsos tenore præsentium erigimus & fundamus, atque Canonice erectum & fundatum pronunciamus; sine tamen præjudicio jurium Parochialium, & nostræ Cathedræ. Reservantes nobis facultatem designandi diem bene visum pro solemni introductione eorundem Religiosorum ad normam decreti Sacræ Congregationis. Et ita &c. Datum Parentii die 26. Februarii 1743. Gaspar Episcopus Parentinus. Presb. Antonius Vergotinus S. Th. Doctor Cancellarius Episcopalis.

„ Die 28. Mensis Februarii 1743. Coram Illustrifs. & Reverendifs. Domino Episcopo comparuit idem Rev. P. F. Jo: Dominicus de Fabris, qui institit deputari diem bene visam pro introductione Religiosorum Congregationis sui Ordinis juxta tenorem decreti die 26. labentis Mensis. Et ita. Illustrifs. & Reverendifs. Dominus Episcopus, qui supra, deputavit diem Dominicam proxime futuram, quæ erit tertia Mensis Martii: ad quem effectum mandavit cuncta præparari necessaria, & opportuna pro receptione dictorum Religiosorum. Et ita. Gaspar Episcopus Parentinus. Presb. Antonius Vergotinus S. Th. Doctor Cancellarius Episcopalis.

„ Die

„ Die Dominica 3. Mensis Martii 1743. Illustiss. &
„ Reverendiss. Dominus Episcopus, Cappa magna indu-
„ tus, atque ab adm. Rev. Capitulo associatus, se contulit
„ ad Ecclesiam Cathedralem, in qua excepit adm. Rev.
„ P. F. Jo: Dominicum de Fabris supradictum, destina-
„ tum Vicarium novi Conventus a suis Superioribus,
„ una cum pluribus aliis Patribus ejusdem Ordinis: quos
„ processionaliter deduxit ad Ecclesiam S. Mariæ Angelo-
„ rum extra portam hujus urbis, eosque in actualem
„ possessionem dictæ Ecclesiæ, ac Conventus induxit: ac
„ Missam in Pontificalibus celebravit; qua finita, ac
„ cantato Hymno, *Te Deum laudamus*, iterum ad pro-
„ pria reversus est.

„ Sequitur tenor deputationis suæ Procuræ superius
„ laudatæ, quæ talis est. Videl. *In Dei Filio sibi dile-*
„ *cto Rev. P. F. Jo: Dominici de Fabris Ord. Præd. e*
„ *Congregatione B. Jacobi Salomonii, Fr. Hyacinthus Mi-*
„ *cheletti ejusdem Congregationis humilis Vicarius Gene-*
„ *ralis & Servus. Cum nobis multiplici negotiorum ge-*
„ *nere impeditis Parentium proficisci non liceat &c. Dat.*
„ *Venetiis in Collegio nostro SS. Ros. die* 14. *Februarii*
„ 1743. &c. Presb. Antonius Vergotinus S. Th. Doctor
„ Cancellarius Episcopalis hæc omnia superius relata,
„ aliena sed mihi fida manu transcripta complevi & ro-
„ boravi, & Curiæ Episcopalis sigillum in fidem adjeci.

VI. *Amplioris Templi erectio sub nuncupatione Sanctæ Mariæ, Angelorum Reginæ.*

Nimia erat Sacelli angustia, ad sacras peragendas, quæ apud nos in more sunt, ceremonias inepta. Templum, quod amplius foret, moliri animo cœperunt Fratres, animos excitante Antistite laudato Parentino, *Gaspare de Nigris*, operamque suam pollicentibus benevolis Parentii Civibus. Elegantem formam delineavit *Zeno Castagna*, Congregationis alumnus: expendit diligentius, adprobavitque *Georgius Massarius* Venetus, arte architectonica valens. Indicta denique dies 8. Septembris, Virginis Deiparæ Nativitati sacra, qua primus imponeretur lapis anno M. DCC. XLVII. In eo, quo Templum inædificandum erit, spatio Ara erecta, velisque superextensis adumbrata, divinum opus egit Antistes; ac frequentibus populis, qui affluxerant, Indulgentiarum gratiam largitus est.

Tum vero primus impositus ab Episcopo lapis cum plumbeo numismate, cujus antica pars hanc præfert epi-

gra-

graphem: *Templi B. M. Angelorum Ord. Prædicator. Parentii fundamenta jacta anno M. DCC. XLVII.* In postica legitur: *Gaspar de Nigris Ep. Parent. imposuit die* 8. *Septembris*, *F. Jo: Baptista Contarini Vicario Conventus*. Religiosam demum ceremoniam idem ornatissimus Antistes oratione absolvit, qua maxime fideles ad eleemosynarum subsidia, ut quod cœptum fuerat, perfici posset opus, cohortabatur.

CAPUT XXX.

Series Præfectorum Congregationi, quos Vicarios Generales appellamus.

I. *Vicariorum Generalium institutio, ac forma institutionis.*

Ut primum cœpit in Ordine Prædicatorum pristinæ Disciplinæ restauratio, simulque originem habuere Congregationes, incepit etiam Vicariorum præfectura, qui *Vicarii Connentuum*, *Vicarii Congregationis*, *Vicarii Generales* dicti sunt. Hanc novæ Præfecturæ appellationem exhibent litteræ Raimundi a Vineis Capuani, queis *Joanni Dominici*, probatissimo severioris disciplinæ adsertori in Italia, anno 1391. regimen committitur Venetorum Cœnobiorum, quæ magno ipse laborum impendio ad frugem revocaverat. Inscriptæ leguntur. *F. Johanni Dominici de Florentia Vicario in Conventibus Venetis Ordinis Prædicatorum*. Litteras alias anno 1394. dedit idem Generalis Magister, Reformationis incremento diligentiorem ejus operam exposcente: ipsumque Joannem declarat, *in dictis Conventibus jam assumptis*, *& pro tempore a vobis assumendis per universam Italiam*, *Vicarium Generalem cum plenaria & totali potestate*. Integras Epistolas in lucem emisimus Capite II.

Eadem potiuntur hi *Præfecti* in Conventibus, aut Congregationibus auctoritate, sive pari ac integra, sive partim minuta, pro vario Congregationum erectionis modo, quam in *Provinciis* exercent *Priores*, ut vocant, *Provinciales*. Non eos datis suffragiis in Comitiis nos eligimus: sed unus eligit ac instituit Generalis Magister Ordinis, præhibita idoneitatis notitia, quam more apud nos recepto, uni convenit testari *Vicario Generali*, qui mu-

munus impositum expleturus est, post aliorum explorata consilia, qui eodem pridem munere functi sunt. Alia viget in aliis Congregationibus forma, & consuetudo. *Vicariorum* itaque, qui nostram rexere Congregationem, seriem texo.

II. *Series Vicariorum, qui Congregationem B. Jacobi Salomonii rexerunt. Eorum elogia, qui vita functi sunt.*

M. DC. LXII. *Petrus-Martyr Degna* Venetus. Hunc primum instituit Præfectum Congregationi *Jo: Baptista de Marinis* litteris *Romæ* datis eodem *anno die IV. Augusti*. Integræ recensitæ sunt Capite XVII. num. II. Regimen impositum capessivit *die XI.* ejusdem Mensis in Cœnobio Veneto *S. Secundi*. Provinciæ *S. Dominici* præfecturam antea gesserat anno *1658.* & insequente *1659.* quo collapsam in eadem Insula *S. Secundi* regularem Disciplinam, ejus opera ac studio, erigi cœptam, narravimus Capite XIV. num. II. Hanc ille, mollioris vitæ commodis relictis, hortatore Basilio Pica, totis ulnis anno *1661.* amplexus est, ut eodem Capite num. V. memoravimus: seque dignissimum exhibuit, ut primus institutæ *B. Jacobi Salomonii* Congregationi daretur Præfectus. Idem munus iterum, ac tertium maxima prudentia, ac in agendis rebus solertia obivit: ipsumque Collegium *Venetum*, Cœnobium *Forojuliense*, aliasque Congregationis Domos rexit Prior. Mortalitatis fato cessit in Veneto Collegio *anno M. DC. LXXXVI. die VI. Maii*, tumuloque insequenti die datus est.

M. DC. LXIV. *Hieronymus Picinus* Venetus, ex eo *Civium* ordine, quos *Venetos originarios* vocant. Munus implere cœpit *die XI. Septembris* in Cœnobio *S. Secundi*. Diem, ac Mensem, (quod etiam infra præstabimus,) initæ Præfecturæ adnotamus; licet antea *electionis* Litteræ a Generali Magistro datæ fuerint.

M. DC. LXVI. *Hieronymus Picinus* iterum, *die XII. Novembris* in eodem *S. Secundi* Cœnobio.

M. DC. LXVIII. *Antoninus a S. Catharina* ex Forojuliensi Provincia, in Cœnobio *S. Dominici* Justinopolitano *die IV. Decembris*. Viri probatissimi mentionem egimus Capite XI. num. VII. & Capite XXIII. num. VI. Clericorum albo adscriptus, antequam nomen Ordini daret, inserviebat Deo. Sexdecim annos natus, vestem induit Dominicanam *anno 1646. die 20. Junii* in Cœnobio *S. Dominici* Forojuliensi: annoque vertente *die 12. Julii* solemnia vota Numini supremo nuncupavit *Antoninus a*

S. Catharina, deposito *Joannis Baptistæ* nomine, vocatus. Antiquis moribus præstabat, severa legum observantia clarus, & eximia caritate erga proximos, quorum confessionibus excipiendis tota vita insudavit. Mortalem vitam cum æterna commutavit *anno ætatis LXXVI. æræ Christianæ M.DCC.VI. die II. aut III. Februarii* in Collegio Veneto.

M. DC. LXX. *Hieronymus Picinus III.* in Veneto *SS. Rosarii* Collegio *die V. Decembris*. In urbe Roma, gravia peracturus ibidem negotia, versabatur, cum ipsum declaravit Præfectum Congregationi *Jo: Thomas de Roccaberti*, successor Jo: Baptistæ de Marinis.

M. DC. LXXII. *Petrus-Martyr Degna* iterum, in Cœnobio Civitatis Forijulii *die XI. Decembris*.

M. DC. LXXIV. *Hieronymus-Maria Castelfrancus*, Tarvisinus Patricius, in Insula S. Secundi *die XIII. Decembris*. Litteræ Encyclicæ, quæ in obitu ejus Venetiis datæ fuerunt, præclara ejusdem merita patefaciunt. Nonnulla decerpere liceat. *Cur tristitia communi*, (verba diriguntur ad Alumnos Provinciæ,) *non recolamus diem ultimum nostri Religiosi, quem vos in tenerioribus annis Religionis agone exercuistis, & in adulta ætate Tarvisii Priorem, ac Patavii Moderatorem Studii Generalis habuistis: nos vero Vicarium Congregationis semel & iterum suspeximus, Rectorem etiam hujus Collegii, rursus Priorem Forojuliensem, Justinopolitanum, Coneglanensem, præterea Conventus S. Mariæ de Via in Terra S. Danielis Fundatorem, ac tandem adinventorem emeritum communis nostræ Vestiariæ, quæ vitæ regulari nihil utilius, nihil uniformius?* Hæc ad Officia spectant, ac dignitates. Virtutes ejus accipe. *Obedientiam, paupertatem, modestiam, humilitatem, vitæ integritatem adeo ille coluit, ut omnibus exemplar factus esset. Suavissimum animum cum exhiberet omnibus, sibi solum suoque corpori immitis erat, omni pene solatio negatus, nunquam temperans ab arduo, extra Claustra vix discurrens, quæve non poterat non adgredi itinera, etiam prolixa, & aspera, frequentius pedes conficiens. Somni parcissimus fuit, vigiliarum & elucubrationum cupidissimus, orationi semper addictus: ac diu noctuque Comunitati & Choro nec senio, nec laboribus, nec tempestatum rigore detineri unquam potuit, quin interesset. Hostis vero mensæ penitus videbatur, eoque suam intulit*

tulit temperantiam, ut non solum septem Mensium jejunia annorum pondere fractus absolveret; sed omni delicatiori obsonio neglecto, parce lacticiniis uteretur, oleribus & leguminibus contentus; & a carnibus semper abstinens, etiam extrema non excepta infirmitate, annosam pœnitentiam compleverit. Mortem obiit die XVII. Januarii, anno ætatis XCIV. Christi M. DCC. XX. in Veneto Collegio. Iterum hanc illi demandatam fuisse Præfecturam, infra dicendum.

M. DC. LXXVI. *Bonifacius Maria Grandius* Venetus, in Collegio SS. Rosarii *die XVII. Decembris.* Inter Scriptores Congregationis locum, & elogium habet.

M. DC. LXXVIII. *Bonifacius Maria Grandius* iterum *die XVII. Decembris* in eodem Collegio. Hanc illi Præfecturam contulit *Antonius de Monroy*, Jo: Thomæ de Roccaberti successor.

M. DC. LXXX. *Hieronymus Picinus* IV. in Cœnobio Conellianensi S. Martini *die XVII. Decembris.* Nondum expleto muneris biennio, vitam ornatissimam anno 1682. die 1. Novembris consummavit. Optime de Congregatione meriti Viri gesta collegimus Capite XVI. num. VII.

M. DC. LXXXII. *Petrus-Martyr Degna* III. in Cœnobio Forojuliensi *die XIX. Decembris.*

M. DC. LXXXIV. *Antoninus a S. Catharina* iterum, in Collegio Veneto *die XXIX. Decembris.*

M. DC. LXXXVI. *Vincentius Buccus* Marosticensis, in Cœnobio *S. Mariæ* de Valvasono, quod Prior adhuc regebat, *die XXX. Decembris.* Ab *Antonino Clocbe*, Antonii de Monroy successore, electus est. *Petrus* in sacris undis appellatus, nomen ac seculares vestes deposuit anno 1657. die 19. Junii in Cœnobio *Faræ*, habuitque nomen *Vincentii a S. Raimundo.* Professionem emisit anno 1659. die 27. Maii, severiore excultus a Basilio Pica legum morumque disciplina, quam retinuit constantissime usque ad mortem. Vitæ metam attigit in eodem Cœnobio Farensi anno 1710. ætatis 73. die 22. Martii.

M. DC. LXXXIX. *Jo: Leonardus Peresius*, Forojuliensis Civis, in Cœnobio *S. Dominici* Civitatis Forijulii, *die VIII. Januarii.* Tirocinium Conelliani posuit, regularemque vitæ rationem votis nuncupatis anno 1668. die 30. Maii professus est. Obiit in eodem Forojuliensi Cœnobio anno 1707. die 13. Septembris.

M. DC. XCI. *Joannes Olivatus* Venetus, in Collegio SS. Rosarii *die VIII. Januarii*. Zelo emicuit regularis observantiæ, pacis amore, & singulari in regendo prudentia, quam pluribus in Cœnobiis, munere *Prioris* defungens magno semper emolumento præsetulit. *Nicolaus* in seculo vocatus, nomen Ordini dedit in Cœnobio *S. Secundi*: eique, professione emissa, se devinxit anno *1665*. die 14. Septembris. Migravit e vita in Insula *S. Secundi* anno *1695*. die 1. Novembris. Annum agebat ætatis 48.

M. DC. XCIII. *Hieronymus Maria Castelfrancus* iterum, *die XII. Januarii* in Collegio Veneto. Munere fungebatur *Prioris* in Cœnobio *Forojuliensi*. Congregationi præfecit ipsum *Henricus de Gusman*, qui *Vicariam* totius Ordinis præfecturam, Antonino Cloche Italiæ Cœnobia perlustrante, gerebat in Urbe.

M. DC. XCV. *Thomas-Antonius Massajus*, ex Provinciæ Forijulii, *die VI. Maii*, in Forojuliensi *S. Dominici* Cœnobio. Hunc instituit Congregationi Præfectum *Antoninus Cloche*, qui Romam redierat. Seculari nomine *Jo: Baptistæ* deposito, in eodem Civitatis Forijulii Cœnobio tirocinium posuit, ac Ordinem professus est anno *1663*. die 7. Augusti. Sacris disciplinis instructus, plures annos Scholas rexit, ac Venetum Collegium. Obiit anno *1698*. die *6*. Martii in eadem Forojuliensi *S. Dominici* Domo.

M. DC. XCVII. *Hyacinthus Bigontina* Ampetianus, ex ea Cadubrii parte, quæ paret Archiduci Austriæ, sed etiam Veneta donatus Civitate, *die VI. Maii*, in Collegio Veneto. In litteris Encyclicis, quibus obitus ejus nunciatus fuit, hæc legimus: *Virum amisimus, dolemusque amissum, qui sexaginta novem annorum spatio, severiori pietatis disciplina, proficuis litterarum studiis, ac publicis muneribus praclare obitis, sibi suæque saluti coram Deo maxime consuluit optimeque de nostra Congregatione meritus est. Piam enim austeramque vitæ ejus novimus omnes institutionem, quam ad extremam usque senectam constantissime retinuit, somni parcissimus, assiduus in oratione, statis precibus die noctuque præsens, recti & justi tenax, durioribus virtutum officiis exercitatissimus. Immensæ fuit lectionis Vir, bonisque studiis litterarum excultus: quæ sibi non fecit inane quoddam ornamentum*

ani-

animi, sed veluti media assumpsit queis par esset lucrandis Deo proximis, qua confessiones eorum patientissime excipiendo, quà conciones & catecheses vere Christianas e sacro suggestu tota vita sua perorando. Cum pietate demum, ac eruditione suaves adeo exhibuit mores, vigilemque prudentiam in agendis, ut Congregationis nostræ bis egerit Vicarius Generalis præfecturam, pluriesque Collegium SS. Rosarii Venetiarum & alia Cænobia rexerit cunctis gratissimus. Vitam mortalem cum æterna commutavit Justinopoli in Conventu *S. Dominici*, die 16. Augusti, Divo Hyacintho sacra, anno 1730. ætatis vero 84. Vota Religionis anno 1664. die 24. Junii nuncupaverat in Cœnobio Justinopolitano, *Jo: Baptista* in sacris undis vocatus. Congregationis præfecturam iterum gessit.

M. DC. XCIX. *Jo: Albertus Tabaccus* Venetus, in Collegio SS. Rosarii *die VII. Maii*. Præclaras Viri dotes exhibent Encyclicæ litteræ in ejus obitu scriptæ. *Ab adolescentia sua* (Vincentius appellatus,) *semitas Dei nostri ingressus, sumto postmodum Religionis jugo*, (anno 1674. die 21. Septembris in Cœnobio Conellianensi,) *sibi injecto rigidissimæ professionis freno, medium iter a Jesu Christo monstratum, quin ad dexteram sinistramque declinaret, semper tenere studuit, inceptumque cursum ad perfectionis usque metam persequutus est. Hinc cælestis illius Dei nostri caritatis, quam suam propriamque fecit ille, præclara incrementa toto semper corde concupivit, obtinuitque, cæterarum quoque virtutum donis, quæ sancta profundit caritas, maxime locupletatus. Hinc etiam divinissimo stimulo tactus, nihil unquam prætermisit, ut cælestem ignem ubique accenderet, Fratresque suos ac totius Congregationis Religiosos, quos fere omnes aut Artium & Theologiæ Lectoris, aut Magistri Novitiorum, aut Confessarii, aut Superioris muneribus sedula caritate obitis sibi devinxerat, amato Deo caros gratioresque efficeret. Illius etiam debemus Caritati Observantiæ nostræ, si Deus dederit, nunquam ruituræ validissima præsidia: quam notam, perspectamque habens Reverendissimus totius Ordinis Magister Generalis nuper defunctus,* (Antoninus Cloche,) *eidem Persidis & Armeniæ missionem, afflictasque res nostras sub illo Cælo Religionis commendavit, eo in Visitatorem Generalem instituto: quanquam messem illam sua falce intactam relinquere debuit, ad* do-

domesticam vineam qua doctrina, qua exemplo, qua auctoritate excolendam a Deo datus. Quin demum ejus debent, quam commendamus, caritati non pauca Sanctimonialium Monasteria Religiosæ Communitatis ab illo promotæ uberrimos fructus: ac debent cujuscumque status sine numero proximi, aut sanctæ vitæ novitatem, aut præclarum in virtute profectum, & vitam æternam qua fruuntur in Cælo. Ragusinam etiam Congregationem, quam nutantem dolebat *Antoninus Clocbe*, curæ ac regimini committendam censuit ejusdem *Jo: Alberti Tabacci*, quem primo *Commissarium & Visitatorem* instituit, tum *Vicarium Generalem*. Munus adsumere probatissimo Viro non licuit, tum Alumnorum oppositionibus impedito, tum aliis implicito negotiis. Litterarum partem in lucem profero. „ *In Dei Filio sibi Dilecto Rev. admodum P.F. Alberto Tabacho Congregationis nostræ S. Jacobi Salomonii Venetiarum Ordinis F.F. Prædicatorum, F. Antoninus Clocbe S.Th. Professor ejusdem Ordinis humilis Magister Generalis & Servus Salutem* ". Mala plurima, quæ in Ragusina Congregatione serpebant, dolenti animo enumerat: tum ad ea eliminanda promptissimum animum declarat. " Ideo eadem auctoritate in nostris „ Constitutionibus concessa, & Officii nostri, cum con„ silio Gravium Patrum, censuimus Commissarium in „ Congregatione nostra Ragusina deputandum. De tua „ igitur religione, pietate, observantia, doctrina, Zelo, „ prudentia confisi, & per varia experimenta pro regi„ mine Conventuum & Congregationum probata; Te „ admodum Rev. Patrem F. Albertum Tabacho, teno„ re præsentium & officii nostri auctoritate, (absolven„ tes Te prius ab omni vinculo excommunicationis, „ suspensionis, & Interdicti, sive quovis alio Ecclesia„ stico impedimento si quo forte esses innodatus, ad ef„ fectum duntaxat præsentium consequendum,) damus, „ facimus, & instituimus Commissarium nostrum & Vi„ sitatorem Congregationis nostræ Ragusinæ, cum omni „ auctoritate tam in spiritualibus quam in temporali„ bus, in & super omnibus Conventibus & Fratribus „ nostris, cujuscumque sint officii, dignitatis, & gradus. „ Itaut omnes, quos repereris ab observantia Regulari „ juxta primævum institutum præfatæ Congregationis de„ fecisse, eos omnes ab officiis absolvere, & pœnis pri-

„ va-

„ vativis & positivis quoscumque secundum Constitutio-
„ nes nostras, Ordinationes Capitulorum Generalium,
„ & speciales pro hac Congregatione subjacere aut eos
„ incurrisse declarare, & ut officium Commissarii nostri
„ liberius exercere valeas. Inhærentes etiam nostris Con-
„ stitutionibus, eodem tenore & Officii auctoritate, Te
„ prænominatum Rev. admodum Patrem F. Albertum
„ Tabacho a die possessionis ea in Congregatione ad
„ biennium Vicarium Generalem instituimus; amoven-
„ tes quemcumque alium a munere & officio Vicarii Ge-
„ neralis: facultatemque facimus tibi, tecum conducen-
„ di tres aut quatuor Religiosos ex Congregatione no-
„ stra S. Jacobi Salomonii Venetiarum, quos idoneos ad
„ Officium Prioris, Lectoris, & Magistri Novitiorum ju-
„ dicaveris; quosque ad hæc officia respective ad repa-
„ randam observantiam, & stabilienda studia, ac Novitia-
„ tus, plena & nostra auctoritate instituere poteris. In-
„ jungentes tibi, ut in primis perfectam bonorum om-
„ nium communitatem instituas; & quoscumque repere-
„ ris deposita, vestes, libros, mobilia quæque habere,
„ omnia Conventui incorporare facias, & incorporata &
„ confusa declares, omniaque ea in Congregatione ad
„ exactam secundum rigorem Constitutionum nostrarum
„ observantiam redigas. Et quia abusus etiam irrepsit,
„ ut juvenes ad habitum, linguam etiam latinam non
„ calentes, recepti fuerint, mandamus tibi, ut si profes-
„ sionem emiserint, ad Ordines quoscumque non mit-
„ tantur, nisi prius caleant linguam latinam, & exerci-
„ tati sint in iis quæ sunt nostri status. Sicque institu-
„ tum, factum, & datum Vicarium Generalem, Com-
„ missarium nostrum, & Visitatorem Congregationis no-
„ stræ Ragusinæ, ad biennium a die possessionis, cum
„ omni auctoritate in spiritualibus & temporalibus, in
„ & supra dicta Congregatione, Conventibus, Domibus,
„ locis, Patribus, Fratribus, & utriusque sexus perso-
„ nis, etiam tertii habitus, ad dictam Congregationem
„ quomodocumque spectantibus, quam cæteri Vicarii Ge-
„ nerales & Commissarii ac Visitatores in Ordine nostro
„ de jure vel approbata consuetudine habere solent & de-
„ bent. Et ut meritorum cumulus tibi per obedientiam
„ accrescat, præcipimus tibi in virtute Spiritus Sancti,
„ & Sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto: ut
„ præ-

„ præfatum munus suscipias, & diligenter & cum Zelo „ Religionis exerceas. Omnibus vero & singulis Patribus & Fratribus, cujuscumque fine dignitatis, superioritatis, & officii, ad dictam Congregationem quomodocumque spectantibus, sub iisdem virtute & præcepto præcipimus, ut te uti Commissarium nostrum, Visitatorem, Vicarium Generalem, Caput, & Pastorem dictæ Congregationis habeant, suscipiant, agnoscant, & venerentur: tibique in omnibus & per omnia subsint, & pareant. In contrarium quibuscumque non obstantibus In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem his officii nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus. Datum in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die 27. Januarii M.DCC.III. „ F. Antoninus Cloche Magister Ordinis. Reg. fol. 16. „ F. Joseph Maria Brouet Magister & Socius. " Mortem sex & sexaginta natus annos, lætus aspexit die 14. Januarii anno 1722. Venetiis.

M. DCC. I. *Daniel Danielius* Venetus, in Collegio Veneto, *die VII. Maii*. Viri præclarissimi inter Scriptores Congregationis mentio recurret.

M. DCC. III. *Angelus-Maria Pasinus*, Asulanus in Marchia Tarvisina Patricius, *die XXVIII. Maii*, in Cœnobio *Valvasonensi*. Elogium ejus profero ex litteris obitum ejusdem nunciantibus. *Virum amisimus, ac dolemus amissum, qui in nostram Congregationem cooptatus:* (pro Conventu Marosticensi Provinciæ Venetæ, tirocinium Conelliani posuerat, emiseratque professionem anno 1685. die 13. Maii, *Joseph-Maria* in Seculo appellatus;) *nihil prius & antiquius habuit, quam ut severiore pietatis disciplina, ac proficuis litterarum studiis sibi suæque saluti consuleret, atque insigni cæteris præiret exemplo. Hujusce pietatis; quam ad extremam usque senectam constantissime retinuit, sunt testimonio tum perpetua illa ferme solitudo in qua assiduam Sacrorum librorum studio navavit operam, tum frequens orationis ac meditationum exercitium, tum denique obedientiæ, paupertatis, modestiæ, aliarumque virtutum promptissima officia. Viro tam præclaris virtutibus ornato insignes quoque dotes non defuere: sed præsertim in eo emicuit summa in agendo prudentia, in loquendo facundia, tamque eximia affabilitas ut totus ad bene de omnibus merendum natus esse videretur. Et hæc*

cau-

causa fuit, cur non tantum litterariis exercitationibus, sed regendis quoque Cœnobiis præpositus fuerit, necnon Congregationis nostræ ter Vicarii Generalis egerit præfecturam. Hoc in munere vix dici potest, quo regularis Disciplinæ Zelo, qua animi fortitudine ad difficilia quæque ejusdem Congregationis negotia adgredienda, qua solerti diligentia, qua prudentia, qua demum suavitate se gesserit. Hæc præterea causa fuit, cur plurium tum Ecclesiastica, cum seculari dignitate fulgentium existimationem, atque amorem sibi jure optimo promeruerit: omnibus enim omnia factus, cunctorum ad se oculos animosque traxit, dum salutis monita & convenientia prorsus consilia ab eo se accepisse profiterentur. In Cœnobio *Forojuliensi*, annos tres ac septuaginta natus, vita migravit die *6.* Novembris anno 1733. Iterum, ac tertium Congregationis regimen tenuit.

M. DCC. V. *Reginaldus Maria Panighettus* Veronensis, in Collegio Veneto, *die XXVIII. Maii*. Patriam habuit *Veronam*, parentibus natus Judaica superstitione infectis. Mox ad Christianam Religionem, vocante Deo, Mater conversa, triennem illum secum abripuit, curavitque sacro lavacro regenerari, indito *Jo: Baptistæ* nomine vocatum. In Ecclesiæ Catholicæ gremio, pietatis officiis, ac litteris ætati consentaneis vacavit sedulo. Conelliani vestem induit Dominicanam anno 1676. die 15. Novembris, nomine adsumpto *Reginaldi Mariæ*. Anno vertente, vota solemnia nuncupavit. *De ingenii acumine, ac perspicacitate nonnihil ut dicamus; quantum in hac parte valeret, docendi munere per plures annos in Scholis nostris exercito, patefecit, jam Magisterii laurea donandus, si apud nos id moris obtinuisset. Eruditioni Theologicæ singularem Sacrarum Scripturarum peritiam conjunxit: ita illarum verba præsto habens, acsi memoriæ integras infixisset: ita in privatis colloquiis, vel etiam publicis adhortationibus, quandoquidem & in concionando disertissimus erat, ad id quod versabat inflectens, ut audientes non minus enarrationis concinnitate oblectaret, quam sermonis efficacia permoveret. Sed sanctimoniæ in eo elucentis potiores fructus fuerunt. Animi quippe, Deo non perfunctorie inhærentis, germana virtus sese prodebat jugi exterioris hominis ad legum nostrarum scita compositione; alacri ad ea, quæ vel obsequium divinum, vel proximi*

ximi solatium spectarent, promptitudine, impertubata tam in prosperis, quam in adversis æquanimitate; Zelo disciplinæ, nunquam tamen a prudentia sejuncto, ac nulla rudi morositate asperato. Hinc evenit, ut & Novitiorum educationi, fere imberbis, præpositus: & progressu temporis tum hujus Collegii nostri Rector, tum universæ Congregationis Moderator; eas administrationes fortiter simul ac suaviter procuraverit, subditorum quidem corda sibi dulcissima comitate devinciens, & nihilominus communis observantiæ rigorem ab omni laxamento sartum tectum vigilanter custodiens. Non diu tamen incumbere potuit domesticæ gubernationi; sensim extraneorum necessitatibus, quibus urgente caritate inserviebat, implicitus totus, ac pene oppressus. Etenim cum in excipiendis confessionibus frugi Christi minister audiret, a multis utriusque sexus vel ad pie vivendum, vel ad pœnitenter moriendum, ejus operam exposcentibus, assidue distinebatur. Accessit cultiorum quarumdam animarum, aut in Monasteriis dicatarum, aut in seculo Christo devotius famulantium, commendata sibi directio: quas certo tramite, atque ob hallucinationibus procul semoto, ita ad Christianam perfectionem manuduxit, ut earum aliquæ divinis charismatibus locupletes cum magna sanctitatis opinione decesserint; quemadmodum in ipsarum Vitis publica typorum luce donatis vulgatum extat. Deinde cum in dies percrebresceret de hominis integritate, circumspectione, & dexteritate notitia, & ad familiarum componenda dissidia, ad imbecilliorum jura fovenda, ad innocentiæ & pudicitiæ amovenda offendicula, ad calamitosorum infortunia reparanda, ad promovendas piorum operum molitiones, explanandasque difficultates, cœpit frequenter & utiliter adhiberi. Hujuscemodi studiis conciliata sibi totius fere Venetæ Nobilitatis, reliquorumque Ordinum benevolentia, apud Optimates quoque Reipublicæ haud mediocri gratia & auctoritate florebat: adeout propterea nec in externorum Principum aulis illius nomen esset prorsus obscurum; & a sublimioribus personis, ab insignium Ecclesiarum Præsulibus, ab aliquibus etiam primæ notæ Romanis Cardinalibus per litteras ad ipsum, fama duntaxat cognitum, datas gravissimis de rebus subinde consuleretur. Verumtamen ille tanta celebritate nihil ad animi elationem deflexus; nihil ad evectionem status, quæ facillima videbatur, nihil ad vitæ commoda comparan-

randa ; tumoris & ambitionis expers, religiosæ paupertatis in vestibus rebusque sui usus retinentissimus ; cibi, potus, ac somni modicissimus, id solum ex ea nactus est aut quæsivit, ut scilicet pauperrimorum, quibus æque ac divitibus & potentibus sese tractabilem, blandum, paratumque exhibebat, levandæ inopiæ magis idoneus procurator evaderet. Certe innumeris, nullo habito locorum & conditionum discrimine, ad temporalia vitæ subsidia obtinenda profuit manu, consilio, officiis: sed vix cogitari potest, quantis idcirco se oneraverit Solicitudinibus, quot molestias devoraverit, quantis se præbuerit importunitatibus divexandum. Ita fido calamo scripsere Patres, obitum ejus nunciantes. Ætatis annum octogesimum sextum prætergressus, migravit e vita mortali anno 1747. die 14. Martii.

M. DCC. VII. *Angelus Maria Pasinus* iterum, *die XXVIII. Maii* in Collegio Veneto.

M. DCC. IX. *Marcus Antonius Baldassarius*, Provinciæ Forojuliensis, ex pago *Muimaci* in agro Civitatis Forijulii, *die XXVIII. Maii* in eodem Collegio. Pietate, litteris, & facundia claruit. Ejus opera frequentius usi sunt Antistites in examine Clericorum, Sacrarumque Virginum in Monasteriis degentium directione. Sibi a confessionibus ipsum adsumpsit *Aloysius Pisanus*, Eques, & Procurator Sancti Marci, postea Venetiarum Dux, in legatione ad *Annam Angliæ Reginam*. Secessit demum in Cœnobium Farense, ubi mortalitatem exuit anno 1727. die 10. Maii. Conelliani pro more religiosam professionem emiserat anno 1678. die 13. Martii, *Petrus* antea in seculo dictus.

M. DCC. XI. *Georgius Modinò*, Nobilis Cretensis, *die XXVIII. Maii* in Collegio Veneto, Venetiis natus est: quam in urbem, patriam Insulam a Turcis occupatam relinquentes, receperant sese parentes ejus. *Benedictus* sacris in undis vocatus est. Anno 1682. die 15. Octobris, jam posito completoque tirocinio, Conelliani solemni votorum formula sacrum iniit Dominicanum institutum. *Quas didicerat*, (verba refero, quæ habentur in Encyclicis post ejus obitum datis,) *emenso studiorum curriculo, tradidit lector Philosophiæ, ac Theologiæ litteras: pluresque annos, licet mala valetudine affectus, Collegium rexit in Veneto Cœnobio Rosarii. Sanctissimarum legum,*

 quas

quas voto emisso professus fuerat, religiosissime tenax, juvenum tirocinio præfuit: quorum mores ut ad legis normam componeret, non inani studuit voce, sed præcipue exempli vigore obtinuit. Tum Prior Cœnobia, tum Vicarius Generalis prudentissime rexit Congregationem: sibique commissum gregem, & ab exteris validissimæ vindicavit insidiis, ac intus aluit salutis pabulo. Extra fines quoque excurrit Christi caritas, qua urgebatur: strenuamque tota vita navavit operam in fidelium confessionibus excipiendis, dirigendisque in viam Domini sacris Deo devotis Virginum cœtibus. Communi cessit fato in Cœnobio *Portus-Naonis* die 3. Julii, anno ætatis 74. æræ vulgaris 1736. Congregationem iterum administravit.

M. DCC. XIII. *Hyacinthus Bigontina* iterum, *die XXVIII. Maii* in Collegio Veneto.

M. DCC. XV. *Dominicus Maria Andriussius*, ex Oppido Sancti Danielis in Provincia Forijulii, *die IV. Junii* in Collegio Veneto. Præclara Viri merita Capite sequente memorantur.

M. DCC. XVII. *Georgius Modinò* iterum, *die IV. Junii* in eodem Collegio. Gravi morbo vexatus, integrum non absolvit muneris biennium.

M. DCC. XIX. *Angelus Maria Pasinus* tertium, *die XI. Maii* in Cœnobio Forojuliensi.

M. DCC. XXI. *Candidus Rosa Marinonus* Venetus, *die XII. Maii* Venetiis in Collegio Rosarii. Ab *Augustino Pipia*, Antonini Cloche successore, præfecturam accepit. *Jo: Jacobus* in seculo vocabatur. Solemnia Deo vota nuncupavit Conelliani anno 1694. die 15. Novembris. Obitum ejus, ac merita his nunciarunt verbis alumni Veneti. *Monasterium Justinopolitanum semel ipsum Priorem habuit, semel quod in Oppido S. Danielis positum est: bis Portus-Naonis Cœnobium rexit, Collegium vero nostrum nunc tertio jam moderabatur: ac denique Congregatio nostra ab ipso, Generalis Vicarii dignitatem gerente, Sapientissime gubernata est. Hæc ipse munera & peculiari regularis Observantiæ incremento, & Subditorum omnium pace, ac adprobatione semper exercuit. Nec aliud profecto ex tanti Viri regimine jure meritoque expectandum. Is enim juxta Petri scitum factus forma gregis ex animo, quidquid alios docebat, prior ipse cumulatissime exequebatur. Debiti divino Numini honoris studio succensus,*

*sus, mirum quantam & in celebrando devotionem, & in orando mente fervorem, & in psallendo modestiam præseferret! Vix altera, aut tertia nox integro anni curriculo numerabatur, si quidem numerabatur, qua Matutinis nocte media solvendis precibus non adfuisset. Silentii custos, paupertatis studiosus, abstinentiæ tenax, fuci expers, humilitatis amator eximius erat. Quanta vero benevolentia Fratres omnes in Domino complecteretur, quanta comitate exciperet, quanta suavitate foveret, norunt omnes qui ejus consuetudine usi sunt: id modo sufficiat unum, ipsum omnibus omnia factum, quæ sua erant quæsivisse nunquam; sed quæ Jesu Christi, quæ Communitatis, quæ suorum Fratrum, pro virili parte, caritate solertissima promovisse. Quamvis nec intra Cœnobii septa, nec erga Fratres tantum detinebatur Rectoris nostri pientissimi caritas; ad omnes enim domesticos fidei juxta Ordinis nostri spiritum extendebatur. Hinc Lectoris, hinc Prædicatoris munia gnare exercuit: hinc excipiendis Confessionibus, hinc dirigendis in spiritualem profectum animabus, hinc sacris Virginibus quæ in præcipuis Urbis hujusce (*Venetiarum*) Gynæceis Deo inserviunt, rite informandis, tam sedulam tamque assiduam navabat operam, ut sæpissime vix ipsi tempus suppeteret, quo necessaria vitæ subsidia carperet, & alimenta.* Mortalitatem exuit in Collegio Veneto, dum Rectoris munere fungeretur, die 13. Decembris anno Christi 1734. ætatis 57. expleto.

M. DCC. XXIII. *Jo: Josephus Tabaccus* Venetus, in eodem Veneto Collegio *die XII. Maii*. Nomine *Joannis* sacro tinctus lavacro vocatus est: fuitque frater *Joannis Alberti* supra memorati. Posito Conelliani tirocinio, sacram emisit professionem anno 1688. die 8. Junii. *Mitis illi animus*, (verba profero Encyclicarum,) *ingenuus candor, fuci nulli: corpus vero paupertatis, vigiliæ, laboris, cæterarumque afflictionum patientissimum. Animi ejus fuere ornamenta, ignorare seculum, cellam unice nosse, religiosis exercitationibus primum aut in primis adesse, Fratres amplecti, Deum diu noctuque colere. Litterarum studiis, quæ Majorum instituto colere debemus, vacavit, & præfuit. At cum his præsertim virtutibus, quæ Regularis Præfecti sunt, amore videlicet disciplinæ, & consilii maturitate polleret, annos plus quam triginta, ferme continentes, in id munus incubuit: semel toti Congregationi* cu-

curandæ, *bis collegio Veneto administrando*, *pluries Cœnobiis reliquis regundis*, *sæpius juventuti formandæ admotus*. *Agreste quoque Asceterium Virginum Deo dicatarum*, *quas Pauperculas dicunt*, *ab hocce nostro* (Farensi) *haud longe positum*, *ita moderatus est*, *ut aspera illa vivendi ratio*, *plane eximia*, *atque indoli rusticarum feminarum accommodatissima*, *illuc invecta*, *eo hortatore*, *ac ductore*, *vigeat adhuc*, *eodemque quo cœperat loco stet*. Laborum suorum *finem lætus aspexit in Cœnobio Faræ* anno 1739. Calendis Decembris.

M. DCC. XXV. *Jo: Jacobus Polus*, seu *Poli*, Venetus, *die XIII. Maii* in Collegio Veneto. Hanc illi præfecturam contulit *Augustinus Pipia*, a Benedicto XIII. ad Sacram purpuram die 20. Decembris evectus anno superiore 1724. *E Patricia inter Venetos Familia prognatus*, (vocatusque Jo: Baptista,) *cum majorum vestigiis hærens*, *ad ea munia quæ juxta avitæ nobilitatis gradum consentanea sibi erant*, *adipiscenda virtute & merito niteretur*, *meliora charismata desuper adspirante Numine æmulatus*, *iis omnibus*, *quæ vel ex suæ gentis genere*, *vel ex perspecta in rebus agendis ipsius dexteritate nancisci poterat*, *posthabitis vanitatis illiciis*, *divinarum rerum studio succensus*, *Ordini in Congregatione nostra*, *trigesimo secundo ætatis anno*, (imo circiter 36.) *nomen dedit*, (votaque solemnia nuncupavit anno 1708. die 19. Januarii.) *Vix inter nos cooptatus*, *tanto florere cœpit severioris disciplinæ studio*, *tanto in Deum proximosque caritatis affectu*, *tanta in agendis prudentia*, *tanta denique ad omnia pietatis officia morum compositione*; *ut paucis annis ab emissa professione peractis*, *unus selectus fuerit cui in efformandis regulari disciplina adolescentum animis*, *qui a seculi illecebris ad religiosæ vitæ tirocinium accedebant*, *negotiosa certe provincia demandaretur*. Eo *in munere quam suaviter virtutum omnium amorem in ipsis excitaverit*, *quam apte eorum mores ad legis normam composuerit*, *quam recte ad eos optime instituendos sese in rebus omnibus absolutissimum exemplar exhibuerit*, *testamur ipsi*, *qui vidimus*. *Hinc ad sublimiora*, *quæ ipsum magis decebant*, *obeunda munia evectus*, *tum Prior Cœnobia*, *tum Vicarius Generalis non semel rexit Congregationem*, *quæ munera*, *& perenni subditorum omnium plausu*, *& speciali regularis observantiæ incremento*, *quæ alios*

alios docebat, *prior ipſe cumulatiſſime exſequens*, *optimus pater prudentiſſime ſemper exercuit*. Hæc ſcripta leguntur in litteris, quæ obitum ejus nunciarunt. Extremos vitæ annos duxit in amaritudine cœcitatis, aliiſque pluribus afflictatus morbis. Mortem Venetiis obiit anno *1746.* die 12. Julii. Congregationem alia vice prudentiſſime adminiſtravit.

M. DCC. XXVII. *Jo: Hieronymus Ferrarius* Ateſtinus, *die XIV. Maii* in Veneto Collegio. Veſtem ſecularem, & *Alexandri* nomen depoſuit Conelliani anno *1699.* die 7. Februarii: eademque die ſacram emiſit profeſſionem, anno vertente. Congregationis præfecturam eidem contulit novus Generalis Magiſter Ordinis, *Thomas Ripoll*.

M. DCC. XXIX. *Fabianus Marinonus* Venetus, *die XIV. Maii* in Veneto Collegio, *Candidi Roſæ* memorati Frater germanus. *Paſqualinus* vocabatur in ſeculo. Solemnibus se divino cultui obſtrinxit votis Conelliani anno 1700. die 4. Octobris.

M. DCC. XXXI. *Jo: Jacobus Polus* iterum, *die XIV. Maii* in Collegio Veneto.

M. DCC. XXXIII. *Bernardus Maria de Rubeis* e Civitate Forijulii, *die XIV. Maii* in eodem Collegio. Cætera vide Capite ſequenti.

M. D. XXXV. *Jacobus Rattus* Venetus, *die IV. Maii* in Cœnobio Forojulienſi, cujus præfecturam tenebat. *Alexander* in ſeculo vocatus, vota Religionis nuncupavit anno 1708. die *19.* Januarii.

M. DCC. XXXVII. *Fulgentius Cuniliatus* Venetus, *die XIV. Maii* in Cœnobio Veneto. De Viro illuſtri iterum Capite ſequenti.

M. DCC. XXXIX. *Dominicus Maria Andriuſſius* iterum, *die XIV. Maii* in Cœnobio Conellianenſi, quod Prior adminiſtrabat.

M. DCC. XLI. *Hyacinthus Michelettus* Venetus, *die XIV. Maii* in Veneto Collegio. Inſequens Caput conſule.

M. DCC. XLIII. *Fabianus Marinonus* iterum, *die XXI. Maii* in Cœnobio Forojulienſi, cujus gerebat Præfecturam.

M. DCC. XLV. *Amandus Maria Leonius Venetus*, *die XXII. Maii* in Collegio Roſarii. Armeno patre, & Matre Veneta natus, *Stephani* nomen habuit. Poſito Conel-

nelliani tirocinio, sacris se votis obstrinxit anno 1710. die 1. Novembris.

M. DCC. XLVII. *Jacobus Rattus* iterum, *die XXII. Maii* in Collegio Veneto.

M. DCC. XLIX. *Gervasius Maria Tamossius*, in Cœnobio Farensi *die XXII. Maii*. Natales habuit *Lugani*, quo ex loco nomen habet prima, quæ dicitur *Præfectura Italica*, seu *Transalpina*. Venetias incolatum pluribus abhinc annis transtulere sui. *Ignatius* vocabatur in seculo, suaque vota religionis nuncupavit Conelliani anno 1709. die 9. Septembris. Institutionis litteræ datæ sunt ab Antonino Bremond, quem Magistrum Generalem anno præcedente in Comitiis Bononiensibus elegerunt Patres.

M. DCC. LI. *Laurentius Justinianus*, Venetus ex Patricia gente, in Collegio Veneto die XXII. Maii.

CAPUT XXXI.

Viri dignitatibus illustres, itemque Scriptores e Congregatione Beati Jacobi Salomonii.

I. *Bernardinus Gosellinus.* BErnardinus Gosellinus Feltrensis agmen ducit. Prima Congregationis fundamenta jecit ipse, regulari disciplina in Cœnobio Forojuliensi adserta. Gesta ejus præclarissima recensuimus Capite IX. & X. ejusque opera plura, typis edita, & Manuscripta quæ adservantur, memoravimus. Leviora quædam addo Opuscula, quæ in ejus Vita fusiore MS. recenset Marcus-Antonius Sternus.

1. *Apologia in difesa del Beato Alberto Magno.*

2. *La Regola di Sant' Agostino, e le Constituzioni di San Domenico, tradotte in volgare per le Monache dell' istesso Ordine, a compiacenza delle Madri di Santa Maria della Cella.*

3. *Elogio latino in lode della Città dl Cividale del Friuli.*

4. *Orazione latina, che fò recitata da un Novizio nel Capitolo Provinciale, che si fece in quella Città* (di Cividale) *l'anno* 1626. Hæc laudati Sterni verba sunt.

II. *Basilius Pica.* *Basilius Pica* Neapolitanus: qui adsertam in Cœnobio Forojuliensi observantiam propagavit, erectionemque promo-

movit Congregationis sub titulo *Beati Jacobi Salomonii*. Gesta ejus lege Capite XI. XII. XIV. & XVIII. quibus in locis quæ scripsit ediditque opuscula, recensita sunt.

III. *Hieronymus Picinus.*

Hieronymus Picinus Venetus: quo de Viro pietate, ac litteris illustri, ac inter primos novæ Congregationis alumnos meritissimo, egimus Capite XIX. Quod opus typis edidit, ibidem recensetur num. VI.

IV. *Bonifacius Maria Grandius.*

Bonifacius Maria Grandius Venetus. Nomen Ordini dedit, votaque solemnia in Æde *SS. Joannis & Pauli* nuncupavit. Philosophicis eruditus in patria disciplinis, in Hispaniam profectus est, studio Theologiæ excolendus, quam magno profectu *Vallisoleti* excepit. Venetias redux, non modicam secum attulit Codicum MSS. copiam, in quibus Theologicæ prælectiones habentur ab Hispanis Magistris ea ætate præclaris dictatæ. Sacris tradendis litteris, quas apprime noverat, operam plures annos dedit. Emenso lectionum curriculo in Patavino *Sancti Augustini* Cœnobio, Magister Sacræ Theologiæ in Actis Comitiorum Generalium, quæ Romæ, præside *Jo: Baptista de Marinis*, anno 1656. celebrata sunt, adprobatus est. Commodioris vitæ ratione relicta, ad Insulam & ædem *Sancti Secundi* anno 1661. secessit, ut a Basilio Pica, qui regularem disciplinam eo in loco instauraverat, legitimis ad normam legum imbueretur moribus: ac Reformationis operi, Numine favente, in Veneta Provincia cœpto manus & ipse porrigeret. Erectam insequente anno 1662. Congregationem summa prudentia rexit: prima vice *Vicarius Generalis* anno 1676. renunciatus a Jo: Thoma de Roccaberti, eodemque in officio ab Antonio de Monroy anno 1678. confirmatus. *Regentis* munere, (quo deinde titulo, gradibus abdicatis, abstinuerunt alumni Congregationis,) in Collegio, quod in Æde *Sancti Secundi* erectum, Venetias in urbem principem translatum fuit, viginti prope annos cumulatissime defunctus est: habuitque discipulos, præter Nostrates, plurimosque Urbis Clericos, quamplures exteros Ordinis alumnos, *Romanos*, *Florentinos*, *Lombardos*, *Belgas*, *Germanos*, *Polonosque*. Romam accitum anno 1686. præfecit ipsum *Innocentius XI.* amplissimo Bononiensi *S. Dominici* Cœnobio, ut collapsam in eo Regularem Disciplinam erigeret. Demandatum sibi munus viginti circiter Menses prudentia, ac dexteritate summa exercuit.

Nnn Tum

Tum Collegii Veneti regimen suscepit, quod ipsi anno 1688. die 30. Septembris, latis Alumnorum suffragiis, conlatum fuit. Doctrina, prudentia, integritate morum, ac severiore disciplina adeo enituit, ut non solum Congregationis incrementis prospexerit; verum etiam in arduis rerum discriminibus ab eo Patricii Veneti, Præsules etiam, & S. R. E. Cardinales aliqui consilia peterent, acciperentque. Pleuritide tactus mortem obiit Sacramentis Ecclesiæ munitus in Collegio Veneto anno 1692. die Dominica 17. Februarii. Ætatis annum *sexagesima octavum* exhibet Necrologium: legimus vero *Septuagesimum* in Monito Tomi III. *Cursus Theologici* ad Lectorem. Proximum scilicet rotundum numerum fortasse adhibere voluerit Moniti auctor. Quæ typis edidit, hæc sunt.

Cursus Theologicus, in quo principales Theologici Tractatus discutiuntur juxta Mentem Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis in tres Tomos distributus, servata coordinatione Summæ ejusdem Angelici Præceptoris. Tomus primus: *comprehendens Tractatus ad Primam Partem attinentes; videlicet de Sacra Doctrina, de Attributis, de Visione Dei, de Scientia Dei, dei Ideis, de voluntate Dei, de Prædestinatione, de Sanctissima Trinitate, de Creatione, de Angelis*. Ferrariæ M. DC. XCII. ex Typographia Hieronymi Filoni in Fol.

Tomus secundus: *comprehendens Tractatus ad Primam secundæ spectantes; videlicet de Ultimo fine, de Beatitudine, de Voluntario & involuntario, de Circumstantiis, de Volitis, de Moventibus voluntatem & de actibus ejusdem, de Bonitate & malitia humanorum actuum, de Habitibus & Virtutibus in communi, de Vitiis & peccatis, de Legibus, de Gratia, justificatione, & Merito: in quo etiam exponuntur tres celebres Tractatus ad Secundam Secundæ attinentes; videlicet de Fide, Spe, & Charitate*. Ferrariæ M. DC. XCII. ex Typographia Hieronymi Filoni in Fol.

Tomus Tertius posthumus: *comprehendens Tractatus ad Tertiam Partem attinentes; videlicet de Incarnatione, de Gratia Christi, ac de Scientia ejusdem & Merito, de Sacramentis in genere, & unoquoque in particulari*. Venetiis M. DC. XCVII. ex Typographia Bosii in Fol.

Priores Tomi duo, qui *Ferrariæ* editi leguntur, typis mandari cœperunt Venetiis, curante Bosio Typotheta anno

anno 1691. quo etiam anno concessam *die 29. Septembris* facultatem legimus ab Antonino Cloche, Generali Ordinis Magistro. Orto quoad modum in censura librorum servandum dissidio, Ferrariensis Typographi nomen impressum est; Fideique Quæsitoris *Ferrariæ* degentis impetrata facultas, ut Opus prodiret. Hanc, prævia censura *Stephani Cupilli* e Congregatione Somasca, & *Josephi Zagagliæ* Mantuanæ Carmelitarum Congregationis Alumni concessit *F. Antonius Leonius Inquisit. Gen. Ferrariæ*. Tertium, quem morte præventus imperfectum reliquit Grandius, Tomum absolvit *Petrus Martyr Bertagna*. In prævio Monito hæc habentur: *Te non turbet igitur admiratio, Candide Lector, si post Quæstionem de Scientia Christi varium Operis stylum prælegendum contingat. Quandoquidem extincto P. Magistro Bonifacio, attente in alium* (laudatum Bertagna) *nos mentem defiximus*, (ita præloquuntur Collegii Veneti Patres,) *ut sapientiæ similiorem, & doctrinæ ejus* (Grandii) *acerrimum defensorem seligeremus, qui inceptum Tractatum ad completam Theologiæ metam felici calamo perduceret in unitate sententiæ*. Temporis, ac loci differentia, quam priores Tomi duo, ac Tertius præferunt, deceptus Jacobus Echardus, bis editam credidit Grandii Theologiam, dum ait: *Editione altera prodierunt Tomi tres Venetiis 1697. in Fol. quæ extat Romæ in Casanatensi*.

Petrus-Martyr Bertagna Veronensis, *a S. Stephano* dictus, integro biennio severioris Disciplinæ officiis in Cœnobio *Faræ* a Basilio Pica exercitus, vota Religionis anno 1660. die 15. Decembris nuncupavit. Nomen habuit *Antonii* in sacris undis. Scientias a Bonifacio Grandio in Insula & Æde *S. Secundi* didicit: quas deinceps, muneribus *Lectoris*, *Baccalaurei*, & *Regentis* egregie defungens, magno discipulorum profectu tradidit. Morum integritas, præcellentia doctrinæ, & assidui labores in operibus caritatis magnam in Urbe conciliarunt ipsi existimationem. Habuit ipsum conscientiæ directorem *Catarina a Voluntate Dei*, Soror tertii Ordinis, cujus Vitam scripto mandavit vulgavitque *Josephus Galiziolius*. Mortalitatem exuit in Collegio Veneto anno ætatis circiter 57. æræ Christianæ 1697. die 29. Januarii. Tertium Volumen *Cursus Theologici*, majorem parte a Grandio elucubrati, absolvendum sumpsit sub hoc Titulo. V. *Petrus Martyr Bertagna.*

Nnn 2 1. Cur-

1. *Cursus Theologicus &c. Studium admodum Rev. P. F. Bonifacii-Mariæ Grandi Veneti Ordinis Prædicatorum, ejusdem S. Thomæ Discipuli in Collegio SS. Rosarii Venetiarum, partim proprio calamo scriptum, partim vero ex ejusdem communicatione depromptum.*

Tomus tertius posthumus &c. Venetiis M. DC. XCVII. ex Typographia Bosii in Fol. Vide superius Elogium Grandii. Post Quæstionem XII. de Scientia Christi, hæc habentur in Admonitione: *Hactenus noster auctor* (Grandius) *in duodecim Quæstiones de Incarnatione signaverat, & etiam Titulum tertiædecimæ, plura eaque grandia scripturus. Sed morte abreptus, magno Theologiæ damno, hic vita studioque functus est. Quæ sequuntur, alterius quidem calamum, sed ejusdem Auctoris doctrinam ferrent.* Lucem vidit Opus post obitum Parentis. Cessit ipse fato anno 1697. die 29. Januarii: eodemque sane anno, sed *die* 27. *Aprilis* facultatem, ut typis edi posset, fecit Antoninus Cloche.

2. *Eccitamento ad abbracciare il santo esercizio di devozione delli nove Venerdì in onore della gloriosa S. Rosa Domenicana &c.* in 12. Venezia, & in Bassano per Gio: Antonio Remondini. Data edendi libellum facultas ab Antonio de Monroy, Magistro Generali, *die* 29. *Maii* 1678.

3. *Brevis Paraphrasis in Prophetam Isaiam, cum aliquibus Canonibus ad Prophetarum explicationem.* Manuscripta servatur in Bibliotheca Collegii Veneti. Tria tantum Prophetæ capita commentario suo illustravit Auctor.

4. *Dubia quædam circa sensus Sacræ Scripturæ.* Habentur MSS. in eodem Codice, in quo superior Paraphrasis.

VI. *Marcus-Antonius Sternus.* *Marcus-Antonius Sternus* Venetus. Dominicanam induit vestem in Æde *SS. Joannis & Pauli*: habuitque Magistrum in tirocinio Thomam Capellum. Litteris, ac rigidiori legum observantiæ dedit operam in Cœnobio *S. Mariæ ab Arcu*, quod apud Neapolim in Diœcesi Nolana exstat, spectatque ad Aprutinam Provinciam sub titulo *S. Catharinæ de Senis* anno 1601. erectam. Hæc de seipso narrat idem Sternus in Vita MS. *Hyacinthi Bovii*. Migravit e vita in Domo Forojuliensi anno 1676. die 17. Decembris. In Necrologio memoriæ posterorum traditum legitur: *Quadraginta & plures annos*, (Italica

lica verba latine reddimus,) *ad erectam in eodem Forijulii Cœnobio disciplinam egregie fovendam, ac pro virili tutandam adlaboravisse : totam insumpsisse vitam in habendis Concionibus, legendisque & componendis libris: Odeum, & Navim Ecclesiæ, ac Fratrum Dormitorium instaurata ab eodem fuisse & expolita: plures recuperatos ejus diligentia fundos, qui aliorum incuria perierant, aliisque comparatis proventus annuos amplificatos : non tam annis denique gravatum*, (quorum numerus prætermittitur,) *quam laboribus fractum obiisse*. Typis prodiere.

1. *Ghirlanda celeste di venti bellissime rose, che spirano le qualità più odorose del Santissimo Rosario*. Udine per Nicolò Schirati 1663. in 4.

2. *Zodiaco Rosariano, o Diario spirituale*. Udine.....

3. Quæ sequuntur, Manuscripta adservantur. *Historia della Novella Congregazione Osservante del B. Giacomo Salomone della Provincia di S. Domenico di Venezia dell' Ordine de' Predicatori, composta per ordine espresso de' Padri di essa Ven. Congregazione*. In Archivo Vicarii Generalis adservatur. Quindecim Capitibus res tota absolvitur. In Cœnobio *Valvasonensi* definit Auctor, quod Congregationi, munificentia dynastarum ejusdem loci, anno 1665. accessit. Alia sequuntur capita, quorum tituli sunt.

4. Caput XVI. *Breve racconto delle attioni, e morte del virtuoso Giovane F. Giacinto Bovio da Feltre, Figliuolo del Convento dè SS. Giovanni e Paolo di Venezia, che morse nel Convento di S. Agostino di Padova li 17. Maggio 1606.*

6. Caput XVII. *Vita del P. F. Bernardino Gosellino da Feltre*. Fusior alia ejusdem Gosellini, ab eodem Sterno scripta, servatur in Cœnobio *S. Dominici* Forojuliensi.

6. Caput XVIII. *Breve racconto della divozione, e penitenze del P. Baceliere F. Alberto Corporal d' Anversa, che per sette anni continui dimorò con grand' esempio di bontà nel Convento di S. Domenico di Cividale.*

7. Caput XIX. *Del P. Lettor F. Pietro-Martire Ruffoni da Verona.*

8. Caput XX. *Delle virtù, e rare qualità del P. F. Basilio Pica Napolitano, che in questa Congregazione del B. Giacomo Salomone ha promosso assai l' Osservanza.*

9. Caput XXI. *Breve compendio della vita, virtù, attioni,*

tioni, e grazie fatte dal Signor Iddio per li meriti del Ven. P. Maestro F. Tommaso Lemos di Rivadavia, scritto dal P. F. Bernardino Gosellino l'anno 1629. che si ritrovò in Roma, quando detto P. Lemos lasciò le miserie della vita presente, diviso in undici Capitoli. Capitulorum summa hæc est. 1. *Della nascita, e intrata nella Religione del P. Maestro Lemos*. 2. *Dello studio e profitto, che fece nelle arti, e Teologia il P. Maestro Lemos*. 3. *Come il P. Maestro Lemos se ne venne a Roma*. 4. *Come il P. Maestro Lemos cominciò a disputar in Roma*. 5. *Della solenne, e ultima disputa, ch'ebbe il P. Maestro Lemos col P. Gregorio di Valenza a 30. Settembre 1602*. 6. *Di altre trentasei dispute, ch'il P. Maestro Lemos fece con il P. Asdrubale, e col P. Vaslida Gesuiti*. 7. *Del fine delle Controversie*. 8. *Delle molte virtù, che risplenderono nel P. Maestro Lemos*. 9. *Della rinontia di molte dignità, che fece il P. Maestro Lemos*. 10. *Come Urbano VIII. vide il P. Maestro Lemos con i raggi risplendenti al capo, & egli stesso lo disse al P. Generale Ridolfi*. 11. *Del felice transito del P. Maestro Lemos, e di molte grazie fatte da nostro Signore per li suoi meriti*.

VII. *Bernardus Borgus.* *Bernardus Borgus* natus est *Asuli*, Oppido Marchiæ Tarvisinæ: habuitque nomen *Hectoris* in sacro fonte. Tirocinio Conelliani posito, sacram emisit professionem anno 1678. die 25. Maii. Juvenis acutissimi ingenii, ac bonis musis addictus, plura in commodum rei litterariæ volvebat animo, cum raptus immatura morte diem clausit supremum in Ædibus Collegii Veneti anno 1697. die 24. Augusti. Annum 36. ætatis agebat. Ipso curante, novam lucem viderunt.

S. Fulgentii Afri, Ruspensis Episcopi, Ecclesiasticorum Veterum Doctorum Patrumve nulli non conferendi, Opera subtiliora, & ingeniosiora, quæ extant; quorum seriem subsequens Catalogus recenset. Addita nuper ejusdem S. Viri Vita breviori methodo elaborata, cum Indice rerum observatione dignarum. Venetiis ex Typographia Bosii M. DC. XCVI. in 8.

Legitur primum Borghi Epistola, nuncupatoria ad *Paulum Naldinum*, Episcopum Justinopoleos in Istria. Sequitur Vita Fulgentii, quam ipse *ex iis quæ Surius, Lippelous, & Bollandus in Actis SS. tradiderunt*, stylo eleganti collegit. Quæ in hoc Volumine continentur Opera,

ra, hæc sunt: *Ad Monimum libri tres*, *Contra Arianos liber unus*, *Decem Responsiones ad decem Arianorum objectiones*, *ad Trasimundum Regem libri tres*, *ad Donatum de Fide orthodoxa liber unus*, *ad Felicem Notarium de Trinitate liber unus*, *ad diversos Epistolæ Septem*, *ad Populum sermones sex*.

VIII. *Ambrosius Capellus*.

Ambrosius Capellus, patriam habuit *Utinum* in Provincia Forijulii. Nomen Ordini dedit in Cœnobio *Græcensi* in Stiria: valuitque litteris, pietate, ac muneribus præclare obitis in Provincia *Hungarica*. Hæc ille adnotata de se reliquit, cum *Sabariensis* Domus præfecturam gereret, in Sanctuario Leonardi Matthæi, quod novis typis edidit, in Calce Sermonis *de S. Martino* Episcopo, & Confessore: *Constat præterea*, *insignia hujus Sancti merita durare per seculum præsens*. *Nam dum anno* 1680. *Sabariæ*, *Civitate Regni Hungariæ*, *lues pestifera multos necaret*; *seque illic extenderet per Suburbium usque ad Conventum Fratrum Prædicatorum*, *& eorum Ecclesiam*, *in qua Sancti hujus Confessoris locus extat nativitatis*, (ut populari fertur traditione:) *jejunantibus illis in ejusdem Festi vigilia annuo more in solo pane & aqua*, *nemo ne quidem de seculari familia*, (*licet pecora præ foribus caderent infecta*, *atque ex incautis illis Civitatensibus quidam actualiter lue contagiosa laborantes tam Sacram Ædem*, *quam præfatum Conventum intrarent*,) *epidemia ictus est*, *sed omnes evasere intacti*. *Quam gratiam Operis hujus corrector & instaurator*, *eo temporis ibidem indignus Prior*, *participans gratitudinis affectu subscribit*, *testis oculatus*. Nostram secessit in Congregationem: seque virum præstitit Regularis disciplinæ cultorem religiosissimum. Obiit septuagenario major in Cœnobio *Valvasonensi* anno 1705. Latine vertit Sermones Rosarianos, quos Italicæ scripsit, vulgavitque typis Marcus-Antonius Sternus, sub hoc titulo.

1. *Sertum Cæleste Rosarum viginti*, *spirans odorem suavissimum Sacratissimi Rosarii*, *anno præsentis seculi* (XVII.) *sexagesimo tertio*, *sermone Italico concinnatum a R. P. F. Marco-Antonio Sterni &c. nunc vero recenti subnexo Indice concionatorio latina interpretatione religatum ab alio ejusdem Ordinis Religioso* in 4. Salisburgi Sumptibus, & typis Melchioris Haan anno 1673. Nomen *Ambrosii Capelli*, quod in fronte reticetur, subscriptum legitur

Epi-

Epiſtolæ nuncupatoriæ *ad Maximilianum Cathedralis Eccleſiæ Seccovienſis Præpoſitum*, *& Archidiaconum natum &c.* Quæ ſequitur Præfatio *ad Patres Spirituales Archiconfraternitatis Roſarianæ*, eumdem *Capellum* habet Auctorem.

2. Novam quoque adornavit editionem Sermonum Quadrageſimalium, & de Sanctis, quos Leonardus Matthæi Utinenſis compoſuit, mendis purgatam, melioremque in ordinem digeſtam: proprioſque labores, nomine prætermiſſo, maluit Alumnis Collegii Veneti adtribuere. Hi ſunt Voluminum tituli.

Sermones Quadrageſimales copioſis authoritatibus & argumentis deprompte ex lege naturali, Philoſophis Moralibus, Poëtarum commentis, Gentilium exemplis, lege divina, Prophetarum, jure civili, lege Evangelica, jure Canonico, lege Eccleſiaſtica, interjecta paſſim Doctrina Thomiſtica, non minus conſpicue quam firmiter roborati, Authore adm. R. P. F. Sacræ Th. Magiſtro necnon utriuſque juris Doctore F. Leonardo Matthæi de Utino Sacri Ordinis Prædicatorum. Accedit recens induſtria Patrum F. F. Collegii SS. Roſarii Venetiarum ejuſdem Ordinis, qui ex præſentium priori typo anno ſalutis 1479. *Vincentiæ excuſo (cujus Originale MS. in Conventu Dominicano Utini reſervatur) mendas complures eliminando, idem Quadrageſimale recentem produxere in lucem, annexo novo Rerum memorabilium Indice.* In fol. Venetiis M. DC. XCI. apud Joannem Parè.

3. *Sanctuarium, hoc eſt, Sermones Panegyrici in Solemnitates Jeſu-Chriſti Salvatoris, Pentecoſtes, SS. Trinitatis, Ven. Sacramenti, necnon in præcipuas Solemnitates B. Virginis Mariæ, aliorumque Sanctorum, annuo ritu celebrari ſolitas: copioſis argumentis & authoritatibus tum Bibliorum, tum SS. Patrum, vel maxime multimoda doctrina Thomiſtica ſolide concinnati. Authore adm. R. P. F. Leonardo Matthæi de Utino S. Th. ac juris utriuſque Doctore Ord. Prædicatorum, anno Reparatæ Salutis* 1480. *Vincentiæ primum typo ſubjecti, tandem in Collegiali Conventu SS. Roſarii Venetiarum præfatæ Religionis, eliminatis mendis, pro commodiori Concionatorum uſu, prelo aptati, prolixo Rerum Memorabilium indice coronidi appoſito.* In Fol. Venetiis M. DC. XCII. ex Typographia Petri-Antonii Brigonci.

Da-

Daniel Danielius, in Seculo *Alexander*, Venetiis natus est. Tirocinium posuit in Cœnobio Conellianensi, votaque Religionis nuncupavit anno 1676. die 10. Octobris. Sacras litteras didicit a Bonifacio Grandio, easque in Scholis tradidit, & in Veneto Collegio. Præfecturam Congregationis gessit. Nunquam ab opere ac labore vacans, aut proximorum saluti consulebat, aut Cœnobiorum lustrabat Archiva, redigebatque in Ordinem MSS. Documenta, aut quæ in Congregatione contingebant scripto mandabat. Dum socius adscitus a Reginaldo Panighetto, Præfecto Congregationi, Cœnobia pro more lustraret, acuta febri necatus est in Cœnobio Faræ anno 1706. die 14. Septembris. Opera ejus MSS. adservantur in Archivo Congregationis, non eleganti dictione, sed fideli calamo exarata. IX. *Daniel Danielius.*

1. *Descriptio Chronologica Fundationis Conventus Cormonensis*. in Fol.

2. *Fondazione del Convento nella Villa d' Ajello*. in Fol.

3. *Memoriale Chronologico circa la Fondazione del Convento Girardi*. in Fol. Quod Cœnobium in Oppido *Portus-Naonis* in Provincia Forijulii, erectum est.

Andreas Tronus, patria & professione Tarvisinus, ac nobili ex familia prognatus, Ordinem amplexus est ante justam ætatem: votaque solemnia anno 1642. emisit, *Ædis S. Nicolai* alumnus. Memoria vigens, & acri pollens ingenio, die noctuque libros volvebat: eamdemque habuit tota vita sua occupationem. Philosophicis disciplinis Tarvisii imbutus, Theologiam excepit Florentiæ in *S. Marci*, & Romæ in *S. Mariæ super Minervam* Cœnobiis. Redux in patriam, Concionibus habendis se totum dedidit: simulque *Lectoris* munere egregie fungebatur. Cœnobii *Tarvisini* regimen tenuit: quo expleto, in socium a *Leonoro Rizzardo*, Provinciæ Præfecto, adscitus, Regularis disciplinæ in Veneto *S. Secundi* Cœnobio instaurandæ auctor fuit: eamque ipse postea amplexus est, Basilio Pica promotore. Erigendam quoque curavit Congregationem *B. Jacobi Salomonii*: erectamque consilio, exemplo, Cœnobiorum regimine, studiorum cultu, morumque suavitate, & castimonia, adjuvit, ac illustravit. Doctrinæ ejus, prudentiæ, ac dexteritati fidens *Antonius de Monroy*, Generalis Ordinis Magister, ipsum Provinciæ *Dalmatinæ* præfecit: eaque dignitate auctus, Generali- X. *Andreas Tronus*

ralibus adfuit Comitiis, in quibus *Antoninus Clocbe* anno *1686.* die 2. Junii electus est Magister Generalis. Ipsum habuerat a Confessionibus *Petrus Civranus*, Patricius Venetus, *Constantinopolim* anno *1679.* missus ad Imperatorem Turcarum Legatus: eodemque in munere ipsum postea adhibuit in Romana legatione *Nicolaus Ericius*. Annos natus 87. fato cessit mortalitatis anno 1712. die 18. Aprilis, pleuritide tactus in Veneto Collegio SS. Rosarii. Ingenii monumenta post se nulla reliquit, cum satis illi fuerit ingenti eruditionis supellectile mentem ornasse.

XI. *Ambrosius Palmerius.* *Ambrosius Palmerius*, Senas habuit patriam, patriciamque urbis familiam. Sodalitium Dominicanum, solemnibus votis nuncupatis, in Senensi *S. Dominici* Cœnobio professus est. Missus adolescens *Tolosam* perrexit, ut regularis disciplinæ tirocinium compleret apud illos rigidioris observantiæ cultores, scientiarumque studiis Ecclesiastico Viro congruis operam daret. Ad patriam redux, Congregationem nostram tum primo erectam intravit: quam virtutum exemplo, & doctrinæ præsidio fovit, & adjuvit. Anno trigesimo ætatis expleto, lumen oculorum amisit; neque tamen cœcum nostrum tenebræ istæ obscuraverunt, nox imo sicut dies illuminata inclaruit: celeberrimus nempe Verbi divini præco effectus est. Totam fere percurrens Italiam, ejusque florentissimas urbes adiens, vitiis & peccato bellum indixit, Apostolico munere quinquaginta & una Quadragesimis fideliter obito, quadragies & amplius Annualium concionum cursu expleto, Sanctis Missionibus quas vocant pluries exactis, sermonibusque quavis data occasione sine numero habitis. Tantus, talisque cum fuerit erga proximos, diligentissimus quoque animi sui cultor fuit, humilis, modestus perpetuus Cellæ custos, rigidioris observantiæ tenax, spiritu pauper, suavis gratusque omnibus, orationibus & meditationibus diu noctuque addictus, omniumque virtutum officiis exercitus. Apoplexia correptus, fato cessit die 18. Martii, ætatis anno 77. cum dimidio, æræ Christianæ 1721. MSS. quæ reliquit Opera in Bibliotheca Collegii Veneti adservantur, eaque sunt.

1. *Prediche Quaresimali, & altre di vario argomento.* Vol. 3. in 4.

2. *Pre-*

2. *Prediche Annuali di tutte le Domeniche, anche dell' Avvento*. in 4.

3. *Novenne del Santissimo Natale*. in 4.

4. *Discorsi del Sagramento, & altri in materie diverse*. in 4.

5. *Discorsi della Santissima Vergine sopra gli Evangeli per annum*. in 4.

6. *Discorsi, e materie de' Santi per annum*. in 4.

7. *Ottavarj de' Morti*. in 4.

XII. *Angelus-Maria Carlinus, Archiepiscopus Corinthi.*

Angelus-Maria Carlinus Venetus, *Hieronymus* in Sacro fonte vocatus, Congregationis Alumnorum albo adscriptus fuit, emissa Conelliani professione anno 1675. die 8. Januarii. Sacris litteris eruditus, ac facundia pollens, *lectorem* egit in Scholis, ac Verbi divini præconem in Suggestis. Hæc animi ejus ornamenta, & suavitas morum, ac solertia in agendis innotuerant Antonino Cloche, Generali totius Ordinis Magistro, qui ipsum *in Oriente* instituit *Vicarium Generalem*. Provinciam suam expleturus, Constantinopolim profectus est, ubi Cœnobiolum rexit, quod possident Fratres Prædicatores. Egit postea verbi Ministrum, ac Theologum, & Catechistem in Classe Veneta. *Balsarino* Archiepiscopo defuncto, pro Carlino ad Sedem *Corinthi* evehendo, anno 1700. die 29. Maii suffragia tulere Veneti Patres, qui præclara, ejus merita noverant, sacris muneribus in Classe & in Insulis egregie functis comparata. Corcyra, ubi tunc ipse diversabatur, Venetias adventavit, Principi gratias acturus. A Summo Pontifice Clemente XI. institutum Archiepiscopum, renunciatumque anno 1702. die 11. *Decembris*, legimus in Vita Antonini Cloche typis edita Beneventi anno 1721. Sed Mensem *Novembrem* produnt Schedæ MSS. Consecrationem accepit Patavii ab *Georgio Cornelio* S. R. E. Cardinali, ejusque Civitatis Episcopo, anno 1703. die 25. Junii. Solvit e Veneto littore die 1. Novembris, ad Ecclesiam sua migraturus: quam rexit ad annum usque 1715. quo in extrema Pelopponesi, & Naupliæ clade per Turcas inlata barbare truncatus est. Hanc scripto reliquit, majorem partem, Carlini Chronographiam *Daniel Danielius*, qua facile editum a Jacobo Echardo laudati *Archiepiscopi* Elogium corrigi, & augeri potest. Quod ipsi Carlino tribuitur Opusculum, vide apud Echardum sæpe laudatum.

XIII. *Jo: Thomas Blancus.* *Jo: Thomas Blancus* Venetus, ex perillustri inter Cives, quos *Originarios* vocant, Familia prognatus, utprimum licuit per ætatem, relicto seculo, nomen Ordini dedit in Veneto *SS. Joannis & Pauli* Cœnobio. Posito *Vallisoleti* in Castella Vetere Studiorum tirocinio, redux in Patriam promeritos omnes comparavit honorum gradus. Disciplinæ severiori addictus, posthabitis vitæ minus austeræ commodis, eam intrepido spiritu in Congregatione nostra adsumpsit: suæque nihil indulgens imbecilli habitudini, vigintiquinque annorum spatio ad obitum usque constantissime in eadem perseveravit. Facundiam, qua pollebat, in habendis concionibus adhibuit. Diligenti studio, ac diuturna oratione, quam semper præmittebat, optime paratus, præcipua totius Italiæ suggesta calcavit: neque pruriente verborum strepitu detonuit, sed Apostolico fervore vitia exterruit, cultumque virtutum revocavit, bonorum omnium plausu, ipsius Romani Pontificis rec. mem. *Clementis XI.* adprobatione, ac ubere fructu in horrea Domini deportato. Septuaginta natus annos, mala pectoris correptus affectione, ac jugi tensionum irritamento, continuoque per biennium dolore vexatus, in extremam tabem incidit, ac denique mortem in Veneto *SS. Rosarii* Collegio die *6.* Februarii anno 1732. MSS. reliquit Opera, quæ sequuntur.

1. *Quaresimale*. Voll. 4. in 8.

2. *Aggiunta al Quaresimale, con proemj, ed altre annotazioni*. Voll. 2. in 8.

3. *Avvento, e Novenna del SS. Natale di Gesu-Cristo*. in 8.

4. *Riflessioni Morali nelle Festività principali di Maria Vergine*. in 8.

5. *Discorsi Morali sopra il Salmo, Miserere*. Voll. 3. in 8.

6. *La Tromba Evangelica, per eccitare a penitenza i Fedeli nel Santo Giubileo in sette discorsi, fatti per comando del Santo Pontefice Clemente XI. e predicati nella Chiesa di S. Maria sopra Minerva in Roma nel Mese di Giugno* 1711. in 8.

7. *Discorsi in sette Tomi*. Nel primo si contengono *i Discorsi fatti in alcune solennità di Gesù e di Maria*. Nel

Nel 2...... Nel 3. *i Discorsi fatti a' Claustrali*. Nel 4. *i Discorsi dell'Ottavario de' Morti*. Nel 5. *i Discorsi del Sagramento, e di altre materie*. Nel 6. *i Discorsi nelle Quarant'ore della Settimana Santa, e di altre materie*. Nel 7. *i Discorsi Pastorali ne' Capitoli cotidiani de' Superiori ai Religiosi*. Voll. 7. in 8.

8. *Miscellanee appartenenti alle Prediche*. in 8.

XIV. *Dominicus Maria Andriussius.*

Dominicus-Maria Andriussius, inter Praefectos Congregationi bis numeratus. In Provincia Forojuliensi natales habuit ex nobilibus parentibus in Oppido *Sancti Danielis*. Lustrali nomine *Antonius* vocabatur. Solemnibus nuncupatis Conelliani votis, Religionem professus est anno 1686. die 28. Februarii. Philosophiae, ac Theologiae disciplinas, pro acri, & acuto, ac subtilissimo, quo potiebatur ingenio, tam copiose adsecutus est, ut justam nondum adeptus aetatem, easdem in scholis tradere coeperit. Venetum Collegium, gradus officii nobis consuetos percurrens omnes, exornavit: egitque pro virili, ut in meliorem instaurata formam apud nos vigerent sacra studia. Latius patebat, quam ipse improbo labore comparaverat, eruditionis copia, ac optimorum librorum meliorumque editionum notitia. Hunc delegit praestantissimus *Dionysius Delphinus*, Patriarcha Aquilejensis, ut Bibliothecam, quam Utini a fundamentis in Palatio Patriarchali erexerat, selectis Auctorum operibus, ac optimis editionibus locupletaret. Adolescentior conciones assiduas habuit. *Catharense* Coenobium rexit *Prior* in Dalmatia, ab ejus alumnis electus, qui Viri mores optimos, & prudentiam noverant. Munus idem prudentissime, ac magno emolumento, obivit in praecipuis Congregationis Coenobiis: Venetoque Collegio quintum praefuit, totamque Congregationem rexit iterum.

Ægro ferebat animo, plurimorum teri manibus *Directorium Conscientiae*, quod Joannes de la Cruz elucubraverat, laxis quampluribus onustum opinionibus. Opus corrigere, & augere coepit; vulgavitque typis *Volumina duo* in 8. quae tamen, medica fortasse adhibita manu haud satis contentus, omnino suppressa voluit: neque tertio Volumini, quod meditabatur, manum unquam admovit. Provecta licet in aetate, optima valebat habitudine corporis, vix ullo vexatus morbo per integrum annorum sex supra septuaginta spatium. Hinc ad severio-

riora excolenda ftudia fefe aptum fentiens, quid effent *Mathematicæ difciplinæ*, quid foret etiam *Algebra* experiri voluit: quo in genere fcripta reliquit *Volumina octo* in 4. Tertiana demum fpuria lethargica febri correptus, vexatusque biennio, morbo lethali ceffit anno 1747. die 15. Maii, ætatis anno 78. in Cœnobio Veneto.

XV. *Jofephus Galliziolius.*

Jofephus Galliziolius Venetus, in feculo *Petrus-Antonius* appellatus, pro more Conelliani facra, & folemnia vota emifit anno 1690. die 21. Novembris. Diligenti ftudio, & affidua lectione, fingularem fibi Philofophiæ, ac Theologiæ, & Ecclefiafticæ eruditionis, ac prophanæ fupellectilem comparavit. Regendis Scholis addictus, demandatum fibi munus, in aliis primum Cœnobiis, tum in Veneto Collegio, per annos triginta, fumma cum laude exercuit. Mores compofuit ad legis normam. Religiofæ folitudinis, naturæ quidem conditione, fed magis virtutis amore, adeo ftudiofus fuit, ut vitam conftantiffime duxerit a terrenis curis, fecularibusque negotiis alienam. Ingenti rheumatis ad pectus affluxu oppreffus, cum annum ageret 62. ætatis, mortem obiit in Cœnobio Veneto die 3. Menfis Decembris anno 1734. Typis edidit Volumen fequenti titulo.

Vita della Serva di Dio, Suor Maria Caterina della Volontà di Dio, Religiofa del Terzo Ordine di San Domenico. in 4. Venezia appreffo Criftoforo Zane. Deeft editionis annus: facultas vero, quam fecit Hieronymus Ferrarius, Præfectus Congregationi, ut fcriptam Illuftris Fœminæ vitam vulgaret Auctor, data eft die 13. *Novembris anno* 1728.

XVI. *Jo: Chryfoftomus Calvus, Epifcopus Zacinthi & Cephalenia, poftea Feretranus.*

Jo: Chryfoftomus Calvus Venetus. Luftrali nomine appellabatur *Antonius Carolus*. Dominicanum emiffo voto fufcepit Conelliani inftitutum anno 1698. die 2. Aprilis. Philofophicas in Congregatione, Lectoris munere demandato, tradebat difciplinas in fcholis, cum miffus ad Orientis Infulas, quæ Venetæ Majeftati parent, *Argoftolenfis* in Cephalenia domus curam plures annos geffit, græcis hominibus, & latinis carus. Infulas Cephalenas & Zacinthinas dimittente *Jo: Vincentio Filippo* ex Ordine Servorum Mariæ adfumpto, eas geftare cœpit *Calvus*, ad Sedem illam evectus a Clemente XI. anno 1718. Ad *Feretranam*, feu *Leopolitanam* Ecclefiam fub Archiepifcopo Urbinatenfi translatus eft a Benedicto XIII. anno 1729.

die

die 7. Septembris. Utramque Ecclesiam administravit prudentissime, auxitque spiritualibus emolumentis, ac temporalibus, Diocesanam Feretranus Episcopus celebravit Synodum, cujus Acta prodierunt sub hoc titulo:

Synodus Ecclesiæ Feretranæ ab Illustriss. & Reverendiss. Fr. Jo: Chrysostomo Calvi Ord. Præd. SS. D. N. Clementis XII. Prælato domestico, & Pontificii Solii assistente, ac Episcopo Feretrano celebrata in Cathedrali Pinnæ die sexta, septima, & octava Mensis Julii anno Domini 1734. Pinnæ in 4. Mortem obiit Patavii, quam in urbem valetudinis recuperandæ causa venerat, anno 1747. die 26. Aprilis, quarta circiter hora noctis. Sepultus jacet in Ecclesia Fratrum Prædicatorum, quæ titulum habet *Sancti Augustini*.

XVII. *Fulgentius Cunilias.*

Fulgentius Cunilias, Patre Hieronymo Gallo Lugdunensi peritissimo Chirurgiæ professore, ac Matre Marina Gelsa Veneta, natus est Venetiis anno 1685. die 22. Februarii, *Jo: Benedictus* appellatus. Vestem induit Dominicanam in sæpedicta Conellianensi Tironum domo anno 1700. die 1. Aprilis: annoque vertente, sacra vota nuncupavit. Elucubrandis vulgandisque operibus strenuam navavit, pergitque operam suam ponere. Prodierunt, quæ sequuntur.

1. *Anno di Gesù Christo, cioè Meditazioni per tutto l'anno, accomodato agli Evangeli, ed ai Misteri Solennizati dalla Santa Chiesa: nelle quali spieganſi le verità della Religione Cattolica, trattanſi le massime della Morale Cristiana, e additanſi le vie più battute della perfezione Evangelica &c.* Voll. 4. in 12. Venezia M.DCC.XXXIII. appresso Francesco Pitteri.

2. *Anno di Maria, cioè Meditazioni per tutto l'anno sulle geste, virtù, e prerogative della Santissima Vergine Madre di Dio, fondate principalmente sovra quello, che della stessa dicono gli Evangeli, ed i Santi Padri nelle loro Opere legitime &c.* Voll. 4. in 12. Venezia M. DCC. XXXIV. appresso Francesco Pitteri.

3. *Anno de' Santi, cioè nuovo Leggendario de' Santi, a modo di Meditazioni per ciascun giorno dell' anno, con Scelta delle loro geste, prese o da documenti autentici, o dagli Scrittori contemporanei, o dagli Storici più esatti &c.* Voll. 6. in 12. Venezia M. DCC. XXXVIII. presso Gio: Battista Recurti.

4. *Ri-*

4. *Ritratto di Maria, viatrice, e beata, formato co' vivi colori delle sue geste venerande, e col pennello de' Santi Padri, e di altri gravi Scrittori* &c. in 12. Venezia M. DCC. XXXIX. presso Gio: Battista Recurti.

5. *Alloquia Amatoria ad Virginem Deiparam Sanctorum Patrum, aliorumque probatissimorum Ecclesiæ virorum verbis expressa, atque in unum collecta, ad pios erga eamdem ardores fovendos &c.* in 8. Venetiis M. DCC. XXXIX. apud Jo: Baptistam Recurti.

6. *Bibliotheca Eucaristica, in cui dopo riferiti e riflettuti i passi del nuovo Testamento, ne' quali Dio parla del Sagramento dell' Eucaristia, si apportano gli Scrittori, che pel corso di tredici secoli successivamente nella Chiesa fiorirono &c.* Voll. 2. in 4. Venezia M. DCC. XLIV. appresso Tommaso Bettinelli.

7. *Compendio della Vita di Santa Caterina de Ricci Domenicana &c.* in 12. Venezia M. DCC. XLVII. appresso Stefano Monti.

8. *Il Religioso Claustrale Professo negli esercizj Spirituali &c.* in 12. Venezia M. DCC. XLVIII. presso Tommaso Bettinelli.

9. *Le Conversazioni letterarie di Madamigella Clotilde Wandstal Nobile Fiamminga, convertita dal Calvinismo alla Catolica Romana fede, da essa tenuta sù i punti principali della Religione naturale, e rivelata, raccolte dal Conte Tobia Tortbveich Sassone &c. Traduzione dal Francese di Elia Frangisassi.* Voll. 2. in 8. Venezia M. DCC. L. appresso Giovanni Tevernin. Clotildis & aliornm qui interloquentes inducuntur nomina, ac Italieam ex gallico idiomate translationem, excogitata habeto omnia.

10. *Lettere di risposte a Monache intorno a varii punti di coscienza, di spirito, e di regolarità, raccolte da Biagio Stentucci Prete di Toscana &c.* in 8. Venezia M. DCC. LI. presso Tommaso Bettinelli. His augeri catalogus potest Scriptorum, qui *Anonymi*, & *Pseudonymi* esse valuerunt.

11. *Universæ Theologiæ Moralis accurata complexio, in qua difficultates quæ judicio morali definiendæ occurrunt, solidiori ratione, graviorique Sancti Thomæ præcipue auctoritate, ducibus, brevi ac perspicua methodo resolvuntur.* Quod opus gemit sub prelo Thomæ Bettinelli.

Hya-

Hyncinthus Michelettus, patriam habuit Venetias, parentesque Josephum, & Joannam ... conjugem. Natus est anno 1687. die 27. Martii, *Franciscus Joannes* vocatus. Conelliani religiosam emisit professionem anno 1703. die 8. Aprilis. XVIII. *Hyacinthus Michelettus.*

1. *Vita del Beato Benedetto XI. Sommo Pontefice, assunto dall' Ordine de' Predicatori, e prima detto F. Niccolò da Trevigi, compendiosamente descritta*. in 12. Venezia M. DCC. XXXIX. appresso Stefano Monti. Clariss. Antonius Scotus, Canonicus Tarvisinus, qui Sanctissimi Pontificis vitam lato calamo scriptam vulgaverat anno 1737. hocce in Opusculo nactus est non pauca, quæ ab ipso commendata fuisse, certo scimus.

2. *Vita, & elogium Ignatii Hyacinthi Amat de Graveson*. Prostat Tomo I. Operum ejus, quæ Venetiis prodierunt M. DCC. XL. apud Jo: Baptistam Recurti.

3. Prelo parata est *Dissertatio de Corpore Sanctæ Helenæ Imperatricis, Magni Constantini Matris, discussis variis de translationibus illius historiis, urbi Venetiarum verisimilius adjudicando*.

4. MS. servatur *Dissertatio de quibusdam rebus ad Venetos pertinentibus, quæ vulgatorum Scriptorum memoriam, forte & agnitionem, effugerunt*.

Bernardus Maria de Rubeis, in Civitate Forijulii anno 1687. die 8. Januarii natus, Antonio de Rubeis patre, ac Matre Anna de Frumentinis, appellatusque lustrali nomine *Jo: Franciscus*. Sacra vota nuncupavit Conelliani anno 1704. die 16. Novembis. Opera, & opuscula in lucem prodiere sequentia. XIX. *Bernardus Maria de Rubeis.*

1. *De fabula Monachatus Benedictini Divi Thomæ Aquinatis. Responsio ad Historicam disquisitionem de Monachatu Benedictino divi Thomæ Aquinatis apud Casinenses, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret*. Sine Auctoris nomine. in 8. Venetiis M. DCC. XXIV. typis Andreæ Mercurii.

Aucta, & ampliata lucem vidit anno 1746. præmissa Tomo V. Venetæ operum Sancti Thomæ editionis apud Josephum Betinellum sub hoc titulo: *Adversus Monachatum Benedictinum divi Thomæ Aquinatis apud Casinenses, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret, Dissertatio*. Ac tertio demum typis edita prostat inter triginta *Dissertationes criticas, & Apologe-*

 loge-

logeticas de Gestis, & Scriptis, ac doctrina Sancti Thomæ Aquinatis. 1750. apud Jo: Baptistam Pasquali.

2. *Facundi Episc. Hermianensis, Provinciæ Africanæ, pro defensione trium Capitulorum Concilii Calchedonensis Libri XII. &c. Nunc in præsenti editione Veneta cum MS. vetustissimo Bibliothecæ Capituli Veronensis collati, emendati, & suppleti*. Exstant Tomo II. Operum Variorum Jacobi Sirmondi. Venetiis M. DCC. XXVIII. e Typographia Bartholomæi Javarina. Variantes lectiones, imo verissima supplementa, transmisit Clariss. Josephus Blanchinius Veronensis: eademque ad sua apposui ego loca in margine inferiori, aliquibus illustrata notis. Eadem vero tanti momenti sunt, neque pauca, sed plurima, scilicet 645. ut præfari sub nomine Typographi licuerit, libros Facundi *tot mendis purgatos* dari, *ut fere novum opus videri possint*.

3. *De una sententia damnationis in Acacium Episcopum Constantinopolitanum, post quinquennium silentii lata, in Synodo Romana Felicis Papæ III. dissertatio: ubi quamplura ad Acacianam Historiam pertinentia, ex epistola nuper e vetusto Codice Veronensi edita, eidemque Felici III. adjudicata, illustrantur*. in 8. Venetiis M. DCC. XXIX. e Typographia Bartholomæi Javarina. Opusculum penes me est cum *Additamento MS.* quo aliquibus difficultatibus abs Hieronymo de Prato, e Congregatione Oratorii Veronensi Presbytero, in sua ad Sulpicium Severum Dissertatione VI. propositis, fit satis.

4. *Monumenta selecta Conventus Sancti Dominici Venetiarum*. in 8. Venetiis M.DCC.XXIX. ex Typographia Stephani Tramontini. Prodiit locubratio sub nomine *Dominici Armani*, ejusdem Cœnobii alumni, sub quo latuisset adhuc, nisi verus auctor jam cunctis innotesceret. Debita sua tamen potiatur laude Armanus, utpotequi vetusta Domestica Cœnobii sui monumenta summa diligentia collegit; quæ ab aliis accuratius discutienda, enarranda, & illustranda reliquit. Admissi in Opusculo errores aliqui, emendantur in hoc Opere, quod in lucem prodit.

5. *Synodus, quæ acta est in Civitate Mantua anno DCCC. XXVII. pro causa Sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ, nunc primum ex vetusto Codice Bibliothecæ Vallicellanæ*

in

in lucem edita cum notis. Tomo IX. Venetæ Conciliorum editionis M. DCC. XXIX.

6. *Animadversiones in Concilium a Gregorio XII. Forijulii, seu in Civitate Austria celebratum*. Tomo XV. Venetæ Conciliorum editionis M. DCC. XXXI.

7. *De Schismate Ecclesiæ Aquilejensis Dissertatio Historica. Accedunt Acta Synodi Mantuanæ pro causa Sanctæ Aquilejensis Ecclesiæ, quæ ex vetusto Codice Bibliothecæ Vallicellanæ secundis curis emendatiora prodeunt, cum notis*. in 8. Venetiis M. DCC. XXXII. apud Bartholomæum Javarina. Opus veluti prodromum fuit ad insequens:

8. *Monumenta Ecclesiæ Aquilejensis, Commentario Historico-Chronologico-Critico illustrata: cum Appendice, in qua vetusta Aquilejensium Patriarcharum, Rerumque Forojuliensium Chronica, emendatiora quædam, alia nunc primum in lucem prodeunt*. Argentinæ, M. DCC. XL. in fol.

9. *Divi Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici Ord. Præd. Opera. Editio altera Veneta, ad plurima exempla comparata, & emendata. Accedunt vita, seu elogium ejus a Jacobo Echardo diligentissime concinnatum, & Bernardi Mariæ de Rubeis in singula opera Admonitiones præviæ*. Venetiis M. DCC. XLV. apud Josephum Bettinellum. Jam prodiere Volumina XIV. in 4. Præter Admonitiones prævias, aut Criticas, aut Apologeticas, aut etiam Historicas, non mediocris adhibita diligentia est, ut textus emaculatus, quoad fieri posset, prodiret. *Variantes lectiones* adnotantur, sive ex antiquioribus editionibus, sive etiam ex Codicibus MSS. qui præsto fuerunt, de promptæ: quibus id maxime notum, compertumque fit, nihil unquam vel ex ipsis mendis, queis edita Thomæ opera scatebant, vel ex emendationibus frequentius adhibitis, quod attinet ad sensum, & sententiam, ac doctrinam, cœpisse detrimenti eadem Sancti Doctoris opera.

10. *De Nummis Patriarcharum Aquilensium dissertatio*: in 8. Venetiis M. DCC. XLVII. typis Jo: Baptistæ Pasquali. Fides Diplomatis, quo Poponi Patriarchæ facultatem cudendi Monetam fecit Conradus, dictus *Salicus*, hujus nominis Rex Germaniæ secundus, & Imperator ejusdem nominis primus, in dubium hisce diebus vocata, facillimo negotio, ac invictis argumentis vindicari potest.

11. *De Nummis Patriarcharum Aquilejensium dissertatio altera*. in 8. Venetiis M. DCC. XLIX. typis Jo: Baptistæ Pasquali.

12. *Discorso Istorico-Cronologico-diplomatico ... sopra una Pergamena antica Veneziana*. in 8. Venezia M DCC.XLIX. presso Simone Occhi. Patriarcharum Gradensium maxime Chronographia emendatur: ac antiquitas ostenditur apud Venetos moris, annum inchoandi a die prima Martii.

13. *De Gestis, & Scriptis, ac Doctrina Sancti Thomæ Aquinatis Dissertationes criticæ, & apologeticæ*. in fol. Venetiis M. DCC. L. typis Jo: Baptistæ Pasquali. Triginta numerantur Dissertationes, quas ut simul collectas in lucem prodire curarem, nimia & odiosa effecit procrastinatio Venetæ operum Thomæ editionis a Josepho Bettinello susceptæ.

14. *De Rebus Congregationis sub titulo Beati Jacobi Salomonii, in Provincia Sancti Dominici Venetiarum erectæ, Ordinis Prædicatorum, Commentarius Historicus: in quo regularis disciplinæ in Ordine Prædicatorum instauratio, primordia ejusdem Congregationis & incrementa, vetustæ Cœnobiorum origines, novorumque erectiones, Viri etiam moribus, dignitatibus, litteris illustres, aliaque variæ eruditionis argumenta enarrantur, recensentur, illustrantur*. in 4. Venetiis M. DCC. LI. typis Jo: Baptistæ Pasquali.

15. Manuscripta adservantur, quæ sequuntur: *De Rufino, ex Provincia Aquilejensi Monacho, & Presbytero dissertatio: ubi res præcipuæ in Ecclesia, & Imperio gestæ ab anno vulgaris æræ* 370. *ad annum usque* 410. *discutiuntur, & elucidantur*.

16. *De vetustis, qui vigebant olim in aliquibus Forojuliensis Provinciæ Ecclesiis, Liturgicis, aliisque sacris Ritibus dissertatio*.

17. *Theologica dogmata in libros tributa*. Voll. plura in fol.

XX. *Jacobus Maria Ericius Episcopus Concordiensis.*

Jacobus-Maria, ex Veneta Patricia Ericiorum, (*Erizzo*,) familia prognatus, natusque patre *Joanne Baptista*, & matre *Julia Belenia* (Belegno,) patriciæ itidem familiæ, nomen habuit *Jacobi* sacris in undis. Anno ætatis 24. posthabitis nobilissimæ gentis commodis, & insuper habitis, patriæ honoribus nomen Ordini dedit: votaque solemnia Conelliani nuncupavit anno 1705. die 16. Fe-

Februarii. Studia coluit Sacræ Theologiæ, maximeque mores componere summa diligentia studuit ad normam legis, earumque consuetudinum, quæ apud nos vigent. Post *Paulum Vallaressum*, Episcopus Concordiensis ab Innocentio XIII. designatus, Romam anno 1724. profectus est. Benedicto XIII. in Apostolicam Sedem suffecto, examen subiit die 23. Mensis Junii: dieque 26. renunciatus est *Concordiæ* Antistes. Die 2. Julii ipsum Pontificali initiavit ordinatione Summus Pontifex in Sacris ædibus *Sancti Ignatii*: interque Episcopos solio adsistentes die 15. Augusti connumeravit. Sibi creditam a Deo Ecclesiam, continuam habens residentiam, ac nulli parcens labori ac studio, prudentissime regit.

Daniel Concina, eodem in seculo vocatus nomine, patriam habuit *Clauzetum*. Provinciæ Forojuliensis pagum, in quo jus dicunt *Savorniani* Patricii Veneti. Dominicanam emisit Conelliani professionem anno 1708. die 16. Martii. Plurima Theologica typis vulgavit Opera: nempe: *XXI. Daniel Concina.*

1. *Commentarius Historico-apologeticus, in duas Dissertationes tributus: quarum altera anticriticis animadversionibus refellit ea, quæ adversus paupertatis disciplinam a Divo Patriarcha Dominico in suo Ordine constitutam, intemperantiore critice scriptis prodiderunt Continuatores Bollandi in Commentariis nuper in acta ejusdem Patriarchæ editis: altera eamdem disciplinam a laxioribus* P. *Raphaëlis de Pornasio interpretamentis vindicat. Accedunt de origine disciplinæ regularis, primum in Ordine Prædicatorum per B. Raimundum de Vineis, vigesimum tertium Magistrum Generalem ejusdem Ordinis, instauratæ dissertatio Historica, & Quæstiuncula Moralis de Regularibus personatis*. in 4. Venetiis M. DCC. XXXVI. apud Stephanum Monti. Vulgatum legitur opus sub nomine *Caroli Antonii Plantamuræ*.

2. *Præfatio ad Lectorem, & Animadversiones Critico-morales in Menda Pontasiana, cum Auctario duorum Casuum, qui in hoc Dictionario desiderabantur*. Vide *Dictionarium Casuum conscientiæ*, a Joanne Pontas Presbytero Gallo concinnatum, editumque typis Venetis apud Antonium Bortoli M. DCC. XXXVIII. Post editionem Parisinam anni 1726. prodiit Luxemburgi opus latinitate donatum anno 1731. Hanc editionem excepit Augustana anno 1733. cum nova latina versione. In hac vero

Men-

Menda Pontasiana prostant, sive *Observationes quædam circa opus gallicum Pontasii:* quibus Concina suis obviam ivit animadversionibus.

3. *Disciplina Apostolico-Monastica, dissertationibus Theologicis illustrata, & in duas partes tributa: in quarum prima de voto paupertatis vita communi circumscripto: in altera de cæteris ejusdem disciplinæ præcipuis capitibus disseritur. Accedunt selecta quædam veterum Theologorum monumenta.* in 4. Venetiis M. DCC. XXXIX. ex typographia Balleoniana.

4. *La Quaresima appellante dal foro contenzioso di alcuni recenti casisti al tribunale del buon senso, e della buona fede del popolo Cristiano, sopra quel suo pretesto del digiuno da accoppiarsi coll' uso delle carni permesse pel solo nocumento del vitto quaresimale.* in 4. Venezia M. DCC. XXXIX. appresso Simone Occhi.

5. Ejusdem operis *Edizione seconda, corretta, ed accresciuta con la giunta di una Prefazione apologetica.* in 4. Venezia M. DCC. XXXIX. appresso Simone Occhi.

6. *La disciplina antica, e moderna della Romana Chiesa intorno al sagro Quaresimale digiuno, espressa ne' due Brevi,* Non ambigimus, *e* In Suprema, *del Regnante Sommo Pontefice Benedetto XIV. Illustrata con osservazioni Storiche, critiche, e Teologiche.* in 4. Venezia M.DCC.XLII. appresso Simone Occhi.

7. *Della Storia del Probabilismo, e del Rigorismo dissertazioni Theologiche, Morali, e Critiche: nelle quali si spiegano, e dalle sottigliezze de' moderni Probabilisti si difendono i principj fondamentali della Theologia Cristiana.* Voll. 2. in 4. Venezia M. DCC. XLIII. appresso Simone Occhi.

8. *Epistolæ Theologico-Morales ad Illustris. Episcopum N. N. adversum librum inscriptum:* Dissertatio in casus reservatos Venetæ Diœceseos, apud Joannem Mariam Lazzaroni. in 4. Venetiis M. DCC. XLIV. apud Simonem Occhi. Eodem anno curata est *editio Secunda Veneta.*

9. *In Rescriptum Benedicti XIV. Pont. Max. ad postulata septem Archiepiscopi Compostellæ, jejunii legem spectantia, Commentarius Theologicus.* in 4. Venetiis M.DCC.XLV. apud Simonem Occhi.

10. *Defensio decretorum Concilii Tridentini, & Apostolica-*

licarum Constitutionum Ecclesiæ Romanæ in causa paupertatis Monasticæ adversus duos libros inscriptos, Vita Claustralis,& Vindiciæ Regularium.in 4.Bononiæ M.DCC.XLV. Prostant venales Venetiis.

11. *Osservazioni Critiche, e Morali in difesa della Storia del Probabilismo, e del Rigorismo, contra il libro intitolato*. Ginstificazione di più personaggi, e di altri Soggetti ragguardevoli. In Lucca 1743. in 4. Pesaro M.DCC.XLV. appresso Nicola Gavelli.

12. *Esame Theologico del libro intitolato*, Saggio de' Supplementi Teologici, Morali, Critici, di cui abbisogna la Storia del Probabilismo, e del Rigorismo &c. in 4. Pesaro M. DCC. XLV. appresso Nicola Gavelli.

13. *Esplicazione di quattro Paradossi, che sono in voga nel secolo nostro. Riflessioni sopra i due libri &c.* in 4. Lucca M. DCC. XLVI. per li Fratelli Marescandoli ad istanza di Simone Occhi.

14. *Esposizione del dogma, che la Chiesa Romana propone a credersi intorno l' usura, colla confutazione del libro intitolato*, dell' impiego del danaro. in 4. Napoli M. DCC. XLVI. per Pietro Palumbo.

15. *In Epistolam encyclicam Benedicti XIV. adversus usuram Commentarius: quo illustrata doctrina Catholica, Nicolai Broëdersen ac aliorum errores refelluntur*. in 4. Romæ M. DCC. XLVI. ex typographia Palladis apud Nicolaum & Marcum Palearinos.

16. *Usura Contractus trini, dissertationibus Historico-Theologicis demonstrata, adversus molliores ethices Casuistas, & Nicolaum Broëdersen ... Accedunt Appendices duæ ad Commmentarium Auctoris adversus usuram*. in 4. Romæ M. DCC. XLVI. ex typographia Palladis.

17. *Memorie Storiche sopra l' uso della Cioccolata in tempo di digiuno*. in 8. Venezia M. DCC. XLVIII. appresso Simone Occhi.

18. *Theologia Christiana Dogmatico-Moralis*. Voll. XII. in 4. Romæ M. DCC. XLIX. Prostant venales Venetiis apud Simonem Occhi. Eo scilicet anno 1749. prodire in lucem cæpit opus.

19. MSS. adservantur plura, inter quæ: *Lettere ai RR. Padri Richelmi, e Gagna, autori delle due opere intitolate:* Saggio d' avvertimenti, e Lettere d' Eusebio apologista contra la Storia del Probabilismo, e del Rigorismo.

Nico-

XXII. *Nicolaus Concina* *Nicolaus Coxcina*, frater Danielis, de quo numero superiore, lustrali nomine *Leonardus* appellatus, Dominicanum amplexus est institutum solemnibus Deo votis Conelliani nuncupatis anno 1712. die 29. Septembris. Veneti senatus consulto, ad Metaphysicam in Patavina Universitate Cathedram moderandam anno 1732. adlectus est. Post sexennium, cum valetudine adversa uteretur, se munere abdicavit, annua publica remuneratione honestatus.

1. *Oratio habita in Gymnasio Patavino, cum primum ad Metaphysicam publice profitendam accederet.* in 8. Venetiis M. DCC. XXXII.

2. *Synopsis Tertiæ partis Metaphysicæ, (hoc est Theologiæ naturalis,) quam explicabit in annum litterarium, incipientem a Mense Novembri anni* 1733. in 4.

3. *Origines, fundamenta, & capita prima delineata juris naturalis, & gentium: quæ explicabit in Gymnasio Patavino a Mense Novembri anni* 1734. *in sequentem annum litterarium.* in 4.

4. *Juris naturalis, & gentium doctrina Metaphisicæ asserta. Disputatio habita in Gymnasio Patavino.* in 8. Venetiis M. DCC. XXXVI. typis Jo: Baptistæ Pasquali.

XXIII. *Jo: Baptista Contarenus.* *Jo: Baptista Contarenus* Venetus, patre *Josepho Contareno*, ac matre *Antonia Polana*, natus anno *1696.* die 12. Septembris, nomen habuit *Joannes-Antonius*. Ordini Prædicatorum nomen dedit in Congregatione nostra, votis Conelliani nuncupatis anno 1712. die 29. Septembris. Collegium *Paupercularum* anno 1708. institutum Utini fuerat, Dionysio Delphino Patriarcha favente: eisque Farensium Paupercularum anno 1713. proposita Regula fuit, locum dirigente *Jo: Baptista Andriussio* Canonico Aquilejensi. Hanc mutare *Danieli Delfino*, Patriarchæ successori cum placuerit in regulam *Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici*; utendum opera censuit Contareni nostri, qui injuncto munere egregie functus est. Id vero accidit anno 1738. Typis edidit, quæ sequuntur.

1. *Raccolta di Panegirici, e di altri Sermoni, composti e recitati in varii luoghi, ed occasioni diverse.* in 4. Udine M. DCC. XXXVIII. appresso Gio: Battista Fongarino.

2. *Orazione sacra sopra le lagrime miracolose sparse dall' Immagine di Maria Vergine, che serbasi nella Chiesa di San*

San Cristoforo della Città della Penna, *recitata nel terzo Venerdì di Marzo* 1740. in 4. Venezia M. DCC. XLI.

3. *Primi rudimenti della Scienza Cristiana*, *proposti per via di Dialogo fra un Catechista*, *e un idiota*, *alla gioventù che è obbligata ad impararla*, *da Rosamante Limano*. Nomen est adscititium. in Venezia 1741. presso Francesco Storti.

4. *Vita del Beato Domenico Spadafora de' Predicatori*. in 8. Urbino M. DCC. XLIV. nella Stamperia del SS. Sacramento.

5. *Breve ragguaglio della prima origine del Monistero delle Suore Domenicane della Penna*, *cavato dalle antiche Scritture*. in 8. Urbino M. DCC. XLIV. nella Stamperia del SS. Sagramento.

6. *I Lidi Veneti difesi dalla Santissima Vergine*; *o sia Storia della Immagine*, *Chiesa*, *e Convento*, *della B. Vergine di Pelestrina*: *in occasione della quale si riferiscono le apparizioni della Madonna di Chioggia*, *e di quella di Malamocco*: *e per appendice si dà relazione di altra miracolosa Immagine di Maria nella Terra di Loreo*. in 4. Venezia M. DCC. XLV. presso Giambattista Pasquali.

7. *Panegirico recitato nella Chiesa Cattedrale di Parenzo* ... *nell' occasione della solenne traslazione delle Sacre Reliquie de' SS. Martiri Mauro*, *ed Eleuterio*, *Protettori della medesima Città*, *e Diocesi*. Prostat in calce opusculi, quod inscribitur: *Memorie Storiche delle Sacre Reliquie de' Santi Martiri Mauro ed Eleutherio &c.* in 8. Venezia M. DCC. XLIX. appresso Simone Occhi.

8. *Chronicon Dominorum de Malatestis nunc primum in lucem editum*, cum notis. Prostat Tomo XLIV. Calogerianæ variorum Opusculorum collectionis. Venezia M. DCC. L. presso Simone Occhi.

9. MS. servatur la *Vita del Servo di Dio*, *il P. F. Giovanni-Alberto Tabacco dell' Ordine de' Predicatori*, *della Congregazione del B. Jacopo Salomone di Venezia*.

Jo: Vincentius Patuzzius, patriam habuit Veronam, natus anno 1700. die 19. Julii, vocatusque *Jo: Baptista Felix*. Sacram Conelliani professionem emisit anno 1718. die 2. Octobris. Hæc ejus opera sunt. XXIV. *Jo: Vincentius Patuzzius.*

1. *Vita della Venerabile Serva di Dio*, *Fialetta Rosa*, *del Terz' Ordine di San Domenico &c. coll' aggiunta di alcune sue lettere*, *canzoni*, *ed altre spirituali operette*. in 4.

Venetia M. DCC. XL. appresso Simone Occhi. Vestes exterius induta seculares tota vita sua incessit probatissima virgo: sed intus laneum scapulare, cyclademque laneam gestabat. Delicatioris conscientiæ scrupulis acta, Regulæ Sororum Tertii Ordinis professionem non emisit: quam pro viribus attamen diligentius colere & observare studuit.

2. *Difesa della dottrina dell' Angelico Dottor San Tommaso sopra l' Articolo quarto della q. 154. 2. 2.* in 4. Lucca M. DCC. XLVI. per Filippo Maria Benedini, sine Auctoris nomine.

3. *De futuro Impiorum statu Libri tres: ubi adversus Deistas, nuperos Origenistas, Socinianos, aliosque Novatores, Ecclesiæ Catholicæ doctrina de pœnarum inferni veritate, qualitate, & æternitate asseritur, & illustratur.* in 4. M. DCC. XLVIII. typis Seminarii Veronensis. Parandis aliis prelo operibus tempus, & operam suam impendit.

4. *De Sede Inferni in terris quærenda, adversus D. Swindium Doctorem Anglum, eam in Sole collocantem, Dissertatio in tres partes tributa: ubi etiam sensus Ecclesiæ Catholicæ de articulo Symboli Apostolici*, descendit ad inferos, *a Bocarti*, *Crameri*, *aliorumque interpretationibus vindicatur*. Prelo paratum opus est.

XXV. *Bonifacius Finettus.*

Bonifacius Finettus in lucem anno 1705. die 16. Februarii editus in Arce Gradisca, quæ Comitatus Gradiscani caput est in eo Provinciæ Forojuliensis tractu, qui paret Archiducibus Austriæ, patrem habuit *Antonium Finettum*, & matrem *Camillam Lionellam*, *Germanus-Fidericus* lustrali nomine vocatus. Vestem Conelliani induit Dominicanam, ibique se religionis votis obstrinxit anno 1721. die 30. Septembris. Ad ipsum pertinent aut incepta, aut absoluta opera, quæ nondum lucem viderunt, sed prelo parata sunt.

1. *Glossologia, ovvero Trattato di tutti i linguaggi del Mondo.*

2. *Geografia, tradotta dall' Inglese:* cum additamentis, & correctionibus.

3. *Confutatio pestilentissimi Judæorum libri, cui titulus: Hbizuk Emunà.*

XXVI. *Antoninus Valsecchius.*

Antoninus Vasecchius, natus Veronæ anno 1708. die 25. Decembris, patre *Jordano Valsecchio* Veronensi, & Ma-

tre

tre *Elisabetta Orgiana* Vicentina, sacris in undis *Antonius* appellatus est. Religiosum secessum nostra in Congregatione elegit, emissa Conelliani professione anno 1726. die 28. Septembris. Hæc sunt ejus opuscula.

1. *Riflessioni sopra la Lettera responsiva ad un' Amico intorno alla Quaresima appellante.* in 8. Venezia M.DCC.XL. appresso Simone Occhi.

2. *Orazione in morte di Apostolo Zeno, Poeta, e Storico Cesareo.* in 8. Venezia M. DCC. L. presso Simone Occhi.

Albertus Pongratz, Labacensis in Carniolia inferiori, natus est anno 1710. die 2. Aprilis, *Franciscus Josephus* in sacro fonte appellatus. Vestem induit Dominicanam Neoclaustri in Comitatu Cilejensi anno 1728. die 16. Novembris: suoque Cœnobio, ac sua Provincia Austriaco-Hungarica relictis, ut meliora charismata æmularetur, inter alumnos nostræ Congregationis coptatus est anno 1744. Opus ediderat inscriptum: XXVII. *Albertus Pongratz.*

Manuale Præsidum Confraternitatis SS. Rosarii, continens Statuta, indulgentias, atque privilegia ejusdem Confraternitatis &c. in 4. Labaci typis Adami Frid. Reichhard 1744. quo etiam in opere agit Auctor de Sodalitiis sub nuncupatione *Nominis Jesu*, *Corporis Christi*, & *Militiæ*, *Angelicæ*. Additamentum vulgavit typis Venetis anno 1748. Sed jam secundas curas exercet in augendo, expoliendoque integro Opere.

Hyacinthus Menegattus Venetus, *Marcus-Antonius* in seculo vocatus, patre *Martino Menegatto*, & Matre *Justina Monferà*, natus est anno 1716. die 23. Julii. Dominicanam vestem, quam diu vehementissime concupierat, Conelliani adsumpsit anno 1733. die 27. Octobris: votaque solemnia nuncupavit anno vertente. Peritiæ specimen exhibet sequens Opusculum. XXVIII. *Hyacinthus Menegattus.*

In funere Illustrissimi Domini Apostoli Zeni Veneti Civis, Nobilisque Cretensis, Historici & Poetæ Cæsarei Oratio ... habita in Templo SS. Rosarii pridie Idus Novembris M. DCC. L. in 8. Venetiis apud Simonem Occhi.

CAPUT XXXII.

Georgii Rivii Puritani, de Reformatis Dominicanis, deque Ordine Prædicatorum, ac ejusdem Ordinis Tertiariis differentis, inscitia, & impudentia.

1.
Georgii Rivii Puritani, de Reformatis Dominicanis, eorumque Congregationibus disserentis, putidissimi errores plurimi.

LUcubrationem hanc nostram dispendium operæ non fuerit, peculiari claudere instituto partis cujusdam ex Historia Monastica examine, quam Georgius Rivius Puritanus vulgavit, ad *Reformatos Dominicanos* attinentis, ipsumque ad Ordinem Fratrum Prædicatorum, ac ejusdem Ordinis Tertiarios. Adeo se Heterodoxi hominis passim prodit impudentia, adeoque crassa inscitia ejus est, ut inscitiæ errores corrigere, ac impudentiæ dicteria castigare omnino necessarium videatur. Titulus Operis est: *Monastica Historia Occidentis, scabra & Salebrosa, floribus constrata, sesamo & papavere delibuta: ubi sexcenti scrupuli lævigantur, Scriptores huc spectantes quamplurimi emendantur, explicantur, supplentur, & illustrantur in usum Evangelicorum, in tres Tomos divisa.* Prodiit opus *Lipsiæ M. DCC. XXXVII.* Pollicetur Heterodoxus homo, se ita Monasticam Historiam Occidentis enarraturum, ut eam, cum scabram & salebrosam alii fecerint præcipue Orthodoxi Scriptores, floribus constratam, ac delibutam sesamo & papavere suis offerat ipse Evangelicis, ad faciliorem jucundioremque usum. Imo Monasticarum rerum peritia valens, ac sanæ mentis quisque Rivianam Historiam si viderit, ac legerit, verissime judicabit partium omnium studio deposito, opus elucubrasse Rivium, inscitia plenum, impudentia onustum, putidissimis sordidatum commentis. Ab ungue ut leonem discas, tria Secundæ Partis Capita, quæ numerantur C.XXVII. C. XXVIII. & C. XXIX. ad examen voco.

De *Dominicanis Reformatis* egit ille Capite C.XXVIII. Hæc habet: " §. 1. Dicuntur alias *Congregatio Sancti* „ *Ludovici*, Gallis *Jacobins Reformez*, ou *de l'étroite* „ *observance*. Quis vero Congregationi parens, an S. Lu- „ dovicus Galliæ Rex, an alius: & quo anno Reforma- „ tio cœperit, cum *Alexander Natalis*, ipse Dominica- „ nus

„ nus fileat, multo magis reliqui Auctores. Certum eft „ illam exiftere, cum Dominicanus quidam reformatus, ,, nomine ... *Raiffons* vitam Antonini Maffouliæi, Vi- „ carii Generalis fuæ Congregationis, fcripferit. Imo „ *Francifcus Combefifius*, pluribus fcriptis clarus, hujus „ Reformati Ordinis affecla fuerit. §. 2. Verofimile eft, „ Templum *S. Ludovici*, quod Romæ eft, ab hoc Or- „ dine poffideri. Cæterum Dominicani *ftrictioris obfer-* „ *vantiæ* nulli funt. Corrigatur ergo, quod in *Actis* „ *SS. Antwerp*. Tomo VI. Maii pag. 368. eft expreffum: „ & intelligatur de ftricta obfervautia, in pofitivo nempe."

Hæc legentes *Evangelici*, vade Rivio, *flofculos* colligent & mellita & *fefamo & papavere* condimenta guftabunt: fcrupulos offendent nullos, utpote lævigatos, Scriptoresque alios habebunt erroribus, in quos inciderant, detersos. Tot imo putidiffima fine dubio fphalmata propinat Rivius, quot fere verba exaravit.

1. *Dominicani Reformati dicuntur alias Congregatio Sancti Ludovici*. Quisque colligat, *Reformatos Dominicanos* ad unam, quæ olim vigebat, pertinere aut pertinuiffe *Congregationem Sancti Ludovici*. Riviana imperitia eft. Lippis enim apud nos, tonforibusque notum, Dominicanum Ordinem in Provincias initio tributum: Regularem obfervantiam, quæ florebat, quartodecimo Ecclefiæ feculo in Provinciis pro rerum humanarum conditione detritam: fingulis ejusdem in Provinciis aut unum, aut aliqua, Majorum auctoritate deputata Cœnobia, in quibus primævam difciplinam colerent Fratres: plura, cœptum opus fortunante fupremo Numine, ad feveriorem obfervantiam revocata Cœnobia: ex his tum primo Congregationes inftitutas, quæ fimul cum Provinciis unius Magiftri Generalis parerent arbitrio: plures deinceps ævo fequiore Fratrum obfervantium, aut Reformatorum erectas Congregationes: inter has vero in Galliis numerandam *Congregationem Sancti Ludovici*. Itaque *Dominicani Reformati*, nulla in Ordine inducta fciffione, ad plures ætate Superiore fpectabant, hodieque fpectant Reformatas Congregationes, in Provinciis erectas, cum his junctas alias, aliasque fejunctas ab eisdem: itemque dantur integræ Provinciæ, ex Congregationibus efformatæ, in quibus legum viget feverior obfervantia. Hic vero germanus Ordinis Prædicatorum confpectus: hæc etiam regi-

regiminis ratio, quam ipse Rivius, nihil fortasse intelligens quæ scribebat, precedente Capite C. XXVII. commendabat §. 10. ubi *prudentiæ Magistrorum Generalium* tribuit, quod *Reformati* Dominicani, aliique quos vocat *Conventuales & mitigatos*, religiosissime sub uno Comitiorum Generalium Imperio, & Generalium Magistrorum arbitrio unitatem servaverint.

2. *Quis vero Congregationi parens, an Sanctus Ludovicus Galliæ Rex, an alius?* Sancti Ludovici, noni Galliarum Regis, tempore, primæva regularis in Ordine Prædicatorum, qua late patebat, vigebat florebatque disciplina: neque *Reformatione* opus erat. Seculo Ecclesiæ Christianæ labente quartodecimo, labem invexit sæva pestilentia, & auxit dirissimum, quod inter Pontifices Romanos erupit schisma. Hanc ut detergerent, ac pristinum Ordini nitorem restituerent, operam dedere Generales ipsius Ordinis Magistri, simulque probatissimi Alumni curarunt, quibus & Romani Pontifices, ac Summi Principes patrocinium præstitere. Cœpit opus *Raimundus de Vineis Capuanus*: ac prima in Italia ortum habuit Venetiis anno 1391. celeberrima *Congregatio Lombardiæ*, ut nuncupabatur. Raimundi consilia sequuti sunt Magistri Generales, qui sequiore tempore regimen Ordinis tenuere: pluresque ex Cœnobiis Reformatis emersere Congregationes in Italia, in Galliis, in Hispania, in aliis Orbis terrarum regionibus. Suos vero seculo decimoseptimo natales habuit, quæ dicebatur, *Congregatio Sancti Ludovici*, uti mox dicendum. Dementia fuit Rivii differere de his voluisse, quæ omnino ignorabat.

3. *Quo anno reformatio cœperit?* scilicet *reformationis*, quæ vigebat in *Congregatione Sancti Ludovici*, initium quærit Rivius. In luce meridiana cæcutientem se præbet *Evangelicorum* doctor. Vincentium Mariam Fontanam, notum & obvium Dominicanum Scriptorem adire poterat, qui in suo *Constitutionum*, aliorumque statutorum *pro singulis Provinciis* opere Romæ anno 1655. typis vulgato, rem totam enarrat. Num excusationis obtentu dixerit Rivius, libros hujusmodi apud suos desiderari? Cur ergo tam audax fuerit, ut necessariis destitutus præsidiis provinciam adsumpserit, quam ornare nullo modo posset? Discat jam vero, quæ laudatus Fontana loco citato Parte II. *pro Provincia Occitana*, & *pro Congregatione S. Ludovi-*

dovici docet: grassantibus in Gallia bellorum pressuris, pallere cœpisse apud nostrates regularis observantiæ vigorem: pluribus tamen in Cœnobiis, lectissimorum Virorum studio, revocatam eam esse: ex his reformatam coaluisse *Congregationem Franciæ*: hanc anno 1569. *in Occitanam Provinciam*, nomine scilicet mutato, erectam esse: iterum regulari deformata observantia, ad hanc vindicandam adserendamque novam institutam fuisse *Congregationem Occitanam*, in Comitiis Generalibus Parisinis anno 1611. adprobatam: & hanc demum Occitanam Congregationem, petente Christianissimo Rege Ludovico XIII. nomen obtinuisse *Congregationis Sancti Ludovici* in Romanis Generalibus Comitiis anno 1629. celebratis.

4. *Alexander Natalis, ipse Dominicanus silet: multo magis reliqui auctores*. Natalis Alexander generalem Ecclesiæ Historiam, historicis dissertationibus, & chronologicis, & criticis, & dogmaticis illustravit. Siluerit ipse: cur vero *multo magis reliqui* sileant *auctores*, qui rem Monasticam data opera illustrarunt, qui Ordinis Prædicatorum Historiam descripsere? Hæc mira vis est argumentandi, qua Rivius pollet. At Historiam præterea seculi decimiseptimi, quo natales habuit *Sancti Ludovici Congregatio*, intactam reliquit Natalis Alexander: adeoque apud ipsum nulla ejusdem Congregationis ingeri mentio potuit.

5. *Certum est, illam* (Congregationem Sancti Ludovici) *existere*. Imo certum est, quo Rivius tempore Monasticam suam Historiam vulgabat, *Congregationem* illam non exstasse, sed in *Provinciam* evasisse sub eadem *Sancti Ludovici* nuncupatione. Paucis verbis præcipuas refero vices. Ab eadem Congregatione Sancti Ludovici, quæ nimium videbatur protensa, Cœnobia plura reformata avulsit, quæ sunt cis Ligerim, Thomas Turcus Magister Generalis: eademque Provinciæ reformatæ Tolosanæ addixit. Hanc ratam habuere avulsionem Valentina generalia Comitia anno 1647. celebrata. Notet Rivius *Tolosanam Provinciam*, in qua instaurata florebat, ac floret disciplina, seu reformatio. Licet pluribus minura Cœnobiis, quæ remanserat, *Congregatio S. Ludovici*, nomen, & jura, ac prærogativas denique obtinuit *Provinciæ* sub eodem *Sancti*
Ludo-

Ludovici titulo : in eaque feveriorem regularem colere difciplinam pergunt Fratres . Hæc omnia ignorabat Rivius.

6. *Dominicanus quidam reformatus , nomine ... Raiffons , vitam Antonini Maffouliæi , Vicarii Generalis fuæ Congregationis* (Sancti Ludovici) *fcripfit* . Mendis accumulat menda Rivius . *Carolus Raiffon* , non *Raiffons* , Antonini Maffouliæi vitam utique fcripfit . Frontem-ne operis viderit Scriptor Puritanus ? Fido eam calamo tranfcribo : *La vie du V. P. Antonin Maffoulié profez du Convent de Toulouse , Inquifiteur de la Foi , Confulteur & Qualificateur du S. Office a Rome , & Vicaire General de tout l'Ordre des Freres Prêcheurs*. Ambiani , Morgan 1715. Maffouliæum legis *Vicarium Generalem* . An *Congregationis Sancti Ludovici* ? Stultitia eft , cum neque ea tum exftaret Congregatio . *Vicarius generalis* dicitur *totius Ordinis Fratrum Prædicatorum* : quem fcilicet Antoninus Cloche Magifter Generalis anno 1701. inftituerat , quo ipfe Roma difceffit , Cœnobia Regni Neapolitani luftraturus . Hæc habes fcripto mandata , ac vulgata typis Beneventi anno 1721. in Vita ejusdem Antonini Cloche.

7. *Imò Francifcus Combefifius , pluribus fcriptis clarus , hujus reformati Ordinis affecla fuit* . Non *Ordo* , fed Ordinis Prædicatorum pars una fuit , ac eft *Congregatio* , poftea *Provincia reformata Sancti Ludovici* . Ad eamdem Ordinis Prædicatorum partem , fub utroque *Congregationis* , & *Provinciæ* nomine , pertinuit combefifius . Nuncupat se *Congregationis S. Ludovici* alumnum anno 1644. in editione *Amphilochii Iconienfis* aliorumque Veterum Scriptorum , & anno 1648. Tomo I. *Græcolat. Patrum Bibliothecæ* , & anno 1662. in *Bibliotheca Patrum Concionatoria* . Se vocat ipfum *Provinciæ Sancti Ludovici* alumnum in editione *Operum Sancti Maximi* , quæ anno 1672. prodierunt , & in *Auctario Noviffimo* Bibliothecæ Græcorum Patrum . Ipfum Combefifium anno 1685. e *Congregatione Sancti Ludovici* nuncupatum lego in editione Regia *Scriptorum poft Theophanem* : fed in opere pofthumo minufculum mendum curandum non eft.

8. *Verifimile eft , Templum S. Ludovici quod Romæ eft , ab hoc Ordine poffideri* . Tædet , imo verius pudet,

det, somnia refellere emotæ Rivianæ mentis. Templum *S. Ludovici*, quod est Romæ, post annum 1478. ædificari cœptum, sub ejusdem Divi nuncupatione dedicatum fuit anno 1589. die 8. Octobris. In eo sacris operantur Æditui, ex Clero, quem *secularem* appellamus, ac inter eos aliqui locum habent Oratorii Gallicani Presbyteri. Rem docent vulgati libri de Romana urbe.

9. *Cæterum Dominicani Strictioris observantiæ nulli sunt*. Ad Combefisium provoco, quem scriptis clarum commendas. Is vero in citato Auctario Novissimo, typis anno 1672. vulgato, nuncupat se *Provinciæ Sancti Ludovici strictioris observantiæ* alumnum: ac epistolam nuncupatoriam datam scribit, *in Sanctissimæ Annunciationis* Cœnobio *Parisiis Ordinis Fratrum Prædicatorum, Provinciæ Sancti Ludovici strictioris observantiæ*. Noli de voce litem agere: eosque agnosce omnes *strictioris observantiæ* Dominicanos, dictos etiam *Reformatos*, qui severiorem quamdam vitæ communis rationem colunt, ac rigidiora statuta, quæ S. Dominicus ac Majores nostri tulere, observare student.

10. *Corrigatur ergo, quod in Actis SS. Antawerp. Tomo VI. Maii pag. 368. est expressum*. Hæc scilicet habent Bollandi Continuatores, de Sanctis Asterio, & Helena ibidem agentes: *Invenimus etiam in Synaxario Combefisiano apud Patres Prædicatores Strictioris observantiæ Parisiis* in Cœnobio SS. Annunciationis &c. Locum istum ad *Provinciam Sancti Ludovici strictioris observantiæ* pertinere, Combefisium ajentem superius audivimus. Cur ergo Bollandianos Rivius jubet corrigendos, qui id expressere quod etiam exprimit Combefisius, quod rei demum veritas exposcit? Adnotaverim, haud mirum esse, a Rivio, aliisque Heterodoxis hominibus historias nostras deformari, qui fidem etiam nostram Catholicam, ac pias quæ apud nos vigent consuetudines, mendaciis pro genio excogitatis deformatas & ore, & scriptis proponere non erubescunt.

11. *Ejusdem Heterodoxi hominis inscitia, & impudentia in ea Historiæ parte, quæ ipsum spectat Fratrum Prædicatorum Ordinem.*

Suscepti examinis ratio exposcit, ut *flosculos*, quibus Rivius constravit Historiam totius Ordinis Prædicatorum, attentius inspiciamus. In hanc suas ille appingit animadversiones Capite C. XXVII. & Cap. C. LXXVI.

in Corollario ad Dominicanos. Errata plura propinat, & calumnias intentat.

1. *Dominicanorum Ordo celebratissimus institutus est anno 1218. a Dominico . . . Canonico Regulari Ordinis Augustini*. Errat in limine Rivius. Historiæ veritas exposcebat, ut Dominicus diceretur connumeratus inter Canonicos Ecclesiæ Oxomensis, quos e secularibus mutavit Didacus Episcopus in Regulares, sub S. Augustini regula militantes, Innocentio III. Summo Pontifice commutationem adprobante. Germana quoque Dominicana Historia docet: Dominico novum Ordinem animo designanti facultatem ipsum Innocentium fecisse, ut regulam jam in Ecclesia adprobatam eligeret: communi cum sociis Tolosæ habito consilio, Regulam Sancti Augustini delectam esse, aliasque severiores quasdam adjectas Constitutiones: Ordinem vero ita ftitutum, ab Honorio III. datis diplomatis confirmatum anno cadente 1216. & anno 1217. ineunte. Hæc authenticis comprobantur monumentis, quæ Rivius, hisce de rebus acturus, videre & expendere poterat, ut cæteros prætermittam Scriptores, apud Jacobum Echardum Tomo I. Scriptorum Ordinis anno 1719. typis Parisinis edito, & apud Bollandi Continuatores Tomo I. Mensis Augusti, qui ab anno 1733. vulgatus prostabat.

2. *Hinc videtur factum, quod Ordo regula utatur S. Augustini:* quia Dominicus *inter Canonicos Regulares S. Augustini* militaverat. Minime. Causam aperuimus: quod novum Ordinem instituere ea conditione annuebat Innocentius III. ut inter Regulas Monasticas, jam in Ecclesia vigentes, ea seligeretur quæ aptior videretur: quod etiam habito communi cum sociis consilio, aptior illa visa est, quæ *Sancti Augustini* appellatur.

3. In *Corollario ad Dominicanos* agit Rivius de *Prædicatorum* nomine: eaque refert tantum, quæ Thomas Cantipratanus narrat Libro 1. Apum Capite IX. Rem hanc Rivius, qui *scrupulos lævigare* adsumpsit, facili illustrare negotio potuisset: potuisserque *flosculos* colligere, quos afferunt Echardus, & Bollandi Continuatores. Primam certe appellationis originem desumere poterat ex nomine *Prædicatorum*; quo Viri probatissimi, quibuscum Dominicus erat, insigniebantur,
Albi-

Albigentium Hæreticorum converſioni operam dantes.

4. *Vocantur Prædicatores, quorum primarium inſtitutum eſt, juvenes artem Rhetoricam Eccleſiaſticam docere ... & Scholis apertis rudes Catechiſmo imbuere.* Primarium inſtitutum patefacit Honorius III. in tertio diplomate, quod anno 1217. datum die 26. Januarii ſcriptum eſt *Priori, & Fratribus ... Prædicatoribus.* Commendat eos, quod *fidelium mentes ſemine verbi divini ſalutari facundia fœcundent*, & *verbum Dei quod eſt penetrabilius omni gladio ancipiti, magnanimiter contra fidei exerant inimicos*; eoſque adhortatur, *ut evangelizare verbum Dei ſtudeant, opportune importune inſtantes, & opus Evangeliſtæ laudabiliter adimplentes.* Hæc ſane munia longe differunt ab inſtituto juvenes docendi artem Rhetoricam Eccleſiaſticam, ac rudes Scholis apertis Catechiſmo imbuendi. Sed apertas præterea habuere Fratres Prædicatores ab initio Scholas, in quibus litteræ Sacræ ad Bibliorum explanationem, ad Theologiam, ad Canones, ad Fidei dogmata, ad morum inſtituta pertinentes tradebantur, hodieque traduntur.

5. *Mirifice porro amant nuncupari Fratres Mariæ Virginis.* In authenticis monumentis hæc nuſpiam apparet nuncupatio. Audire præſtat Sanctum Antoninum in Chronico Parte 3. Tit. XXIII. Capite III. §. 1. ſic habentem: " In principio Fratres Ordinis dicebantur „ *Fratres Virginis Mariæ*: ſed placuit Eccleſiæ Dei, „ titulum eis dare *Fratrum Prædicatorum*. " Locum Antonini in medio relinquo: ſed ipſum ignorabat Rivius.

6. *Græcis illi (Dominicani) ſunt Cyriaci. Vide Theophili Raynaudi librum de immunitate Auctorum Cyriacorum.* Cum Raynaudo labitur imperitus Rivius. Demetrius Cydonius, græcus homo, in ſua Librorum Sancti Thomæ contra Gentiles verſione græca, his vebis Aquinatis Ordinem exprimit: τάξεως τῶν ἀδελφῶν πρεδικατόρων, καὶ κηρύκων. Hinc diſce, Fratres Dominicanos a Græcis dictos *Kerykas*, ideſt præcones verbi ſcilicet Dei, non *Cyriacos*, aut *Kyriakos*, ideſt *Dominicos*. Joannis Caſalas, Raynaudum refellentis, animadverſionem addo in Candore lilii §. 74. „ *Cyriacos* dicere Dominicanos quis te grammaticus,

 „ quis

„ quis λεξικόγραφος docuit? Ipse certe Dominicus κυριακὸς, „ tanquam a Christo peculiariter qui Κύριος : unde & „ Joanni , & Gregorio Theologis dicta κυριακὴ , *Do-* „ *minica*; tibi dicatur *Dominicana* . " Caroli Dufresne Glossarium consule ad Scriptores mediæ & infimæ græcitatis.

7. *Nimium Thomæ Aquinatis studium ab Alphonso a Castro , Dominicano licet ipso , illis objicitur* . Indicatus Alphonsi a Castro locus exstat pag. 10. & 11. operis *adversus omnes Hæreses* in Editione Parisina anni 1564. qua utor . De peculiari Dominicanorum erga Thomam Aquinatem obsequio , quod ibi versat Scriptor ille , agit etiam uberrime Seraphinus Piccinardus in sua *Philosphia dogmatica* , ac Tomo II. *de Approbatione Doctrinæ Sancti Thomæ* . Peritiam adnotaverim ego Rivii , qui in *Dominicanum* alumnum mutavit *Alphonsum a Castro* , *Ordinis Minorum regularis observantiæ* , *Provinciæ Sancti Jacobi* . Hæc leguntur in ejusdem Operis fronte . Cæterum quæ mendacia excogitarunt Heterodoxi homines , de Scriptis Thomæ Aquinatis , deque ejus doctrina agentes , refutata manent in Dissertatione XXIX. inter triginta Venetiis a me vulgatas anno 1750. typis Joannis Baptistæ Pasqualii : cui titulus , *Adversus Petri Zornii Hamburgensis Heterodoxi programma de varia S. Thomæ Aquinatis fortuna &c. aliaque commenta & dicteria Adami Tribbechovii Heterodoxi Saxo-Gothani* .

8. *Nescio* , *utrum Matthæus Paris* , *Monachus niger* , *idoneus sit testis in Dominicanos producendus* . Ipsum vero testem producit . De Auctore judicium proferam ego Continuatorum Bollandi ad Diem IV. Augusti , in prævio ad Vitam S. Dominici Commentario §. XXV. num. 479. Verba accipe : " Non teme- „ re suspicabimur , ab Hæreticis editoribus huic Ope- „ ri insertas esse plerasque calumnias , quibus sub no- „ mine Matthæi Parisii contra Romanos Pontifices , „ ac Religiosos Ordines furiose debacchari solent " . Hæc etiam Baronii , & Bellarmini fuerat sententia . Sed opus illud interpolatum non fuerit : Accipe vero Casimiri Oudini judicium : " Omnes se- „ cat , universos pungit ; acsi nulli omnino morta- „ lium aut parcere , aut condonare rigidissime sibi pro-

„ po-

„ posuisset .... Tamquam furiosus quispiam in quadri- „ vio, ex quacumque plaga viator supervenerit, hos- „ pes an hostis; si illi non placuerit, flagris misellum „ adoritur, lorisque male mulctatum procul arcet, „ & abigit. “ Hæc ille, licet Apostata, & Religiosis Ordinibus infensus.

9. Thomas Campanella .·. . Ordine honesto indignus, qui παιδεραστίαν, (græcam vocem latinæ substituo, ne aures offendam,) *docuerit. Vide Sorberiana litt.* C. Integrum *Sorberiani* operis locum attente legi, & perlegi: nec ullum offendi verbulum quod indicet, id Campanellam docuisse, quod ipsi adtribuit spurcissimus Rivius. Vah mendacem hominem, & calumniatorem! Sunt alia, quæ congerit commenta, de simultate Prædicatorum in alios Ordines, de potentia eorum & opulentia, deque Sacro Officii adversum Hæreticos tribunali. Hæc imperite, & falso, & impudenter a Rivio scripta refellere, jacturam foret boni temporis facere.

Alia occurrunt nonnulla, quæ ad *Dominicanos Tertiarios* attinent. *Sunt*, (inquit Capite C. XXIX.) *Tertiarii, & Tertiariæ vestibus Ordinis utentes: quorum illi Monachis, hæ Monialibus Dominicanis servitiorum omne genus exbibent*. Rivio Puritano si credas; *Tertiarios* putabis famulos esse Fratrum Prædicatorum, & Monialium famulas *Tertiarias*. Illud etiam expende, quod ait *servitiorum omnes genus*. Nemo non videt, *Tertiarios*, & *Tertiarias* confundi cum Fratribus *Conversis*, & Sororibus *Conversis*; quibus juxta legis præscripta committi inferiora in Monasteriis, ac Cœnobiis officia solent. Sed hæc tamen imperite dicta offeruntur a Rivio suis *Evangelicis* addiscenda.

III. *De Tertiariis Dominicanis imperite differit idem Rivius. Hujusce Tertii Ordinis origo, & incrementa indicantur.*

Liceat mihi *Fratrum, & Sororum tertii Ordinis* paucis indicare verbis originem, & incrementa. Guillelmus de Podio-Laurentii, Synchronus Auctor, in Chronico de Rebus Francorum *adversus Albigenses*, mentionem Capite XV. ingerit *Confratriæ magnæ factæ Tolosæ, & Crucesignatæ contra Hæreticos & usurarios*, Ecclesiarum bona detinentes. Hujusce *Confratriæ* institutionem refert ille ad *Fulconem Episcopum Tolosanum*. Hunc diligentius expendentes locum Bollandi Continuatores in prævio ad Vitam S. Dominici Commentario, libentes lubentesque consentiunt, maxima in ea fun-

datione partem habere Sanctum Dominicum potuisse, qui Fulconi amicissimus erat, & Hæreticorum conversioni cum Fulcone operam dabat.

Hæc vero *Confratria* præcipue coalescebat ex viris probatissimis, qui verbi Dei prædicatoribus adversum Albigenses consilio, & opera, & armis etiam, subsidium præstabant; eamque fortasse dictam *Confratriam*, aut Ordinem *Prædicatorum*, docere videtur Constitutio Innocentii III. quæ anno 1210. data legitur in Bullario Ordinis Prædicatorum Tomo VII. & inscripta est *Simoni de Montforti*. Codex Vaticanus titulum præfert: *Commendatio Ordinis Prædicatorum, & illius qui dictum Ordinem assumpsit*. Hoc est: *Commendatio Ordinis Prædicatorum*, eorum scilicet qui contra Albigenses maxime prædicationibus agebant? *& illius*, nempe Simonis de Monteforti, cujus in Bulla mentio: *qui dictum Ordinem assumpsit*, Prædicatores consilio, & opera, & armis adversum Albigenses adjuvando.

Appellari Ordo cœpit *Militiæ Jesu Christi*. Rem satis docet Bulla Honorii III. data anno 1220. die 16. Julii, quæ Tomo VII. citato Bullarii legitur. Data est *Romano Episcopo Portuensi*: ut cuidam *Savarico militi*, *& sociis suis Crucem, quam defert, nomine Pœnitentiæ in remissionem imponeret peccatorum, specialiter ad impugnandum hæreticos, secundum observantiam Ordinis Fratrum Militiæ Templi*. Disce primo, sacram istam Militiam jam institutam pridem fuisse: ac deinde *nomen* illud *pœnitentiæ*, quo Sacra Militia adsumebatur, veluti primum dici lineamentum posse *Fratrum, ac Sororum* status, qui postea invaluit, *pœnitentiæ Sancti Dominici*. Hujusce nostræ Militiæ institutum ex proposito *Militiæ Templi* exemplo colligitur. Militabant contra *Saracenos* Templarii *in partibus Orientis*: & Milites nostri *in partibus Galliæ Narbonensis* pugnabant *contra hæreticam pravitatem pro Fidei negotio, & Ecclesiastica libertate*. Hi vero demum Milites Episcoporum arbitrio obnoxii erant.

Militiam hanc in Italia propagatam, vetusta Monumenta tradunt. Gregorii IX. diploma habetur, *anno primo Pontificatus* ejusdem, Christi 1227. *XI. Kal. Januarii* datum *Fratribus Militiæ Jesu Christi per Italiam Constitutis*. Hanc diplomatis epocham vindicavimus con-

contra Bollandi Continuatores Capite II. num. III. Militiam istam *Florentiæ* instituere voluisse anno circiter 1234. videtur S. Petrus Martyr, qui adversum Manichæos *quibusdam de Rubeorum familia nobilibus, & aliis Catholicis vexillum exhibuit Cruce insignitum: ut ipse verbis, & illi gladiis contra Hæreticos, Domini prælium exercerent*. Hæc in ejus habentur Vita apud Bollandi Continuatores Capite III. num. 22. Hinc etiam laudatus Gregorius IX. diplomate dato anno insequente 1235. die 18. Maii, *Jordano*, Generali Ordinis Prædicatorum Magistro, committit: ut per se, ac ejusdem Ordinis alumnos, *Sacris* instruat *disciplinis* Fratres, & Sorores *Militiæ Jesu Christi Parmensis*. Quæ prostat Constitutio in Bullario citato Tomo VII. Ibidem aliud extat ejusdem Pontificis diploma eodem anno 1235. datum die 24. Maii: quo peculiaris quædam adprobatur Regula, a Fratribus & Sororibus *Militiæ Jesu Christi Parmensis* observanda. Alia exhibentur præscripta pro *Fratribus*, & alia eorum conditioni *uxorum, viduarumque* accommodata. Hinc patet, Sacræ *Militiæ* pro data occasione propagatio in Italia, ejusque Civitatibus.

Dubitaverim nullus, hac etiam ætate dictos fuisse *Fratres de Pœnitentia*, ipsosque *per Italiam Constitutos*, ut docet Constitutio ejusdem Gregorii IX. quæ Tomo I. Bullarii legitur, data anno 1228. die 30. Martii. Hæc nuncupatio deinceps invaluit. Militiæ namque quæ gerebatur armis, finis tandem aut scopus desierat: sed pristinæ erga Sanctum Dominicum observantiæ causa ducti Fratres, Sororesque, militiam agere cœperunt, pœnitentiæ operibus, & regularibus institutis, contra vitia ac seculi vanitates. Hic alter *Militiæ Jesu Christi* status est, quem sequioris ætatis Pontifices privilegiis ornarunt.

Non ita floruit, perennavitque hujusmodi *Fratrum* status, sicuti *Sororum*, Viduarum scilicet ac Virginum, quæ sub cura Fratrum Prædicatorum militiæ spirituali operam dabant, instituta servantes quæ Directores conscientiæ proponebant. Inter has claruit Sanctitate *Benvenuta* ex perillustri *Bojanorum* familia in Civitate Forijulii; cujus obitus his nunciatur verbis in Vetusto Necrologio: *M. CC. LXXXXII. obitus Benvenutæ, filiæ quondam Domini Bojani: vixit devote in tertio Ordine nostro*. Vide Caput VIII. num. IV. Hinc disce, remota

jam

jam illa ætate appellationem invaluisse *Tertii Ordinis Sancti Dominici*.

Priorem militiæ Regulam, quæ prostat in diplomate Gregorii IX. dato anno 1235. die 24. Maii, reformavit *Munio de Zamora*, qui Prædicatorum Ordinem ab anno 1285. ad annum usque 1291. administravit Magister Generalis; aliamque instruxit, nonnullis ex priore Regula retentis institutis, ut imposterum *Fratres*, maximeque *Sorores* certiorem vitæ rationem ducerent, propriis in domibus degentes aliæ, aliæque simul sociatæ in Monasteriolis. Sub hac Regula militavit *Sancta Catharina* Senensis. Collegium Sororum vigebat in Civitate Senarum. *Mantellatas* dictas, narrat Raimundus in ejus Vita: a pallio scilicet, seu mantello, quod erat insigne Fratrum, & Sororum *de pœnitentia Sancti Dominici*. In hocce Collegio post medium seculum decimumquartum recepta fuit Catharina: quæ nihilominus propria etiam in domo vitam agebat. Dubitare non sinunt Raimundi verba, qui apud Bollandi Continuatores Capite V. num.83. narrat: ipsam, jam Collegio Sororum adscriptam, *invenisse desertum intra propriam domum*. Ad cælites evolavit anno 1380.

Tam illustre, quod *Tertio Ordini* attulit Catharinæ Sanctitas ornamentum, ansam dedit, ut idem ordo incrementa caperet. Id primo curatum est, ut Regula, quam *Munio de Zamora* instruxerat, peculiari Sedis Apostolicæ adprobatione confirmaretur. Diligentiam, studium, & labores *Bartholomæi Dominici* de Senis, & *Thomæ Antonii* ejusdem Civitatis, enarravimus Capite II. num. III. & Capite III. num. VI. & Capite X. num. II. Ambo præfati Viri, communi studio, *Tractatum* anno 1402. ediderunt *super informatione originis, & processus, ac plenariæ approbationis, & confirmationis Fratrum, & Sororum de Pœnitentia Sancti Dominici*: quo de opere egimus lato calamo Capite II. citato. Diu optatam largitus est confirmationem Innocentius VII. dato diplomate anno 1405. die 26. Junii.

Operam suam præterea contulit *Thomas Antonii*, ut idem Ordo Venetiis floreret. Ad institutum *Fratres* aliquos pellexit, multoque plures *Sorores*: qua de re scriptum ab ipso *Tractatum* loco citato recensuimus. Non diu stetit *Fratrum* cœtus Venetiis: nunquam defuere

So-

Sorores, quæ Venetiis & alibi, intra Italiam & extra, florent bona fama. Jam ſtatus innoteſcit, quem prorſus Rivius Puritanus ignorabat, *Fratrum Tertiariorum*, ac Virginum Viduarumque, quæ nuucupantur *Tertiariæ*. Hiſce vero noſtris animadverſionibus lævigantur ſine dubio ſcrupuli, quos injecerant Bollandi Continuatores; ac etiam errata nonnulla corriguntur admiſſa ab Helioto in ſua Regularium Ordinum Hiſtoria, aliiſque Scriptoribus.

Addenda nonnulla.

I. AD Caput III. num. II. pag. 46. lin. 9. *Antonius Viates Piſanus*. Hac de re certior ut fierem, litteras dare libuit ad *Seraphinum Mariam Cervam*, Cœnobii Raguſini alumnum Ordinis Prædicatorum, mihi amiciſſimum, quem diligentiſſime noveram luſtraſſe Patriæ tabularia, ac ipſius Joannis Dominici vitam accuratiſſimam confeciſſe. Serius redditæ mihi ſunt ejus litteras, queis docet: *Joannem Dominici ad Inſulas Raguſinas Archiepiſcopales anno deſinente* 1407. *evectum fuiſſe: inter purpuratos Eccleſiæ Patres adlectum, Eccleſiam illam abdicaſſe: hanc ab eo tamen, Commendæ titulo commiſſam, ad initium anni* 1410. *retentam videri*. Reſponſi partem primam iis apprime conſonam, quæ animadvertimus, jam vides: Archiepiſcopum Raguſinum renunciari *Joannem Dominici* non potuiſſe, niſi poſtremis anni 1407. Menſibus.

II. Ad idem Caput III. num. III. pag. 54. lin. 27. De hac igitur fundationis epocha dubitare nefas eſt. Hanc novum *Thomæ Senenſis* inſigne teſtimonium confirmat. Manuſcripta, quæ in Cœnobio noſtro Forojulienſi adſervatur, in manus incidit *Legenda Beatæ Mariæ de Venetiis*, Sororis Ordinis de Pœnitentia Beati Dominici, *de Domo Storiana*, abs laudato Thoma Senenſi confecta. In Prologo hæc habentur luculentiſſima verba: *Fœminei ſexus perſonæ ad ſupradictum Corporis Chriſti Monaſterium, per ſupradictum Fr. Joannem* (Dominici) *M. CCC. XCIV. jam inchoatum, & ordinatum, non ſolum de ſeculo, ſed etiam de aliis Monaſteriis, propriæ ſalutis tractæ cupidine, confugerunt*. Inchoatum intellige, ut par eſt, ordinatumque *Corporis Chriſti Monaſterium*,

rium, ad ipsum quod attinet Virginum ac Viduarum ingressum in eumdem locum, præscriptamque eisdem inibi inclusis regularem severiorem vitam: quod anno 1394. contigisse, hoc etiam loco diserte scribit Thomas.

III. Ad Caput V. num. V. pag. 115. lin. 37. *Forijulii* nomen a Julio Cæsare Oppidum, sive Civitatem accepisse, cum Paulo Diacono adnotavimus. Longe vetustiorem hanc censet appellationem Illustrissimus Justus Fontaninus, Archiepiscopus Ancyranus, in Historia Litteraria Aquilejensi Capite I. ubi de *C. Cornelio Gallo* celeberrimo Poeta differit. Sententia ejus est num. VI. „ *L. Julium*, qui anno U. C. 571. ante Christum 183. „ gerebat in Gallia Cisalpina Præturam, in hac Regio„ ne *Forum* abs se dictum *Julium*, condidisse. " Majorum traditio adversatur. Disertissima sunt, quæ Paulus Diaconus habet verba Libro II. Capite XIV. *Hujus Venetiæ Aquileja Civitas exstitit caput: pro qua nunc*, (seculo VIII. & antea,) *Forumjulii ita dictum, quod Julius Cæsar negotiationis forum ibi statuerat, habetur*. Eidem remotiore ævo adhæserat traditioni Venantius Fortunatus Libro IV. de Vita S. Martini. Librum suum adloquitur ita carminibus canens.

Hinc pete rapte vias, ubi Julia tenditur alpes,
Altius consurgens, & mons in nubila pergit.
Inde Foro, Juli de nomine Principis, exi
Per rupes.

Julius ille *Princeps* non alius fuerit, nisi Julius Cæsar. „ Natum Forijulii Carnorum, (inquit Fontaninus,) „ *Cornellium Gallum* anno Urbis Conditæ 685. decen„ nio ante Imperium *Julio Cæsari* in utramque Galliam „ conlatum: adeoque jam floruisse in Carnis *Forumju„ lii*; ab alio scilicet denominatum *Lucio Julio*. " Cur ita vero? Quia Hieronymus in Versione latina Chronici Eusebiani, *Galli* obitum referens, ipsum vocat *Forojuliensem*, patriam ipsius indicans. Hanc intelligi deberet *Forumjulium in Carnis* cum Fontaninus jubeat; jam ipsum *Forumjulium* extasse *in Carnis* ante Gallicum *Julii Cæsaris* Imperium, colligitur. Reponi potest 1. Doctissimos Viros esse, qui *Cornelii Galli* Poetæ patriam existimant *Forumjulium* in Gallia Narbonensi. 2. Liceat

ipsum

ipsum natum credere *Forijulii in Carnis*. At Hieronymus obitum *Cornelii* referens ad annum U. C. 728. ipso adnotante Fontanino, tribus nempe ac triginta annis post Gallicum Imperium Julio Cæsari conlatum, ipsumque eo anno *Forojuliensem* appellans, Oppidi nomine uti potuit, quod eodem vivente *Gallo* jam obtinere potuerat a Julio Cæsare. Quomodo ergo Oppidum illud ante *Julium Cæsarem* vocatum fuerit? Ignotum. Fuerunt, qui locum credidere a Gallis conditum anno Varroniano U. C. 571. & a Marcello Consule eodem anno deletum, ut adnotavit Plinius Libro III. Capite XIX. & a Julio Cæsare demum instauratum, ac foro suoque nomine auctum. Opinione posita, quæ *Cornellium Gallum* statuit natum in oppido Carnorum, satis verisimile videri potest, illud Oppidum vocari potuisse *Forum Julium*, eamque appellationem desumi a *L. Julio* aut conditore, aut instauratore, qui eodem anno 571. gerebat in Gallia Præturam, ut habet Livius Libro XXXIX. num. XLV. Hanc loco antiquiorem originem gratulari, graviore argumento permoti optaremus.

IV. Ad Caput XXII. num. 1. pag. 322. lin. 2. Prætermittere non licet *Antoninum Valsecchium*, clarum Verbi Dei præconem, qui suam quoque ad augendam Bibliothecam contulit Symbolam non modicam. Hoc sibi capient exemplum juniores, posterique.

FINIS.

pag.	lin.	*Errata.*	*Corrige.*
10.	30.	Agrutio.	Aprutio.
19.	33.	præcedentem 20.	præcedentem 21.
21.	25.	*qualiter.*	dele.
40.	30.	addicimus.	addiſcimus.
62.	9.	poſtquoam.	poſtquam.
64.	19.	horas.	horam.
80.	42.	*Minitivis.*	*Mini Civis.*
85.	19.	ut.	dele.
88.	20.	Grati.	Gnati.
	33.	die exeunte.	die V. exeunte.
90.	28.	planum.	phanum.
112.	4.	Deeſt numerus IV. in margine, ex indice capitum reponendus.	
114.	3.	æque.	æquo.
124.	36.	uſo.	uſu.
131.	28.	Granaolas.	Grancolas.
152.	20.	profeſſioni.	profeſſionis.
	30.	*Ordinis.*	*Ordine.*
158.	27.	Bajani.	Bojani.
184.	34.	diſciplinæ.	diſciplinam.
209.	29.	Præfecto.	Præfecti.
228.	1.	1640.	1540.
250.	10.	ergo.	ego.
262.	40.	demandate.	demandante.
299.	21.	forma.	formam.
315.	15.	Patriarchæ.	Patriarcha.
321.	22.	Auguſtini.	Auguſtino.
325.	18.	lectus.	lætus.
333.	12.	deſideretur.	deſideratur.
352.	30.	tempore.	tempora.
394.	4.	Sacerdotali.	Clericali.
448.	36.	præhibita.	præhabita.
449.	27.	*Venetos.*	Venetos Cives.
450.	29.	*quæ.*	*qua.*
480.	37.	valuerunt.	voluerunt.
488.	1.	*Coxcina.*	*Concina.*
	20.	*Metaphificæ.*	*Metaphyſice.*

